

DOMITII ULPIANI

FRAGMENTA LIBRI SINGULARIS
REGULARUM,

ET

INCERTI AUCTORIS


COLLATIO LEGUM MOSAICARUM
ET
ROMANARUM,

QUIBUS NOTAS ADJECIT

JOANNES CANNEGIETER,
ADVOCATUS IN CURIA GELRICA.

ACCEDUNT EJUSDEM

DISQUISITIO DE NOTIS, ET SIGLIS
VETERUM, ET OBSERVATIONUM
MISCELLANEARUM LIBER
SINGULARIS.



TRAJECTI AD RHENUM,
Apud GUILIELMUM HENRICUM KROON, Bibliopolam,
MDCCLXVIII.

Cicero *Tuscul. Disputat. Lib.* **1.** *Cap.* **9. Ut potero, explicabo: nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint, et fixa, quae dixero, sed ut homunculus, unus e multis, probabilia conjectura sequens: ultra enim quo progrediar, quam ut veri similia videam, non habeo.**

Gellius *in Praefatione*, (*ex editione Jac. Gronovii.*) Erit autem id longe optimum, ut, qui in lectitando, scribendo, commentando, nunquam voluptates, nunquam labores ceperunt, nullas hoc genus vigilias vigilarunt, neque ullis inter ejusdem Musae aemulos certationibus disceptationibusque percunctando, scribendo, elimati sunt, sed intemperiarum negotiorumque pleni sunt, abeant a Noctibus his procul, atque alia sibi oblectamenta quaerant.

Livius *Lib.* **5.** *Cap.* **21. In rebus antiquis, si quae similia veri sunt, pro veris accipiantur.**




JOANNIS CANNEGIETERI
DISQUISITIO
DE
NOTIS ET SIGLIS,

EARUMQUE USU FREQUENTISSIMO IN FRAGMENTIS ANTIQUIS, PRAECIPUE JURISCONSULTORUM:

In qua plurima veterum Juris, aliorumque Auctorum loca difficiliora, corruptave, harum ope enodantur, aut corriguntur.

FAVORINUS Philoſophus, et SEXTUS CAECILIUS Juriſconſultus, apud Gellium, Noct. Attic. Lib. XX. Cap. 1.

„ Quaedam eſſe . . . animadvertuntur aut obſcuriſſima, . . . „ aut nequaquam ita, ut ſcriptum eſt, conſiſtentia. Obſcurita- „ tes . . . non adſignemus culpae ſcribentium, ſed inſcientiae „ non adſeqentium. Quanquam hi quoque ipſi, qui, quae ſcripta „ ſunt, minus percipiunt, culpa vacant: nam longa aetas verba, „ atque mores veteres oblitteravit, quibus verbis, moribusque „ ſententia legum comprehenſa eſt.



PRAEFATIO.

Veriffima in primis, atque elegantiffima mihi quidem femper vifa fuit Marci Catonis, Cenforis graviffimi, fententia, *non minus otii, quam negotii rationem exftare oportere* exiftimantis.

Ut itaque otio meo non plane abufum me fuiffe publice conftet, faciendum effe putavi, ut, quae per horulas fubfecivas, dum a forenfibus, caeterisque negotiis meis ceffare licuit, frigentibus propter litigantium paucitatem judiciis, commentatus fui ad varia, eaque difficillima, Juris Romani capita, aliorumque Auctorum loca obfcuriora, in medium proferrem.

Non deërunt fortaffe, qui mirabuntur, factum fuiffe, ut in hoc ftudiorum genere operam ego collocaverim, ab ufu forenfi nequaquam alienus, ex arbitrio fuo inanem atque inutilem, quod cum maxime male audit apud multos, et defpectui habetur Critice.

Stabit tamen femper, manebitque proprius ac perpetuus, nullo faeculo intermoriturus, honos illis, quicunque veterum Jurisconfultorum, aliorumque Scriptorum fragmenta emendandi, interpretandique artem recte inftituerunt.

Hanc in deliciis habuerunt, hac immortalem gloriam fibi compararunt, (paucos memoraffe fufficiat,) CUJACII, FABRI, RITTERSHUSII, GOTHOFREDI, AVERANII, HEINECCII, RITTERI, fplendidiffima orbis litterati fidera. Quidni addam populares meos, Gelros, LEONINUM, NOODTIUM, SCHULTINGIUM, ECKIUM? quos penna feret metuente folvi fama fuperftes.

Homines hi egregii ſuo exemplo edocuerunt, quum ad Juris artem acceſſerit Critices ſtudium, tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolere exiſtere.

Neque illi tantum, quos modo dixi, Viri Profeſſoria dignitate clari, doctrinam hanc exercuerunt, ſed et plurimi, ad Senatorios honores evecti, aut ad Curiam vocati Provincialem aut Urbicam. Ex hoc fuerunt numero, quos Parentes et Avi noſtri viderunt, HUGO GROTIUS, Fratres PITHOEI, CORNELIUS VAN BYNKERSHOECK, WILHELMUS VAN LOON. Ex hoc, quos etiamnunc miramur, WILHELMUS PAUWIUS, FRANCISCUS RYGERBOSSIUS, S. H. AB IDSINGA, GERARDUS MEERMANNUS, CORNELIUS VALERIUS VONCKIUS. Ex hoc, qui uterque delatos ſibi honores Profeſſorios recuſarunt, HENRICUS BRENCMANNUS, et HERMANNUS NOORDKERKIUS. Qui profecto Viri ſapientiſſimi et doctiſſimi, ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, nunquam ſe ad ejus ſtudium contuliſſent.

Horum ego praeſtantiſſimorum Virorum monumenta dum quotidie intueor, non ad legendum tantum, verum etiam ad imitandum, ea mihi propoſita eſſe exiſtimo.

Quod ſi praeter ſpem meam accidat forte, ut obſervationum aliquam, quas hic exhibui, ab aliis dudum occupatam deprehendas, ita tecum cogites velim, inſcio id et invito me factum fuisſe, quippe qui liquido affirmare poſſim, illud me in primis dediſſe operam, ut ne eadem, quae ab aliis ante me dicta fuerunt, pro meis repetam, nihil pejus exoſus, quam ſucorum ingenium.


De Ulpiani fragmentis, itemque Collatione Legum Moſaicarum et Romanarum, aut Notis, quae dicenda habui, in commentariis ipſis expoſui. Hoc unum addo, confectam videri memoratam Collationem ea aetate, qua jam in barbariem vergere coepit Romani ſermonis decus. Aetas autem ea fuit, qua antiquorum ſcripta in compendium redigentes, ſui ſaeculi verba interpolabant: quo de more latius exponit Salmaſius *in Praefatione Ampelio praemiſſa*.

Repertia fuit Petri Pithoei editio anno CIƆIƆCIII. in Bibliopolio Commeliniano, additis notis ejus emendatioribus, cui adjecta *Theodori Bezae*, Theologi praeſtantiſſimi, *Lex Dei moralis, ceremonialis, et politica*, cujus libri copiam mihi fecit Vir utrius-

que

que linguae ac juris peritissimus, atque amicitia mecum conjunctus, Petrus Bondam. Inserta quoque est Collatio haec una cum Pithoei notis emendatioribus *Criticorum Sacrorum tomo* 1. *part.* 2. *tractat. penult.* Has, variasque alias editiones commemorat Fabricius *in Biblioth. Lat. Vol.* 1. *pag.* 809. *sq.*, et *Vol.* 3. *pag.* 804., quibus locis et de auctore illius inquirit.

Ea, quae scripsi in Observationum libelli capitibus I. III. IV. V. VI., jam ante a me publico proposita fuisse scias in Dissertatione mea inaugurali, quam Franequeranae Academiae valedicturus in lucem protuli anno MDCCLIV., additis haud paucis, nonnullis etiam detractis, quae res mea ferebat.



INDEX

INDEX EORUM,

QUAE HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

TITULI

T I T U L I
EX CORPORE ULPIANI
X X I X.

S I V E

F R A G M E N T A

Quae supersunt,

EX DOMITII ULPIANI LIBRO SINGULARI REGULARUM.

Cum Notis

JOANNIS CANNEGIETERI.

„ Manifeſtum eſt in retexenda veterum ... ſententia eos
„ occurrere nodos, qui vix ac ne vix quidem ſolvi a nobis
„ poſſunt; ... ideoque conjecturas potius eſſe, quam res
„ compertas.... Mirum eſſet, niſi quis in tantis tenebris
„ ſubinde erraret; at, quo majus eſt errandi periculum,
„ eo nos errantibus oportet eſſe aequiores.

Jo. Clericus in Art. Crit. Vol. I. *in fine.*

(a) TITULI
EX (b) CORPORE (c) ULPIANI.
TITULUS I.
De Legibus et Moribus.

(a). *Tituli.* Exstat fragmentum hoc (ne de anterioribus editionibus repetam quae dudum alii notarunt) In *Jurisprudentia Antejustinianea*, quam collegit, et in lucem produxit Vir Celeberr. Ant. Schultingius, *pag.* 537. *sq.*, nec non in *Thesauro Juris*, quem haud ita pridem in publicum usum protulit Vir Ampliss. Gerh. Meerman, *Tom.* 6. *pag.* 741. *sq.* Secutus ego fui textum a Schultingio propositum, quem ipsum expressit quoque Meerman, si a paucis discesseris, quae ad exemplar editionis alterius Lud. Charondae, quod referebat scripturam optimi codicis MS. Steph. Auredani, emendatiora exhibuit, quae pleraque repraesentavit jam Schultingius *l. c. p.* 938. quorum mentionem suo quoque loco, si quid res desiderare videbatur, injecimus.

(b) *Corpore.* Desumtos hos titulos, aut superesse potius ex libro Regularum singulari certissimis argumentis constat.

Reliquias autem has totas quantas ipsius Ulpiani esse, ac neque ab Aniano, neque ab alio quovis Aniani simili compilatore commaculatas existimo; in alia licet omnia discedant, quotquot fere sunt hilarioris famae Jurisperiti, unum forte si exceperis Jac. Gothofredum, qui ad *Legem un. C. Theod. de Respons. Prudent. Titulis* inquit *Ulpiani ex libro singulari Regularum interpretem* Anianum *manum non admovisse verosimile est, adeo pura puta sunt Ulpiani.* Ab Aniani manu tamen superesse hoc fragmentum idem scribit in *Manuali Juris.* Mihi vero ne Aniani quidem beneficio ad nos transmissa esse haec antiquitatis monumenta est persuasissimum. Ea enim certa stare videtur sententia, futurum fuisse, ut, si Anianus et hunc Ulpiani libellum commaculasset, eo modo in ipso versaretur, quo versatus fuit in caeteris, quae ab eodem sunt tractata, veterum Commentariis. Gregorianum designo et Hermogenianum Codices, Caji Institutiones, excerpta ex Papiniano, quae desiderantur, et Pauli Sententias, ac, sicuti in his, quae illorum nomine circumferuntur, laciniis continuo manifestatur interpretis istius manus, ita quoque, si idem instituisset in eo, quo de cum maxime disputamus, opere ut idem appareat necesse est. Contra vero ipsum Ulpianum auctorem refert purissima ubivis, elegantissima, et antiquitatem genuinam repraesentans oratio, quam et ipse in eo agnoscit Schultingius. Deinde quam clarissime, nisi me fallunt omnia, elucescit, Anianum libro huic Regularum operam suam non adhibuisse, quandoquidem eo loco, ubi laborum suorum exhibet catalogum, eo, inquam, ipso loco, quo et Ulpiani nostri in praecedentibus meminerat, Fragmentum hoc non memorat, silentio profecto non praetermissurus, si et id delibasset, aut in compendium redegisset. Evolve sis interpretationem ejus ad *d. L. un C. de Resp. Prud.* Longissime itaque anteponendum esse opusculum hoc unusquisque perspicit caeteris, quae in Jurisprudentia Antejustinianea continentur, veterum ICtorum reliquiis, foede et misere adeo contaminatis, ut Cajum in Cajo, Paulum in Paulo saepissime quaesierint interpretes, ita denique interpolatis, ut, ubi Quiritium jus antiquum te doceri putes, barbararum gentium consuetudines, si penitius investiges, tibi obtrudi comperias. Quid quod praeferendum esse libellum hunc ipsis, quae in vastissimo Digestorum pelago supersunt, ICtorum responsis, jure existimare posse videar? Haec enim a Tribo-

 niano,

niano, caeterisque Pandectarum architectis vitiata, interpolata, et prout sui temporis ratio flagitare videbatur, varie mutata esse nemo quisquam ignorat.

Fragmentum hoc ita permultis mendis scatere affirmat Joannes Tilius, ut in publicum edendum esse vix videri posse arbitratus fuerit; Dubites autem, utrum majorem gratiam a Jurisprudentia inierit Tilius, ex latebris, quibus adhucdum occlusus jacuerat, proferendo hunc thesaurum, an plus utilitatis praestiterint Triumviri egregii, qui notis perpetuis librum hunc illustrarunt, Jacobus Cujacius, Vir maximus, quem summa juris doctrina immortalem fecit, Ludovicus Charondas, singulari eruditione et praeclaris scriptis celebratissimum nomen, et Antonius Schultingius, Gelriae, meae patriae, decus unicum; qui merito suo, quod de Roma Augustus solebat, jactare potuerint, ex lateritio marmoreum se reliquisse hoc monumentum. Plurimum quoque est quod debet Jurisprudentia Viro Amplissimo Gerhardo Meerman, qui Fragmentum hoc castigatius denuo inprimi curavit, additis animadversionibus suis elegantissimis, adjunctis quoque notis Petri Fabri, Viri praestantissima juris scientia cum paucis conferendi; Plus debuisset Meermanno, Viro ad bonas litteras promovendas nato, Musarum Statori, ac Doctorum Maecenati, multis maximisque in Rempublicam meritis inclito, si per negotia ipsi licuisset absolvere Commentarios, quos inchoavit.

In describendo hoc opere, uti fere usu venit in membranis antiquissimis omnibus, librarii saepissime coecutierunt, cum aliis erroribus inducti, tum praecipue notarum ignorantia identidem lapsi; Haec causa est, qua me impulsum sensi, ut notarum adjumento in extricandis locis difficilioribus in primis usus fuerim, probe edoctus veterum Ictorum scripta innumeris jam olim sigils fuisse refertissima. Addo quoque probabiliorem conjecturam non fieri, quam quae hoc fundamento nititur, sed ita demum, si fines prudenter regas. Verum de his alias uberior disputandi locus dabitur.

(c) *Ulpiani.* Domitium Ulpianum titulorum horum auctorem esse extra omnem dubitationis aleam est positum. Jurisconsulti hujus vitam tradidere Joannes Bertrandus, Gulielmus Grotius, Bernardinus Rutilius, et Jan. Vincent. Gravina, quibus adde orationes binas Jac. Lectii *de vita et scriptis Domitii Ulpiani*, quas Thesauro suo inseruit Ampl. Otto *Tom. I. p.* 51. *sq.* Sanctitatem vitae morumque integritatem eleganti stilo delineavit Vir Consultiss. J. C. van Wachendorff in *Dissertat. de Principe legib. soluto* §. 2. *et* 8. Confer G. H. Ayreri programma *de trutina verae et simulatae philosophiae Icti*, quod exstat inter opuscula ejus *tom.* 2. *p.* 381. Gotfridus quoque Mascovius brevi quasi in tabella vitam ejus depinxit, et neutri parti, Sabinianorum puta aut Proculejanorum, tenacissime obstinateve adhaerentem ereiscundis accenset, in *Diatriba de sectis Icterum cap.* 8. Titulos quibus suo merito fuit honoratus Ulpianus recenset Val. Forster in *Historia. Juris lib.* 2. *cap.* 77. Confer de iisdem Henr. Cannegieterum, Patrem meum venerandum, in *Dissertatione de aetate et stilo Aviani cap.* 6. Omnium fere domesticarum, externarum, peregrinarum, atque etiam exoticarum rerum usu et cognitione callentissimum fuisse Domitium ostendit Polletus in *Historia fori Romani lib.* 5. *p.* 455. Stilum ejus ab Hebraismi nota, quam inusserant scioli nonnulli, rectissime vindicat Heineccius in *Hist. Juris lib.* 1. §. 336. *sq.* Hellenismos tamen, et dictorum stribliginem quandam agnoscit. Ac sane singularia quaedam vocabula ab eo adhibita notat Vir Cl. C. A. Duker in *Opuscu. lis de Vet. Ictor. Lat. p.* 322 *et* 392. Christianis infestissimus hostis exstitisse vulgo creditur Ulpianus. Vid. Balduinus *de Edictis Principum Rom. de Christianis p.* 102. Adde Herm. Cannegieterum, Fratrem meum optimum in *Commentario ad Collat. Leg. Mos. et Rom. p.* 311. *sq.* Satisne probatum crimen dubito. Pro Ulpiano dixit, ejusque causam adversus Baronium, caeterosque defendit Cl. Toullieu in Oratione Collectaneis adjecta *p.* 495. Papiniani aemulum fuisse, et cum Juliano eundem fecisse docet Cl. Marckart in *Probab. Lib.* 1. *p.* 38. et Otto in *Papiniano*. De summa qua scripta Ulpiani in judiciis valuerunt, auctoritate egit Jac. Gothofredus *ad C. Th. Tom. I. p.* 33. *sq.* de notis ejus in Papinianum tractat idem *l. c. p.* 36. et *tom.* 3. *p.* 383.

§. 1.

§. 1. *Imperfecta lex est, veluti Cincia, quae supra certum modum donari* prohibet, exceptis quibusdam cognatis, et, si plus donatum sit, non rescindit.

§. 2. Minus quam perfecta lex est, quae vetat aliquid fieri, et, si factum sit, non rescindit: sed poenam injungit ei, qui contra legem fecit: qualis est lex Furia testamentaria, quae plus quam mille assium legatum, mortisve causa prohibet capere, praeter exceptas personas; et adversus eum, qui plus ceperit, quadrupli poenam constituit.

§. 3. Lex aut rogatur, id est, fertur: aut abrogatur, id est, prior lex tollitur: aut derogatur, id est, pars primae legis tollitur: aut

§. 1. Ita ex codicibus MSS. optimae notae §. hunc repraesentat Nobiliss. Meerman: *** *Quae probibet, exceptis quibusdam cognatis, mortis causa plus donare, et, si donatum sit, non rescindit.* Plenius exhibuit Schultingius ex Cujacio, quem tamen ex suo ingenio, ut sensum mutilum suppleret, ea addidisse, quae alia litterarum forma expressa sunt in textu, constat. Quae desiderantur hoc loco in principio Fragmenti, optime, me quidem judice, ac probabili conjectura restituit Meerman, quem secutus totum §. sic reddo: *Imperfecta lex est, quae probibet* et reliqua.

Imperfectarum aliquot legum exempla dedit Cl. H. J. Arntzenius, Adfinis meus conjunctissimus, in *Miscellaneis pag.* 82.

§. 2. De Lege Furia testamentaria ex professo multis egit Cl. A. Wieling in *Lect. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 18. quo loco rectissime Theophilum *ad pr. J. de Lege Falcid.* cum Ulpiano conciliat; eventu enim spectato, perinde est, utrum dicas: *plus legari*, an *plus legati nomine capere, probiberi.*

§. 3. *Lex*, aut dicam potius *leges*, qui secundum analogiam est nominativus antiquus, a *legando* dicta; *legare* autem jubere significasse olim probabile est, hinc in XII tabulis: *Paterfam. uti legassit*, id est jusserit; inde descendit *legatum*, quod est testatoris jussus; desiderabantur enim olim verba directa in testamentis. Diximus de singulis pluribus alibi. Lex rogatur, quando Magistratus, penes quem jus est, populum in comitiis rogat ut jubeat, his verbis: *Velitis jubeatis Quirites.* Ubi jussit populus, lex vocatur et jus, hoc est jussus. Ferri dicitur lex dupliciter, primo, cum promulgatur ea, sive provulgatur, et populo publice proponitur legenda, ut is secum possit statuere, et expendere, jubendane sit lex nova, an antiquanda; dein rogationis die, quo tempore palam ea recitabatur. Convenienter Florus *Lib.* 3. *Cap.* 17. *Aderat promulgandi dies... ausus tamen obrogare de legibus Consul Philippus... per vim latas jussaeque leges. Sed pretium rogationis statim socii flagitare.* Errasse putant Florum interpretes, & *promulgare* dixisse; cum *rogare* aut *ferre* debuerat; quid si Philippum eodem tempore, quo leges Agrarias promulgare, aut referre potius, intituebat Livius Drusus, contrariam legem suam proposuisse credamus? Abrogatur lex, quando populus rogatur, ut jubeat priorem legem tolli. Derogatur, si rogatur, ut pars legis prioris tolli jubeatur; neque quidquam obstat Festus in V. *Obsonitavere*; quin contra idem in V. *Derogare, derogare*, inquit, *proprie est, cum quid ex lege veteri, quo minus fiat, sancitur lege nova; derogare ergo detrahere est.* Idem *exrogare* dictum. vid. Festus in V. *Exrogare.* Subrogat, qui rogat, ut quid legi priori addi jubeatur. Obrogatur, quando rogatur, ut quid ex priori lege mutetur. *Obrogare*, ait idem Festus, *est legis prioris infirmandae causa legem aliam ferre: Abrogare infirmare* exponit idem; ca-

dem

aut subrogatur, id est, adjicitur aliquid primae legi: aut obrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege.

§. 4. Mores sunt tacitus consensus populi longa consuetudine inveteratus.

demne ergo sunt ex Festi sententia *abrogare* & *obrogare*? Existumem potius scripturae vitio laborare locum, reponendumque: *legis partis*, aut *legis prioris partis*, quamvis et dici possit infirmari lex, quando non tota, sed pars ejus tollitur. Negandum tamen non est, distinctiones propositas non anxie admodum a veteribus fuisse observatas; *abrogare* saltem et *obrogare* verba saepenumero inter se permutata constat, sive id scribentium incuriae tribuas, sive librariorum erroribus accenseas. Consule Cl. Duker *ad Flor. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 4. adde H. J. Arntzenium *d. l. pag.* 88. *sq.*

§. 4. Eleganter Julianus in *L.* 32. §. 1. *D. de Legib. Inveterata* inquit *consuetudo pro lege non immerito custoditur. Nam cum ipsae leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptae sunt, merito et ea, quae sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes; nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis?* Hinc uti νομος apud Graecos, ita *jus* et *lex* apud Romanos de consuetudine haud raro usurpantur. Vid. Frater *in Dissertatione ad locum Nonii pag.* 7.

TITULUS

De Libertis.

§. 5. Libertorum genera sunt tria, cives Romani, Latini Juniani, dedititiorum numero.

§. 6. Cives Romani sunt liberti, qui vindicta, censu, aut

§. 5. Quae fuerint solemnia manumissionis verba, et cur ea in usu esse desierint, inquirit Guil. Forner. *Select. lib.* 1. *cap.* 5. *in Thes. Otton. tom.* 2. *pag.* 9 *sq.* de formula *abi quo lubet*, *abi quo voles* v. Parens optimus ad *Avian. fab.* 37. *v.* 18. de manumissione in ecclesiis fieri solita egit idem Forner. *l. c. cap.* 4. de ea quae Longobardis in usu fuit, per arma facta, consule Coler. in *Parerg. cap.* 7. *in d. Thes. tom.* 1. *pag.* 360.

§. 6. In Fragmento Regularum veteris Icti, (a Schultingio exhibito *in Jurisprud. Antejust. pag.* 803.) quod Ulpiano nostro a nonnullis adscribitur, de quo tamen est quod vehementer equidem dubitem, siquidem, qui utriusque stilum confert, nae is distare utrumque multum inter se agnoscat necesse est; nisi tamen auctore Jac. Gothofredo credas, a Dositheo ex Latina in Graecam, ac denuo deinceps ex Graeca in Romanam linguam illud esse translatum, eamque, quam hodie possidemus, Latinam postremam esse versionem; quae quidem conjectura, quanquam non omni veri specie carere videatur, in his tamen, utpote plane incertis, definire nolo, transeoque potius in eorum subsellia, qui non liquere ajunt. Pluribus de eo egit Ampl. Meerman *in Animadvers. Crit. ad Instit. Caji pag.* 11. et *in Thes. tom.* 6. *pag.* 742. nec non Vir Nobiliss. M. Rover, qui Graecum juxta ac Latinum textum libelli hujus de juris speciebus

aut testamento, nullo jure impediente, manumissi sunt.

§. 7.

ciebus ac manumissionibus pleniorem edidit, notisque suis elegantissimis instruxit. Lacerum est fragmentum, atque in multis locis scripturae corruptissimae, an et Latinitatis depravatissimae, quod statuit Schultingius *ad Coll. Leg. M. et R. tit.* 8. §. 7. dubito; describentium certe, non auctoris errori, quod peccatum est imputo. Magni tamen faciendas esse has quaelescunque reliquias juxta cum Cel. Schultingio existimo, quandoquidem continent illae verissima, et nulli alii tradita juris argumenta.

In eo, inquam, Fragmento antiquus ille, quisquis is sit, Jurisconsultus, id, quod dixit Ulpianus *vindicta, censu, aut testamento* his verbis effert in §.6. *vindicta, vel testimonio, vel in censu. Testamento* rescribendum clamas, adjuvant Graeca, textusne dicam an versio nescio, in his enim est *κατα διαθηκην*, optime, testamentum enim hic intelligi certo certius est. Analogiam si sequamur, *testimonium* pro *testamento*, *testamentum* pro *testimonio* adhiberi posse defendere liceret, an auctoritatis suppetat sufficientia, in utramque partem disputarunt interpretes *ad Collat. Leg. Mos. et R. tit.* 8. §. 7. quorum notas compilare non lubet. Diffiteri tamen nolim equidem pedibus me descendere in doctissimi viri P. Pithaei sententiam, vindicantis *testamenti* significationem, qua pro *testimonio* vocabulum illud adhibeatur. Quae Ulpianus apud Pariatorem in *Collatione l. c. testamenta* nominat, idem Ictus *testimonia* appellat in *l.* 9. §. 3. *D. de Lege Corn. de falsis*, quicquid dissentiant alii, quorum plerorumque conjecturas de loco allegato recenset Frater carissimus *in Commentario ad d. Collationem pag.* 203. *sqq.* qui et probat, promiscue in Codicibus Manuscriptis occurrere haud raro *testamenti* ac *testimonii* voces; Confer omnino Nob. Rover *ad Fragmentum Dositbei* §. 6. licet uterque scripturae vitium id esse sibi persuadeant. A nostra parte stat librorum antiquissimorum anctoritas, quibus vim inferre temere non licet; *Testamen* quoque pro *testimonio* usurpari notat Du Fresne *in glossario.* Ad rariorem hac notione vocis usum provocant adversae partis patroni; quid si et hoc persuasisse concedamus? Nullus temere inficias eat, plerosque scriptores habuisse verba sibi quasi propria, aliis non item usitatissima; ne de Sallustio memorem, aliisve eo antiquioribus, ex Jurisconsultis exempla plurima allegat Ant. Augustinus *in Emendationib. lib.* 2., ut alia taceam, *geno* pro *gigno*, *visso*, *usso*, reliqua. Julium Paulum eo nomine ab injuria Criticorum defendit egregius Ictus F. C. Conradi *in Parergis pag.* 507. *sq.* Variaque ostendit ab ipso usurpata vocabula, quae frustra apud alios scriptores quaeras; de Ulpiano dixi supra, abstineo pluribus, quum otium in his fecerit Cl. Dukeri diligentia *in opusculis de Latinitate Veterum Ictorum.* Ea quae non satis probatae Latinitatis in fragmentis Prudentum inveniuntur, compilatoribus adscribenda esse existimat Consultiss. Noordkerk *Obs. dec. pag.* 88. Quod de Paulo dixi, in memoriam revocat rescriptum vere aureum ac laudabile, ab illo citatum in *l.* 7. §. 3. *D. de bonis damnator.* huc autem loci convenientissimum, siquidem et ibi *testamentum* pro *testimonio* dictum puto. Ita Divus Adrianus: *Favorabilem apud me causam liberorum Albini filiorum numerus facit, cum ampliari imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia malim, ideoque illis paterna sua concedi volo, quae manifestabunt* TOT *possessores, etiam si acceperint universa.* Illustriss. Bynkershoek *in Obs. lib.* 2. *cap.* 16. scribendum ait: *Manifesta dabunt.* Cel. Conradi *in Parerg. pag.* 107. pro *tot tota* corrigit. Ampliss. Van de Water mavult: *manifeste habent.* Aliorum conjecturas ipsi addiderunt. Adjuvandam potius, quam emendandam legem arbitror, *Tot* interpretor *testamento*, edoctus a Magnone, qui *testamento* olim per TOT notam expressam scribit. Jubet Imperator possessores filios *testamento*, hoc est testimonio suo, manifestare, id est indicare fisco bona paterna singula, ut primum constet de summa pii Principis benignitate ac

§. 7. Vindicta manumittuntur apud magistratum, velut Praetorem, Consulem, Proconsulem.

§. 8. Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romae, jussu

ac clementia, qui amplissimum patrimonium fisco debitum ex mera gratia, exemplo raro ac summopere praedicando, concesserat filiis damnatorum, tum deinde, ut, si indignos atque ingratos erga Imperatorem se gererent filii, fiscus repetere posset, ac tanquam indignis possessoribus bona indicata auferre. Voluit Adrianus, ut, licet universa acceperint bona filii Albini damnati, singuli tamen suas partes, quas consecuti fuerant, aut, si indivisa possideant, omnia bona indicent fisco, ut ex hac tradita bonorum serie instrueretur fiscus, si quando ea vindicanda forent.

§. 7. Solennitates in manumissionibus olim frequentari solitae paulatim in usu esse desierunt. Hinc necesse non fuit Ulpiani tempore, ut a Praetore pro tribunali sedente fieret manumissio, verum semper, et vel in transitu, expediri ea poterat v. §. 2. *J. de Libertinis*; imo ne quidem lictoris praesentia requirebatur, Theoph. *ad J. lib.* 1. *Tit.* 5. §. 2. ibique Scholiastes; idem tradidere Cajus et Ulpianus in *l.* 7. *et* 8. *D. de manumiss. vind.* quid quod Constantini M. tempore per lictores facta fuerit manumissio? testatur Hermogenianus in *l.* 23. *D. eod. Manumissio per lictores hodie, domino tacente, expediri solet, et verba solennia, licet non dicantur, ut dicta accipiuntur.*

De eo quaeritur, an apud legatum Proconsulis manumitti possit? affirmat Paulus in *l.* 17. *D. De Manumiss. vind. apud Proconsulem, postquam Urbem egressus est, vindicta manumittere possumus; sed et apud legatum ejus manumittere possumus.* Negat Martianus in *l.* 2. §. 1. *D. de Off. Proconf. apud legatum vero Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem.* Admittendam non esse crisin Cujacii, substituentis *non possumus*, duriorem sane ac Cujacio indignam, quivis intelligit. Lenior est, nec tamen, ut puto, necessaria emendatio Burgii in *Elect. cap.* 2. *in Thes. Ott. tom.* 1. *p.* 313. qui pro *ejus* reponi vult *Caesaris* ob *l.* 7. *D. eod.* Rectius, me quidem judice, Pauli verba interpretati sunt illi, qui addiderunt *ex quo Provinciam ingressus est*; quod glossema, licet in textum minime recipiendum, optime conciliat leges alioqui contrarias. Potest itaque manumitti apud Proconsulem, postquam urbe egressus est, apud legatum ejus non ante quam provinciam ingressus est. Confer Charondam *Verosim. lib.* 1. *cap.* 3. *l. c. p.* 688.

§. 8. Iis, quae de censu hoc loco proponit Auctor, addi velim Icti veteris tractatum ampliorem in §. 17. fragmenti modo laudati: *Et qui in censum manumittitur, si triginta annos habeat, civitate Romana potitur. Census tamen Romae agi solet. Census autem lustro conditur. Est autem lustrum quinquennale tempus, quo Roma lustratur. Sed debet hic servus ex jure Quiritium manumittensis esse, ut civis Romanus fieri possit. Magna tamen dissensio inter Prudentes, utrum eo tempore vires accipiant omnia, in quo censu, an eo in quo lustrum conditur; existimant enim censum descendere ad diem lustri, non lustrum decurrere ad diem census: Propterea quaesitum est, quia omnia censu aguntur, lustro confirmantur. Sed in civitate tantum Romana censum agi declaratum est, in provinciis autem magis professionibus utuntur.* De verbis haec paucis habe: pro τοις *in censum manumittitur* mirari subit Viros magnos emendandum inibi censere *in censu*, cum vulgatissimum sit in jure *in* praepositionem promiscue poni cum quarto et sexto casu; quis nescit tritissima illa *in manum, in potestatem esse*, aliaque, quae utramque paginam faciunt? *qui in potestatem fuerunt* noster dicit infra *tit.* 28. §. 8. *pars in hereditatem remanebat tit.* 24. §. 13. neque vero juris auctoribus hoc proprium putes, verum aliis quoque, iisque probatissimis scriptoribus antiquis familiare id fuisse exemplis pluribus dudum demonstravit Pater optimus *in dissertat. c. cap.* 19. utrisque frequen-

jussu dominorum, inter cives Romanos censum profitebantur.

§. 9. Ut testamento manumissi liberi sint, lex duodecim Tabularum facit, quae confirmat quod datum legatum est *****.

§. 10.

quentissimum ejus usum illum fuisse docuerunt Cl. Marckart *Prob. lib.* 1. *pag.* 101. *et alibi.* Vir Illust. C. V. Vonck *in spec. crit. p.* 40. Cl. Duker. *l. c. p.* 350. *sq.* Consultiss. Noordkerk *in Obs. dec. pag.* 72. Confer Gell. *lib.* 17. *cap.* 2. Hellenismis usum hunc accenset Vechner *in Hellenol. pag.* 164. Adde Jensium *in Strictur. ad D. pag.* 1., et in *demonstratione Stricturis praemissa pag.* 14. Rationem, quam addit Vir alioquin non indoctus, tribuendam puto errori ejus, quem dudum exploserunt ae debellarunt eruditiores, Romani juris Pandectas et Codicem, quibus hodie utimur, ex Graeca in Latinam linguam esse translatos. Quod autem attinet ad verba *l.* 2. §. 31. *D. de Orig. juris*, de quibus tractat Jensius *l. c.* ubi *magistratibus inconveniens* fuisse ait Pomponius *vespertinis temporibus in publicum esse*, interpretari possis *in publico*, aut, si id mavis, legas *isse*, hoc est ivisse, ire. *Esse* et *ire* vocabula saepissime inter se confundi solere pluribus probavere litteratorum principes C. A. Duker *ad Flor. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 17. *et lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 9. et P. Burmannus *ad Poët. Lat. Min. vol.* 1 *pag.* 589. Redeo ad Fragmentum: *Census tamen Romae agi solet*; nullus dubito scriptum fuisse: *census tantum*; in fine enim ejusdem §. addi vides: *sed in civitate tantum Romana censum agi declaratum est.* Praeferoque illud Graeco δὲ; iisdem notis utraque vox perscripta, confer Magnonem et Petrum Diaconum; hinc frequentissima earum permutatio, vid. Vir Egregius J. Arntzenius *ad Plin. Paneg. pag.* 44. *et* 48. et *ad Aurel. Vict. pag.* 217. Adde Cl. Duker *ad Flor. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 25. quo loco de eo inquirit, an *tamen* pro *tantum* usu loquendi veteribus adhibito accipi debeat. *Tantum* pro *tamen* perperam quoque legitur apud Paulum *Sentent. lib.* 3. *tit.* 4. § 10. *plures quam septem ad testamentum adhibiti non nocent; superflua enim facta prodesse juri tantum, nocere non possunt.* Scripturae vitium indicant, non tamen medentur Interpretes; rescribendum existimo: *l. tm. nocere nq. possunt.* Auctoribus Valerio Probo et Diacono ita explico: *interdum, tamen nocere nunquam possunt.* Imposuit librariis similitudo notarum *interdum* et *jure* significantium. Ulpiani haec de censu dicta erudite haud ita pridem adversus Mercerium defendit, ibidemque de tribus, quae censu olim, vindicta, et testamento fieri consueverunt, manumissionum generibus, singularia nonnulla in medium produxit Athenaei Zutphaniensis Antecessor, Vir longo amicitiae usu, jam quoque affinitatis vinculo mihi conjunctissimus H. J. Arntzenius *in Observat. Specim. cap. XI.*

§. 9. Asterisci additi multa desiderari in exemplari vetustissimo significant. Lacunam, quam hoc loco statuunt Interpretes, alii pluribus, alii paucioribus ex ingenio plerisque supplent. Certum videtur ex iis, quae ex editionibus et codicibus MSS. optimis docuit Ampl. Meerman *l. c. pag.* 741. *sq.* verba *quod datum legatum est* ad §. hunc 9. non pertinere, sed prima ea esse hujus Fragmenti.

Periculum faciamus nos, an hujus atque insequentis §. verbis, duabus tantummodo additis litterulis, quae ex textu exciderant, remoto omni hiatu, interpretationem sat commodam applicare valeamus. Ita rescribo: *Ut testamento manumissi liberi sint, lex XII. tabularum facit PR que confirmat.* PR notam *Praetorem* designare nullus quisquam nescit, inserui eam, ne et originem et confirmationem legibus Decemviralibus tribuerem, quod absonum videtur. Quam autem dicit Auctor, lex XII. tabularum plenissimam dedit facultatem de rebus suis disponendi; ipsa ejus verba exhibet noster *tit. XI.* §. 14. quo loco offendit Interpretes vox *rei*, quandoquidem manifestum est, tutelam non rerum esse, sed personarum. De significatione verborum consulendi illi, quos ad partes vocat Nob. Meerman in egregia dissertatione *de rebus mancipi et nec manc. sect.* 112.

 nec

§. 10. ** Hodie autem ipso jure liberi sunt ex lege Junia, qua lege Latini sunt nominati inter amicos manumissi.

nec non *ad Ulpian. d. l.* adde Funccium *de Legib.* 12. *tabb. pag.* 220. *sq.* Difficultatem omnem remotam arbitror, si mecum ita scriptum existimes: *Paterfamilias uti legassit super pecunia, tutelave, suave re, ita jus esto.* Opponat forte quispiam *l.* 53. *pr. D. de V. S.* ubi haec citantur legis verba: *super pecuniae tutelaeve suae*, itemque *l.* 120. *D. eod. uti legassit suae rei, ita jus esto.* Verum nec ignorant dupondii, imo quotquot vel a limine legitimam scientiam salutarunt, brevitatis studiosos Jurisconsultos, si quando legis, edicti, aut alterius juris speciei partem aut fragmentum memorant, atque allegant, ad rem, quam tractant, magis solere attendere, quam ad verba ipsa, indeque fieri, ut ipsum fragmenti textum exhibuisse eos minime sit certum. Unicum in re vulgatissima sufficiat attulisse exemplum. Tertio capite legis Aquiliae caveri ait Ulpianus in *l.* 27. *D. ad Leg. Aquil. quanti ea res erit in diebus triginta proximis*, idem in *l.* 29. §. *ult. eod. haec verba*, inquit, *quanti in triginta diebus proximis fuit.*

Praetor confirmat libertates testamento datas. Quod si tamen pertinaciter cum Cujacio retinendum statuas hoc loco *quod datum legatum est*, intellige legatum libertatis testamento datae. Praetor, quoties ea de re quaestio incidit, status forte mota controversia, confirmat libertates; idem quoque quotannis in edicto suo ca de re proponit. Hinc favere libertatibus dicitur Praetor in *l.* 3. §. 1. *D. de Alienat. jud. mut. caus. fact.*, adde §. 6. *Fragmenti Regularum*, quo de mox disputabimus, et §. 12. *ibid.*

§. 10. Nihil quidquam hic loci deesse arbitror; modo ita distinguas: *Hodie... Junia, qua lege Latini sunt nominati, inter amicos manumissi.* Eos, qui inter amicos sunt manumissi, ipso jure liberos esse tradit Ulpianus *ex lege Junia*, hoc est post latam legem Juniam, vel secundum sententiam legis illius, quae lex Latinos nominat hujus generis libertos. Ante legem Juniam quo jure habiti fuerint inter amicos manumissi si quaeras, haec accipe; non liberi hi censebantur, sed domini sui arbitrio ac voluntate in libertate morabantur, re vera imaginariam tantummodo libertatem consequebantur, hoc unice potiti commodi, ut in servitutem revocari non potuerint, imo servi manebant. Quid quod eo audaciae processerint manumissores, ut in servitutem eos denuo per vim ducere aliquando sustinuerint; neque tamen id permittebat Praetor, aequitatis vindex, libertatis fautor, hic enim interveniebat, et quo minus manumissi tales servire cogerentur, vim fieri vetabat. Miretur procul dubio quisquam, manumissos servos manere, en rationem: una olim fuit libertas legitima, vindicta puta, censu, vel testamento comparata, aliter manumissos lex ignorabat. Dedi sensum verborum Icti veteris in *Fragmento Regularum* §. 6. quae, licet plura, adscribere cogor, ut locum corruptum vitiis purgem. *Primum ergo videamus, quale est, quod dicitur, eos, qui inter amicos veteres manumittebantur, non esse liberos, sed domini voluntate in libertate morari, et tantum serviendi metu dimitti; antea enim una libertas erat, vindicta, vel testimonio, vel in censu: et civitas Romana competit manumissis, quae appellatur legitima libertas: hi autem qui domini voluntate in libertate erant, manebant servi, et manumissores audebant in servitutem denuo eos per vim ducere; interveniebat Praetor, et non permittebat manumissum servire.* Amplius dico, manumissus talis omnia acquirebat, tanquam servus, manumissori suo. vid. §. 7. *eod. omnia tamen tanquam servus acquirebat manumissori, vel si quid stipularetur, vel si per scripturam acceperat, vel ex quacunque causa alia acquisierat; domini hoc faciebat, hoc est manumissi ad patronum pertinebat.* Pluribus materiam hanc omnem de lege Junia Norbana, de conditione libertinorum Junianorum, de Latinis Junianis, itemque de statu eorum, qui in libertate morabantur, exposuit Pater optimus in tractatu *de Nominibus cap.* 8. qui et hoc aliis indictum observat, manumissionem inter amicos non eam esse, quae vul-

vulgo creditur, amicis adhibitis factam, sed testificatione amicitiae, cum dominus servum suum in amicitiam recipit.

Dixi de jure antiquo, videndum restat de eo, quod *hodie* in usu esse scribit Ulpianus ex lege Junia. *Nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur*, est in Fragmento laudato §. 8. *et dicuntur Latini Juniani, quoniam lex Junia, quae libertatem eis dedit, exaequavit eos Latinis colonariis, qui tunc erant cives Romanorum, et nomen suum in civitatem dederant.* Consentire perspicis utrumque, et, quod paucis proposuit Ulpianus, pluribus exsecutum esse Ictum veterem intelligis. In textu Latino nihil est quod quempiam moretur, Graeca exposuit Ampl. Meerman *ad J. Caji lib.* I. *tit.* I. *in princ. l. c. pag.* 677.

Explicui sensum verborum, ac quam clarissime, ni fallor, demonstravi, nihil quidquam hic loci desiderari, sed plena recta esse omnia in §. 10. Operae pretium me facturum esse existimo, si et maculas, quae in fragmenti verbis supersunt, brevissime eluere laborem.

In §. 6. haec: *qui inter amicos veteres manumittebantur*, ferri non posse unusquisque facile percipit, rescribendum puto: *veteriB.* hoc est *veteribus*, nota Magnoni probata, itemque in Graecis *παλαιοις* emendandum arbitror pro *παλαιους*. Pro *manumissis* per geminationem malim *manumissis iis*, non invita versione Graeca. Pro *interveniebat Praetor* si scribas *interveniebAT*, eadem geminationis ope optime restitues *interveniebat autem*, adstipulante Magnone, adjuvante quoque textu Graeco, qui habet: *παρεγινοντο δε οι στρατηγοι.* Redeo ad Ulpianum.

Ipso jure liberi sunt inquit noster, neque quidquam dissentio, modo tamen adsit seria voluntas domini, quam spectari in iis, qui inter amicos manumittuntur, docet Ictus in *Fragmento Regularum* §. 9. *In his, qui inter amicos manumittuntur, voluntas domini spectatur*, * (supple ex Graeco *L que J.* hoc est *Lexque Junia*) *jubet fieri Latinos, quos dominus liberos esse voluit. Hoc tamen cum ita habeant, debet promissum manumittentis habere dominus. Unde si per vim coactus, verbi gratia, ab aliquo, vel ab uno quoque hominum, manumiserit, non veniet servus ad libertatem, quia non intelligitur voluisse, qui coactus manumisit.* Pro *promissum* alii *propositum*, alii *animum* scribendum esse conjiciunt, verum non ferenda ea esset *ταυτολογια* auctoris, qui in mox antecedentibus voluntatem adesse debere docuerat. Nob. Rover ita corrigendum statuit: *debent voluntatem manumittentes habere, unde si per vim dominus coactus.* Malim sic rescribas: *Hoc tamen*, libertatem puta Latinam, *qui ita habeant* inter amicos manumissi, *debe—t* (hoc est *debent*) *promissum manumittentis habere domini S.* id est *sui.* N. litteram per lineolam hac forma — expressam conspici saepissime in MSS. antiquissimis, etiam in codice Tusco, demonstravit *αυτοπτης* Vir eximiae eruditionis H. Brencman *in Histor. Pandect. lib.* 2. *c.* 3. *pag.* 122. *sq. Qui* et *quum* caeterasque vocis terminationes commixtas olim fuisse inter se ac permutatas alias probabimus, *S* pro *suis* poni testantur notarum scriptores. *Promissum* vox nudam aliquando pollicitationem indicat, nonnunquam quoque solennem sponsionem, intercedente stipulatione, significat; utraque notio ex Cajo clara est in *J. lib.* 2 *tit.* 9. §. 3. *et* 4. adde omnino Ulpianum in *l.* 19. §. 2. *D. de Aedil. edict. promissum autem potest referri et ad nudam promissionem, sive pollicitationem, vel ad sponsum*; ita malo disjunctim vocem postremam collocare, quam cum Haloandro, invitis codicibus, obtrudere *ad sponsionem*. vel conjunctim *adsponsum*, cum *sponsus* vocabulum pro *sponsio* in jure non infrequens sit. Rationem prorsus nullam video, quare promissum tale nudum, vel, quod mihi magis placet, solenne, olim necessarium fuisse inficias eamus. Nullus fortasse, praeter hunc, Ictus illius meminit; propterea tamen veritatem rei istius in suspicionem vocandam non autumem; mille res unus Cicero, unus Gellius, unus Ictus tradit, nulli alii memoratas. Ecquis autem de proscribendis talibus somniet? an autem, quaeso te, absurdum videtur, requisivisse legem Juniam, ut inter amicos, inter pocula, manumissa mancipia, si ad libertatem provocant, nescii forte aut non reminiscentibus dominis amicisque, quid factum fuerit, probare necesse habeant, si quid renitatur domi-

 nus,

§. 11. Dedititiorum numero ſunt, qui poenae cauſa vincti ſunt a domino: quibus veſtigia ſcripta fuerunt: qui propter noxam torti, nocentesque inventi ſunt: quive traditi ſunt, ut ferro, aut cum beſtiis depugnarent.

§. 12. Eadem lege cautum eſt, ut minor triginta annorum ſervus vindicta manumiſſus, civis Romanus non fiat, niſi apud conſilium cauſa probata fuerit: ideo ſine conſilio manumiſſum, ſervum manere putat. Teſtamento vero manumiſſum perinde haberi jubet, atque ſi domini voluntate in libertate eſſet, ideoque Latinus fit.

§. 13. Eadem lex eum dominum, qui minor viginti annorum eſt,

nus, promiſſum re vera intercesſiſſe, ac ſerio rem peractam fuiſſe, ſolenniterque pollicitum fuiſſe herum manumiſſurum ſe ſervum ſuum? Firmant conjecturam noſtram Papiani verba in *Reſponſ. tit.* 43. *Latini aliter intelligi non poſſunt.... quam ſi inter amicos pronuntiante domino ad convivium evocentur, ita ut illis amicis, ubi conveniunt, ſic dominus conteſtetur, eum cauſa Latinitatis ad ſuum adbiberi convivium.* Adde Theoph. *in §. ult. J. de Libertinis.* qui tamen diſtinguit inter manumiſſionem *inter amicos* et *per menſam* factam. Confer Cajum in *J. lib.* 1. *tit.* 1. §. 2. In caeteris autem fragmenti verbis nihil quidquam mutandum cenſeo; *aliquo* accipio *alioquo*, eo puta qui non eſt ſervus, voces autem *alius quis* ſaepiſſime coaluiſſe, et cum *τῳ aliquis* permutari notavit Auctor Obſ. jur. Civ. *pag.* 94. add. Duirſemam *lib.* 2. *Conjectur. jur. Civ. cap. ult. pag.* 270. imo vero cum Cl. Marckarto potius exiſtimem, non errori ſcribentis id imputandum, ſed uſu ita obtinuiſſe credam, ut vocabulum hoc pro *alius quis* fuerit adhibitum. Vide Viri doctiſſimi *Interprett. lib.* 2. *cap.* 13. *Unum quemque hominum* intelligo aliquem ex ſervis, quisquis ille ſit. *Unum* pro *aliquo* non ineleganter uſurpari oſtendit J. Vorſtius *de Latinit. falſo ſuſp. pag.* 4. et alibi. *Homines* ſervos appellari norunt omnes. Contextum Graecum non difficile eſſet ad dictum modum refingere, verum cum neutiquam conſtet, antiquiorem eum eſſe exemplari Latino, adeoque hunc ex illo deſcendere, quin contra Latini codicis lectio in plurimis anteferenda eſſe videatur ſcripturae libelli Graeci, non tanti reor, ut in emaculando eo moras nectam. Latinae libertatis modos aliquot recenſet Merillius in *Obſ. lib.* 6. *cap.* 20. *et lib.* 7. *cap.* 14. add. Aleand. ad Cajum *lib.* 1. *tit.* 1. §. 2.

§. 11. Quae Ulpianus dicit *veſtigia ſcripta*, intelligo *indicia* ea, quae Cajus *in J. lib.* 1. *tit.* 1. §. 3. nominat *ferro impreſſa, ut deleri non poſſint*, quo ſenſu ſi accipias verba, neceſſe non erit, ut cum interpretibus pro *veſtigia* reponas *ſtigmata*, aut cum Cl. Schrodero in *Obſ. Jur. Civ. lib.* 4. *cap.* 4. corrigas *veſtigia inſcripta*, qui idem poëticis phraſibus, juris interpretibus haud raro uſitatis, locutionem hanc accenſet. *Veſtigia* pro notis et ſtigmatis uſurpata notiſſimum eſt, *ſcribere* autem pro *pingere*, *inſculpere* adhiberi docuit Cl. Duker *ad Flor. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 14. Vulgatam lectionem tuetur quoque doctiſſ. Forner. in *Theſ. Jur. Otton. tom.* 2. *pag.* 307. quo loco et de inurendis notis ubere diſputat. Adde quae de lege Aelia Sentia et Dedititiis tradidit Pater *l. c.*

§. 12. Quod lege Aelia Sentia primum conſtitutum fuit, idem Senatusconſulto poſtea, uti factum ſaepiſſime, repetitum confirmatumve fuit; atque ita intelligi oportet *l. un.* § 2. *D. de Off. Conſ. Minor XX annis Conſul apud ſe manumittere non poterit, cum ipſe ſit, qui ex ſenatuſconſulto conſilii cauſam examinat*, qui locus ingenia eruditorum exercuit admodum. Egregie de hoc, ut ſolet, diſſeruit Vir Romani aeque ac patrii juris conſultiſſimus H. Noordkerk *in Obſ. dec. cap.* 1. *et* 7.

§. 13. Recuperatores eodem munere in Provinciis functos fuiſſe, quo Centumviros,

est, prohibet servum manumittere, praeterquam si causam apud consilium probaverit. In consilium autem adhibentur Romae quinque Senatores, et quinque Equites Romani: in provincia viginti recuperatores, cives Romani.

§. 14. Ab eo domino, qui solvendo non est, servus testamento liber esse jussus, et heres institutus, etsi minor sit triginta annis, vel in ea causa sit, ut dedititius fieri debeat, civis Romanus, et heres fit: si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit. Quod si duo pluresve liberi heredesque esse jussi sunt, primo loco scriptus liber et heres fit: quod et ipsum lex Aelia Sentia facit.

§. 15. Eadem lex in fraudem creditoris et patroni manumittere prohibet.

ros Romae, observavit idem *de Lege Petronia pag.* 67. De Praetore, caeterisque magistratibus peregrinis, hoc est qui inter peregrinos judicare solebant, quibus et hi, quos dixi, Recuperatores adnumerandi, plenius egit F. C. Conradi *in Parergis pag.* 7.

§. 14. Quin et sine libertate heres institutus servus nihilominus liber fit, sive non solvendo dominus sive locuples decesserit v. §. 2. *J. qui et ex qu. caus. manum. non poss.* Sapientissimum hoc est ac prudentissimum legis Aeliae Sentiae argumentum, reddo poene Theophili Paraphrasin ad §. 1. *J. eod.*, quo prospectum est, ut isti, qui non solvendo sunt, cum eorum hereditatem adire omnes recusarent, heredem haberent necessarium servum suum, qui debita in solidum solvat, aut, si creditoribus satis fieri non possit, ejus potius heredis bona, quam ipsius testatoris a creditoribus illis possiderentur, dividerentur, vel auctione publica distraherentur; atque ita infamiae omnis, quae alioqui manebat defunctos obaeratos, si ipsorum nomine bona venderentur, immunes essent Manes mortuorum, eoque pacto ignominiam evitaret testator, servus, ignominiae quasi mercedem, libertatem consequeretur; quo factum, ut quicumque facultates suas suspectas habebant, huic unice rei consuluerint, ut servum relinquerent morituri, quem heredem necessarium scriberent. Movit haec causa Dion. Catonem, ut filio praeciperet *lib.* 3. *dist.* 9.

Quod tibi sors dederit, tabulis suprema notato

Augendo servo, ne sis, quem fama loquatur. quo modo distichon hoc restituit, ac pluribus idem exposuit Pater *in Rescript. Boxb. de Cat. cap.* 33. *pag.* 307.

§. 15. Fraudandorum creditorum causa factam manumissionem tanto opere exosi fuerunt Romani, ut, si vel miles ita manumiserit, impediantur libertates, uti est in *l.* 8. §. 1. *D. qui et a quib. man.* Quod vero in principio ejusdem legis dicit Africanus: *cum is, qui sub conditione debet, manumittat fideicommissi causa, lex Aelia Sentia locum habet*, corrigendum statuunt plerique, ac pro *fideicommissi causa* substituunt *fraudandorum creditorum causa*; neque sane negari potest, quod ex Magnone discimus, F. C. notam utrumque significasse antiquitus, *fraudationis causa* et *fideicommissum*, adjuvant praeterea conjecturam memoratam Graeci. Dispunctionem mutandam, legendumque: *cum is, qui sub conditione debet, manumittit, fideicommissi causa lex Aelia S. l. b.* censet Cl. Best *de Ratione emend. leg. pag.* 91. Glossatores *non* interponunt, atque intelligunt de servo alieno legato, cui heres fiduciarius libertatem dare rogatus fuerat. Nescio equidem, an defendi possit lectio vulgata; dubitari poterat, an, si testator, qui debebat, si navis ex Asia veniat, veniente nave, adeoque impleta conditione, solvendo se non esse comperiens, ita, verbi gratia, dixerit in testamento: Titii fidei committo, ut Stichum et Pamphilum servos

meos post mortem meam manumittere velit, locum habeat lex Aelia Sentia necne; dubitandi ratio haec fuit, quandoquidem lex ea de libertate verbis directis data, aut a vivo concessa, tantummodo statuebat, non etiam de libertate fideicommissaria; neque enim in lege Aelia Sentia, quam Augusti Imp. tempore latam refert Dion Cassius, de fideicommissis quidquam caveri potuit, quum ex §. 1. *J. de Fideicomm. heredit.* explorati juris sit, fideicommissa sub Augusto certum jus nequaquam obtinuisse, sed semel duntaxat iterumque ex privilegio ab Imperatore eo fuisse confirmata. Facit tamen ratio juris, ut et in his lex Aelia Sentia locum habeat. *l.* 4. §. 19. *in f. D. de fideicomm. lib.*

Pergo ad Fragmentum Regularum: ita in §. 16. Ictus: *Servum pignori datum civem Romanum facere debitor non potest, nisi si solvendo non sit; Obstat enim libertati lex Aelia Sentia, quae vetat servum foenatorum causa manumissum civem Romanum fieri sed Latinum.* Quod dicitur de servo *foenatorum* vel, ut in aliis est Codicibus, *foeneratorum causa* manumisso, error ortus, credo, ex malo auditu librarii describentis, qui, cum dictaretur: *fraudandorum creditorum causa*, festinans nimium scripsit *foeneratorum causa*; qualis oscitantiae exempla nonnulla congessit Schulting. *in Jurispr. antejust. p.* 636. Caeterum quod addit Ictus, servum fraudationis causa manumissum prohiberi fieri civem Romanum *sed Latinum* ita intelligo: lex *vetat servum* talem *civem Romanum fieri*, *sed* et vetat fieri *Latinum*. Eadem locutione Paulus utitur *Sentent. lib.* 4. *Tit.* 12. §. 1. ubi de servo communi loquitur: *servum communem unus ex dominis manumittendo Latinum facere non potest, nec magis quam civem Romanum.* add. Anianum *ibid.* Vulgatius fere nihil est, quam *sed* et *set* promiscue olim scripta fuisse. *D* enim et *T* frequentissime inter se permutata nemo est qui ignorat. Ita recte pro *sed* reposuerunt, aut interpretati sunt *sed et* alii. Uberius usum hunc probarunt praestantissimi Icti G. Noodt. *Prob. lib.* 1. *cap.* 8. et alibi, et C. Van Bynkershoeck *lib.* 6. *obs.* 18. qui et in ipso Codice Florentino permixta ea fuisse ostendit *lib.* 4. *obs.* 10. *et* 24. Sciens pluribus abstineo, utpote in re certissima. Quid multa? ea exemplorum seges est, tantaque copia, ut propemodum non rescribendum *sed et* aut *set* credam, sed usu obtinuisse statuam, ut *sed* et *set* pro *sed et* ab antiquioribus fuerit adhibitum. Confer Cl. Ott. Arntzenium ad *Caton. pag.* 297. qui et Graecis ἀλλὰ pro ἀλλὰ καὶ dictum observat.

Non tempero, quin huc addam *l.* 29. *pr. D. Comm. divid.* Certi atque indubitati juris est, si quis in rem communem impensas fecerit, repetendas eas esse judicio communi dividundo; quid vero, si quis erravit in persona socii, veluti, si putans rem communem esse cum Titio, postea autem appareat, non Titium esse socium, sed Maevium? neque eo casu denegabitur erranti hoc judicium, si quid is impendit in rem communem. Utilem actionem concedit Ulpianus in *l.* 6. *D. eod.* Paulus inter utilem et directam non distinguit in *l.* 29. *c.* Neque tamen eapropter necessarium esse existumen, ut, quod faciunt nonnulli, *utili* vocabulum in *l.* 6. eliminemus e textu, quandoquidem novum minime est, utiles et directas actiones confundi a Ictis antiquis, adeo ut quod alter *utili* tribuit, alter *directae* vel simplici *actionis* nomine comprehendat; *legitimam actionem*, id est quae ex ipsis legis verbis descendit, appellat Ulpianus in *l.* 5. §. 12. *in f. D. de his qui effud.* Exempla passim obvia non ignorant, qui veterum Prudentum scripta versant; rationem exinde repetendam arbitror, quia idem est utriusque effectus; deinde ipsum Paulum utilem quoque intellexisse actionem, demonstrare videntur verba *huic enim nec communi dividundo judicium competit, nec utile dandum est.* Ad rem redeo. Dixi, errorem in persona socii non nocere. Eleganter hac de re Paulus in *d. l.* 29. *si quis*, inquit, *quum existimaverit, fundum communem sibi cum Maevio esse, quem cum Titio communem habebat, impendisset, recte dicitur etiam communi dividundo judicium ei sufficere, hoc enim est, si sciam rem communem esse, ignorem autem cujus socii; neque enim negotia socii gero, sed propriam rem tueor, et magis ex re, in quam impenditur, quam ex persona socii actio nascitur.* Varias hic difficultates moverunt interpretes in verbis: *neque enim negotia socii gero* etc. Ipsum Pau-

Paulum a se dissentire, et iis, quae in principio tradidit, contraria in posterioribus proponere clamitant nonnulli. *Diversa autem causa est*, sic pergit ibidem Paulus, *ejus, qui putat se in rem propriam impendere, cum sit communis; huic enim nec communi dividundo judicium competit, nec utile dandum est; ille enim, qui scit rem esse communem, vel aliena negotia, eo animo gerit, ut aliquem sibi obliget, et in persona labitur.* Vulgata lectio, si quid video, facili potest negotio defendi, neque hic aut emendationis aut transpositionis auxilium invocandum. Datur eo, quem ante proposui, casu communi dividundo judicium, ratio haec est: *neque enim*, si scilicet in persona socii erro, *negotia socii gero, sed propriam rem tueor*, hoc est: neque enim tantummodo negotia socii gero, (eo etenim in casu non hoc concederetur judicium, sed actione negotiorum gestorum agi oporteret) sed et propriam rem tueor. Apparet itaque, cum et socii, et meam ipsius rem tueor, non posse denegari hoc judicium, siquidem rem communem administrem, ex qua nasci communi dividundo judicium, adeo certum est, quam quod certissimum. Ellipsin *του tantum* vel *solum* non infrequentem esse auctoribus antiquis probatissimis docuit elegantioris jurisprudentiae alumnus Auctor *Obs. jur. Civ. pag.* 19. nec non Vir praestantissima eruditionis laude in primis conspicuus C. A. Duker *ad Flor. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 20. adde Virum doctissimum mihique amicissimum Ant. De Rooy in *Conject. Crit. pag.* 89. Quod autem sufficere dicit communi dividundo judicium Paulus, ita intelligo, ut non opus sit hoc casu actione negotiorum gestorum. Secundam deinde causam probaturus Ictus, quam ob rem communi dividundo actio competat, *et magis*, ait, *ex re in quam impenditur, quam ex persona socii actio nascitur*, hoc est: ex eo potius, quod in rem communem socius impendit, quam ex contractu. Conatus aliorum de verbis his restituendis exhibet Auctor *Obs. jur. Civ. pag.* 97. et Ampl. Bynkershoek in *Obs. lib.* 6. *cap. XI.* add. Jensium in *Strict. pag.* 90. Neque vero plus causae esse puto, quod corrigenda non pauci censuerint verba legis insequentia: *diversa causa est ... Diversa*, vult Ictus, causa est ejus, qui putat se in rem propriam impendere, cum sit ea communis, a causa ejus, qui scit rem esse communem, sed errat in persona socii. Illi enim, qui putat rem esse propriam, neque communi dividundo judicium competit, neque utile est dandum, quod tamen conceditur ei, qui scit rem esse communem, atque errat in persona socii, quo de dictum fuerat in antecedentibus; is enim, qui scit rem esse communem, vel aliena negotia, hoc est, et qui scit aliena esse negotia quae gerit, (qua significatione *vel* usurpari saepissime docet Val. Gul. Forster in *Obs. subs. lib.* 1. *cap. ult.*) eo animo gerit, ea scilicet negotia, vel rem, ut aliquem sibi obliget, et in persona labitur, contra quam obtinet in eo, qui putat rem esse suam, hic enim sibi gerit, neque errat ille in persona, sed in re, eamque propter causam actio haec ei denegatur. Possis et, si ita mavis, *enim* in his: *ille enim qui scit*, interpretari *autem*, phrasi Ictis non infrequenti. V. Forster *l. c.* Ita quoque explicanda verba *Fragmenti Regularum* §. 15. *tunc enim peragi intelligitur.* vid. ibi Schultingius. Restituamus et voculas *sed et* Ulpiano nostro in *l.* 1. §. *ult. D. de Verb. oblig.* ab aliis male conglutinatas. *Et scriptura Sabini, sed et verum patitur, ut omnis sermo contineat verborum obligationem.* Van de Water in *Obs. lib.* 3. *cap.* 12. corrigit *sedet et.* Leoninus *putatur* mavult pro *patitur*. Nil quidquam mutandum arbitror. Sabinus scripsit, et verum est, omnem sermonem, sive Romana, sive Graeca, sive Poena, sive Tusca, aut quacunque demum lingua prolatum, continere verborum obligationem, vereque ac legitime obligari, quisquis ita inter se fuerit stipulatus, dummodo uterque linguam illam intelligat. Ex Sabini scriptis non tantum hoc, quod proposuerat, probari contendit Ictus, sed et veritati omnino esse consentaneum, pati nos debere, quocunque sermone contrahi obligationes. Si quid tamen corrigendum instes, possis pro *et scriptura* reponere *est scriptura*. *Patitur* vocem refero ad ea, quae modestiam Jurisconsultorum veterum arguunt, idemque significare puto, quod minus blando vocabulo effertur alias *vult*, aut *jubet*.

Re-

§. 16. Qui tantum in bonis, non etiam ex jure Quiritium servum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis tantum alicujus servus est, velut hoc modo: si civis Romanus a cive Romano servum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure cessus, neque ab ipso anno possessus sit: nam quamdiu horum quid fiat, is servus in bonis quidem emptoris est, ex jure Quiritium autem venditoris est.

§. 17. Mulier, quae in tutela est, item pupillus et pupilla manumittere non possunt.

§. 18.

Reliquum est, ut, quae de servo oppignorato in medium produximus, verba Icti in *Fragmento Regularum* §. 16. restituere allaboremus. *Servum* inquit *pignori datum civem Romanum facere debitor non potest, nisi si solvendo non sit.* Juris doctrinae, ac legum certarum argumentis aperte contrariari haec multis ac verissime demonstravit Schultingius ad *l. c.* Alterum *non* ejiciendum esse audacter pronuntiant interpretes. Quo minus tamen subscribam huic Virorum Eruditissimorum sententiae, facit, quod non, nisi rebus plane conclamatis, ubi nullum omnino aliud remedium reperiri, aut cogitatione effingi potest, adeoque extrema demum urgente necessitate, eo nos progredi licere existimem, ut vocem vel minimam e textu proscribamus; hac enim via si procedere detur, quid, quaeso, fiet de legibus plurimis, aliisque antiquitatum fragmentis certissimis? mox ubi opinioni, quam defendere statui, adversari caput quoddam juris antiqui animadverto, verbisve aliquanto obscurioribus offendor, aliave quavis de ratione, quasi glossemata ea aut supervacua ejicio. Sectionis ejusmodi remedium Medicorum filiis relinquo, ac levissima opera verbum suum Auctori nostro restitui posse judico. Ignorantem librarium, itemque Graecum interpretem duplicem notae N significationem, quam et *non* et *noster* designare Valerius Probus scribit, in errorem induxit, quippe qui, cum posteriorem notionem eligere debuissent, priorem perperam optaverunt. Nisi praeferas: *nisi si solvendo nob* id est *nobis sit* debitor. Poterit itaque debitor noster servum suum creditori oppignoratum manumittere, si solvendo est. Contra tamen statuit Paulus in *l.* 3. *D. de manumiss. servus pignori datus, etiam si debitor locuples, manumitti non potest.* add. *l.* 5. *in f. D. qui et a quib. manum.* Conciliabis facile, si distinguas inter servos specialiter obligatos, eosque qui generaliter pignori dati sunt; quo modo rem decidit Cajus in *l.* 29. *pr. D. eod. generaliter pignori datus servus sine dubio pleno jure debitoris est, et justam libertatem ab eo consequi potest, si lex Aelia Sentia non impediat libertatem, id est si solvendo sit, nec ob id creditores videantur fraudari.* add. *l.* 6. *pr. D. qui sine manum.* Confer Ampl. Rover, et Schulting *h. l.* Uberius rem omnem de servo oppignorato manumisso persequitur Vir Eximius G. Majansius *tom.* 1. *disp.* 10.

§. 16. Egregie pro more suo argumentum hujus §. explicuit Amplis. Meerman *h. l.* Confer immortalis gloriae Virum G. Noodt in *Probab. lib.* 2. *cap.* 12.

§. 17. Perpetuae tutelae cum subsit sexus imbecillis, uti constat ex Boëthio *ad Topic. Cicer. lib.* 2. *pag.* 781. *et* 814., et Cujac. *in Obs. lib.* 7. *cap. XI.* adde ad Ulpianum *Tit. XI.* §. 1. pro *quae* malo *quia*. Fusius materiam hanc tractavit Ictus in *Fragmento Regularum* §. 15., quem, si mei res esset arbitrii, sic paucis adjuvans exponerem. *Mulier sine tutoris auctoritate* (supple, aut potius repete ex §. 13. praecedenti *manumittere non potest*) *nisi liberorum jus habeat, tunc enim ex* (rescribe *ea*, vel cum Schultingio *et*) *vindicta sine tutore potest manumittere. Unde, si mulier absens liberum esse jusserit, quae jus liberorum non habet, quaesitum est, si* (interpretare *an*) *I* hoc est *jure* vel R. id est *recte*, (utram-

que

§. 18. Communem servum unus ex dominis manumittendo partem suam amittit, eaque adcrescit socio: maxime si eo mod manumiserit, quo, si proprium haberet, civem Romanum facturus esset. Nam si inter amicos eum manumiserit, plerisque placet eum nihil egisse.

§. 19. Servus, in quo alterius est ususfructus, alterius proprietas, a proprietatis domino manumissus, liber non fit, sed servus sine domino est.

§. 20.

que notam indicat Probus,) *tutores ejus auctoritatem commodent eo tempore, quo epistola scribitur servo a domina; Julianus negat; existimat enim, eo tempore debere auctoritatem praestare* tutores, *in quo peragitur libertas*, hoc est consummatur, ad finem perducitur negotium datae libertatis, *tunc enim* (explica *autem*, exempla plura ex jure suppeditat Strauch. *in lexic. partic. h. v.*) *peragi intelligitur, quando servus cognoverit dominae voluntatem. Sed Neratius Priscus* (in aliis est *Proculus*, scriptum fortasse fuit *Pr.*) *probat libertatem servo competere....* Vides sensum plenissimum, neque quidquam lacunae superesse, quam statuunt interpretes.

§ 18. Si unus ex sociis communem servum manumiserit vindicta, censu, vel testamento, manumissus talis non fit liber, sed partem suam amittit is qui manumisit, eaque accrescit reliquis sociis; idem docet Paulus *Sentent. Lib.* 4. *Tit.* 12. §. 1. quod si inter amicos servum manumisit socius communem, manumissum eum non fieri Latinum, multo minus civem Romanum indicat idem *d. l.* Ulpianus nihil actum affirmat; huic adstipulari videtur Dositheus in Fragmento Graeco, quod exhibet Ampliss. Rover. §. 12. *αλλα μεταξυ Φιλων δουλος απο ενος απο κοινωνων ελευθερωθεις, εκατερω κυριευσουσιν, δουλος μενει. δικαιον γαρ, ου προσαυξεσθαι εν ταυτη τη ελευθερια εν η στρεφεται. ει και Προκυλος δοκιμαση προσαυξειν. μετα κοινωνων; ου τη γνωμη χρωμεθα.* Graeca ita vertit Roverus: *Sed inter amicos servus ab uno ex sociis manumissus, utrique dominabuntur, servus manebit: justum enim, non adcrescere in hac manumissione, in qua vertitur, etsi Proculus existimaverit adcrescere inter socios; non ea sententia utimur.* Non uno in loco corruptum locum perspicis, ita tamen, ut levi mutatione restitui posse videatur. Sic rescribo: *αλλα ει μεταξυ Φιλων δουλος απο ενος απο κοινωνων ελευθερουται, εκατεροι κυριευουσιν, και δουλος μενει. δικαιον γαρ ου προσαυξεσθαι εν ταυτη τη ελευθερια, εν η στρεφεται, εισπερ και Προκουλος δοκιμαση προσαυξειν μετα κοινωνων; ου τη γνωμη ου χρωμεθα.* Latine reddo: sed si servus ab uno ex sociis inter amicos manumissus fuerit, uterque socius dominium ejus retinet, ac manumissus servus manet; justum enim est in hac manumissionis specie non adcrescere; in qua dissentitur, et controvertitur inter Jurisperitos, siquidem et Proculus censuerit adcrescendi juri in hoc casu locum quoque fore, cujus tamen sententia non utimur. Confer animadversiones Roveri *d. l.*

§. 19. Justinianus *l.* 1. *C. Communia de Manumiss.* hoc amplius affirmat, *secundum antiquam observationem* manumissum talem *et libertate carere, et eum sine domino esse intelligi, sed nec inveniri personam, cui res ad se venientes acquirat.* Narrat dein eundem secundum jus antiquum servum remansisse, et nullum respexisse dominum.

Itane ergo, non consentiente et invito usufructuario servo manumisso, efficere potuit proprietarius, ut, nulla usufructuarii culpa interveniente, exstinguatur ac pereat ei jus utendi fruendi servo, a testatore relictum? absit ut eo nomine suspectam habeamus Jurisprudentiam Romanam aequitatis custodem. Neutiquam equidem induci possim, ut credam, Ulpianum rem adeo duram, absonam, ac juris rationi contrariam indicare aut proponere voluisse, quin contra se opinatum fuisse

§. 20. Post mortem heredis, aut ante institutionem heredis testamento libertas dari non potest, excepto testamento militis.

§. 21.

evidenter ipse demonstrat in *L.* 9. §. 20. *D. de Hered. Instit. Sed et si non ipse servus sit alienatus, sed ususfructus in eo, aeque institutio valet; sed differtur in id tempus, quo exstinguitur ususfructus.* Par autem, imo vero major ratio cum militet pro eo, non ante sine domino esse incipere servum a proprietario manumissum, aut potius, non ante eum acquirere desinere usufructuario, quam finitus fuerit ususfructus, et hic idem jus obtinere debere dicendum est. Neque vero omnes quocunque modo ita manumissi servi efficiuntur sine domino, sed hi solummodo, qui vindicta sunt manumissi; caeteros, quibus inter amicos, aliove quo modo libertas data est, Latinos fieri indicat Fragmentum Regularum §. *XI.* quem ex Graeco ita exhibet Nob. Rover: *Proprietarius eum servum, cujus ususfructus ad alium pertinet, non potest vindicta manumittere, obstante usufructu, et si eum manumiserit vindicta, faciet servum sine domino, sed Latinum.* Mirari subit Interpretum nullum vidisse legendum: *S. al. Latinum* hoc est *sed* vel *si alias, Latinum*, si alio modo praeter hunc vindictae, (addendum forte: et censu, et testamento,) manumiserit, faciet manumissum Latinum.

Intellige autem prae caeteris manumissionem inter amicos factam, de qua dixerat Ictus in antecedentibus §. 6. *sqq.* differentiae ratio in aperto est. Videsis ea quae supra adnotavi ad §. 10. in Graeco exemplari est *αλλα Λατινον*, scribendum *αλλως Λατινον*. *Alias* vocabulum sumi pro alia ratione, alio modo, probavit Cl. Wieling *in Lect. Jur. Civ. lib.* 1. *cap.* 22.

§. 20. Idem de legato affirmat Paulus *Sent. Lib.* 3. *Tit.* 6. §. 5. *quia* addit *nihil ab herede heredis relinqui potest*; aliter Anianus ibidem: *quia* inquit *ille, qui heres relinquitur, quem sis heredem habiturus incertum est.* Causas plures profert Schulting. ad *l. c.* Theophilus ad §. 34. *J. de Legat.* ideo non valere affirmat legatum ejusmodi, quia actio, quae adversus nos non coepit, neque adversus heredes nostros transire potest; add. Otto *ad J. l. c.* Vereor tamen ut sufficiant haec iis, qui veras cupiunt rerum cognoscere causas. Quid si exinde potius originem deducendam esse statuamus, quia cum herede unice, non etiam cum ipsius successore contractus intercessit? quod ut, quam clarissime ejus fieri potest, paucis demonstrem, rem paulo altius repetendam esse existimo. Antiquissimis temporibus duo testamentorum genera novimus Romae fuisse usitata, alterum, pace dum fruerentur, quod calatis comitiis, auctore, imo jubente omni populo, fieri consuevit, quale testamentum legem quis aut privilegium non inepte nominet; alterum in acie, quum in praelium exituri, dubii an reversuri essent, in procinctu testamento facto de rebus suis disponebant. Quandoquidem vero singulis annis bis tantummodo calari comitia, hoc est convocari universi populi concio solebat, raro quoque, neque alias nisi in bellum paratis militibus, locus erat coram commilitonibus testandi; quid quod et plerique infausti ominis religione absterriti non nisi extremis instantibus de supremis mandatis suis cogitabant; quo eveniebat saepissime, ut, repentina atque inopinata morte praerepti intestati fatis defungerentur; tertia inventa est species, quae, duobus, quae dixi, testamentorum generibus abolitis, Ulpiani tempore sola in usu fuit; ea fiebat per aes et libram; per solennem emancipationem, hoc est imaginariam venditionem; imaginaria dicitur, quoniam dicis gratia nummum unum dabat emtor, non verum justumve pretium. Vendebat hereditatem suam testator emtori familiae, id est bonorum; *familiae* enim *appellatio*, verba sunt Ulpiani in *l.* 195. §. 1. *D. de V. S. varie accepta est, nam et in res, et in personas deducitur; in res, utputa in lege duodecim tabularum his verbis: Agnatus proximus familiam habeto.* Fuit autem familiae emtor olim ipse heres. Dum vendebat hereditatem testator, adjiciebat, emtorique mandabat, si quid post mortem suam fieri, lega-

§. 21. Inter medias heredum institutiones libertas data utrisque adeuntibus non valet: solo autem priore adeunte, jure antiquo valet. Sed post legem Papiam Poppaeam, quae partem non adeuntis

legatumve cui relinquere vellet. Ea vero ipsius heredis adhibitio quum plerumque opus esset periculosae plenum aleae, atque accideret haud raro, ut familiae emtor, qui successurum se certo sciebat, veritus ne aliquando sententiam mutaret testator, aut quo citius hereditatem perciperet, insidias pararet testatori, ejusque exitio immineret, denique ne invidia atque odium pararetur agnatorum forte praeteritorum in heredem certum, vendi postea coepit hereditas non ipsi heredi, sed familiae emtori imaginario; tradebat autem testator seorsum tabulas cerasque clausas, in quibus quem sibi heredem vellet scripserat. vide Theoph. ad §. 1. *J. de test. ordin.* adde Ulpian. *Tit.* 20. §. 2. *sqq.* confer Gell. *lib.* 15. *cap.* 27. Solennia testatoris verba exhibet noster *l. c.* §. 9. *Haec, uti in his tabulis cereisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor*, non addit *vendo*, quia verba directa requirebantur, *itaque vos Quirites testimonium praebitote.* Quirites intelligo *non minus quam quinque testes*, cives Romanos, *cum quibus testamenti factio est*, v. §. 2. *ibid.* quos universum populum repraesentasse arbitror. Nec dubitabis itaque, cum familiae mancipatio inter testatorem et familiae emtorem solos facta sit, v. §. 3. *ibid.* non obligari potuisse heredem heredis, neque contractum hunc personam egredi potuisse; qui enim emit bona, non successori comparat, sed sibi; jure adjicitur conditio ut heres futurus partem hereditatis vivus tradat alteri, neque vero ex venditione illa obligari potest heres heredis, ut is quid faciat, siquidem cum hoc non contraxit testator, neque etiam ab herede, qui jam defunctus est, eo constringi potest.

Dixi de libertate post mortem heredis data, inquirendum restat brevibus, quid causae moverit Romanos, quamobrem neque ante heredis institutionem libertatem concedi voluerint. *Ante heredis institutionem legari non potest*, ait Ulpianus *Tit.* 24. §. 15. *quoniam et potestas* (malo *vis et potestas*) *testamenti ab heredis institutione incipit.* Idem negat Imperator in §. 34. *J. de Legatis. Scilicet quia testamenta vim ex institutione heredum accipiunt, et ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio*; imo vero id quod ante heredis institutionem relictum est, extra testamentum esse videri scribit Theoph. *ibid.* Praeplacet ratio, quam profert Ampl. Otto *ad J. d. l.* quia, uti in sacris, stipulationibus, ac mulctis, ita vel maxime in testamentis praeposteratio vitium inducere credebatur; praepostere autem procul dubio agit, qui de libertatibus aut legatis disponit, ante quam nominavit eum per quem unum suprema ipsius voluntas expedienda, atque exsecutioni mandanda est.

§. 21. Si solus ille adit hereditatem qui prior scriptus heres est, atque ante libertatem datam nominatus, valet institutio haec jure antiquo, id est jure adcrescendi; ratio exstat in §. 34. *J. de Legat.* favor scilicet libertatis. Pro *vel* rescribendum *veluti*, hoc est exempli gratia; utriusque certe vocabuli scriptura, si notas consideres, parum distat; quin potius eo significatu *vel* accipio, quo sensu id adhiberi demonstrarunt Noordkerk *in Observ. dec. pag.* 175. et Best *l. c. pag.* 38; errant enim qui distinguendi vim voculae huic semper inesse sibi persuadent, ceu probavit ICtorum princeps G. Noodt *de pactis cap.* 14. Posiis et interpretari *etiam*, quem usum ICtis frequentissimum fuisse ostendit idem *Prob. lib.* 2. *cap.* 8. et alibi; hoc sane malo, quam cum aliis excidisse hic loci nonnulla statuere. Lectionem a Schultingio propositam defendi posse perspicis, neque tamen intercedam, quo minus adoptetur ea, quam ex Charonda exhibet Nob. Meerman: *primus heres adeat, vel jure antique valere eam posse placuit; quod si non adeat, non valere &c.* §. hunc cum lege 20. §. 7. *D. de heredit. petit.* conciliat Anton. Faber *in Conjectur. lib.* 1. *cap.* 16.

tis caducam facit, ſiquidem primus heres vel jus antiquum habeat, valere eam poſſe placuit. Quod ſi non habeat, non valere conſtat, quod loco non adeuntis ea lege aerarium partis heres fiat. Sunt tamen, qui et hoc caſu valere eam poſſe dicunt.

§. 22. Qui teſtamento liber eſſe juſſus eſt, mox quam unus ex heredibus adierit hereditatem, liber fit.

§. 23. Juſta libertas teſtamento poteſt dari his ſervis, qui teſtamenti faciendi, et mortis tempore ex jure Quiritium teſtatoris fuerunt.

§. 24. Lex Furia Caninia jubet teſtamento ex tribus ſervis non plures quam duos manumitti, et usque ad decem dimidiam partem manumittere concedit: a decimo usque ad triginta tertiam partem, ut tamen adhuc quinque manumittere liceat, aeque ut ex priori numero: a triginta usque ad centum quartam partem, aeque ut decem ex priori numero liberari poſſint: a centum usque ad quingentos partem quintam, ſimiliter, ut ex antecedenti numero, viginti quinque poſſint fieri liberi. Eademque praecipit, ne plures omnino quam centum ex cujusquam teſtamento liberi fiant.

§. 25. Eadem lex cavet, ut libertates ſervis teſtamento nominatim dentur.

§. 22. *Mox quam* ſubintellige *poſt*, ſic in *l.* 13. *in f. D. quib. mod. uſusfr. mox quam a ſolo ſeparati ſint.* confer Cl. Wieling *in Lect. Jur. Civ. Lib.* 1. *Cap.* 22. Conſule de ellipſi hac Vechner. in *Hellenol. pag.* 81. add Sanct. *in Min. p.* 698. et notas VV. DD. ad *Eutrop. Lib.* 4. *Cap.* 12. ex editione Cl. H. Verheykii.

§. 23. Diſtinguit Theophilus *ad* §. 4. *J. de Libertinis* inter modum manumiſſionis legitimum et naturalem; Legitimum dicit factum fuiſſe vindicta, cenſu, et teſtamento; eo data libertas juſta erat, id eſt plena, ac legitima; Naturalis inſtituebatur inter amicos etc. Dominium item duplex ſtatuit, legitimum, et naturale; legitimum appellat ex jure Quiritium, naturale in bonis, cujus dominus dicitur bonitarius.

§. 24. Intricatiſſima ſunt §. hujus verba, facili tamen negotio, ſi quid video, reſtituenda. Loco *τὸν et usque* praeferam *ſed* vel *at usque*, licet concedam, neceſſarium non eſſe ita reſcribi. Pro *adbuc* reponendum puto *ad bu-c* hoc eſt *ad bunc* ſcilicet numerum, quae vox proxime inſequitur. Hoc modo autem haec intelligenda eſſe innuit Ictus, ut, qui XXX ſervos habeat, poſſit is manumittere X., qui minorem numerum poſſideat, puta undetriginta, vel pauciores, *ad bunc numerum*, dictorum XXX. quinque tantum, *aeque ut ex priori numero* X; ſcribendum porro exiſtimo *ſimiliter UT* poſtrema voce geminata; denique pro *eademque* ſubſtituendum reor *ea aenique*. Quod de computatione facienda dixi, obgeris forte Caji verba *in Lib.* 1. *J. Tit.* 2. *in pr.*, verum ſcias velim in rebus hujusmodi ſolere plerumque non juris modo auctores, ſed et alios quosque ſcriptores, numeris rotundis rem proponere; exemplo ſit Paulus de eadem re diſſerens *Lib.* 4. *Sentent. tit. ult.* §. 4. Materiam omnem de lege Furia Caninia ex profeſſo tractavit Vir Nobiliſſ. Greg. Majanſius *tom.* 1. *diſp.* 3.

TITULUS II.

De Statu Liberis.

§. 1. Qui sub conditione testamento liber esse jussus est, statu liber appellatur.

§. 2.

§. 1. Notabilis est hanc in rem Pauli oratio in *L.* 4. §. 1. *D. h. t. Non est statu liber, cui libertas in tam longum tempus collata est, ut eo tempore is qui manumissus est, vivere non possit, aut si tam difficilem, imo poene impossibilem conditionem adjecerit, ut aliunde* (lege *aliqndo*, hoc est, *aliquando*, non aliquando est nunquam) *ea* (malo *ei*) *libertas obtingere non possit; veluti, si heredi millies dedisset, aut, cum moreretur, liberum esse jussisset. Sic enim libertas inutiliter datur. Et ita Julianus scribit; quia nec animus dandae libertatis est.* Contra tamen statuere videtur Imp. in §. 10. *J. de Hered. Instit. Impossibilis conditio in institutionibus, et legatis, nec non fideicommissis et libertatibus, pro non scripta habetur.* Respondeo ipsius Pauli, an Juliani verbis: animum dandae libertatis non habuisse testatorem, mentis suae sat compotem, apparet. Deinde conditio hic adjecta difficilis potius dicenda, quam impossibilis, quae quippe respectu servi hujus, minime vero intuitu aliorum impossibilis censeri potest. Ad eam vero quod attinet libertatem, quae in ultimum vitae tempus confertur, nullius illam momenti existimandam esse scribit Julianus in *L.* 17. *pr. D. de manumiss. testam.* impediendae enim magis, quam dandae libertatis gratia testator ita scripsisse intelligitur. *L. ult. pr. D. eod.* Ne quid tamen dissimulem, putem hodie sub conditionibus ejusmodi factam institutionem, aut datam libertatem non vitiari post generalem Justiniani constitutionem, qua Ictorum veterum hac de re dissensiones composuisse Imperatorem est verosimile. Scivit testator millies dare non posse Stichum servum suum, adscripsit tamen conditionem, eventu spectato, vere impossibilem, aut ineptam; utroque casu contra Julianum judicandum est. Rectius Ulpianus in *L.* 1. *D. de Condit. Instit. Sub impossibili conditione*, inquit, *vel alio mendo factam institutionem placet non vitiari. Mendo* exponunt nonnulli *vitio*, verum frigidam hanc, ne dicam vitiosam esse interpretationem videt unusquisque. Probabiliore conjectura alii substituunt *modo*, sed et tum abundaret vox *alio*. nisi legas: *aliquo modo* scilicet impossibili. Praeferam equidem *vel* hoc est, veluti, quasi, *aliena mente factam. d* et *t* litteras frequentissime inter se permutari solitas fuisse in membranis vetustis, *n* quoque per lineolam designatam alibi demonstravi. Ne quis tamen ita me opinari suspicetur, valere institutionem talem, hoc colore adhibito, quasi alienae mentis fuisset testator; notissimum namque, integritatem mentis in primis exigi in eo qui testatur, et furiosum menteve captum testamentum facere prohiberi. *L.* 2. *et* 17. *D. qui test. fac. poss.* add. *L.* 2. *D. de inoff. test.* imo vel perspicuis rationibus suspicionem istam, non sanae mentis fuisse testatorem, amovere debet heres scriptus, ne controversiam patiatur ab herede legitimo, *L.* 27. *pr. D. de Condit. Inst.* Hoc enim omnino *inspiciendum est, ne homo, qui talem conditionem posuit, neque compos mentis esset. Ne* pro *an* adhibitum puto; falluntur enim, qui particulam illam eo significatu voci semper postponendam esse arbitrantur. Consule Perizon. *ad Sanctii Min. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 30. *neque* accipiendum pro *ne quidem*. Similia collegit Sanctius l. c. cap. 7. add. Cl. J. Arntzen. *ad Plin. Paneg. pag.* 17. *et alibi.* Id indicat Ulpianus, non vitiari dictam institutionem, quasi adscriptam ab homine non sano, eo enim casu nullum esset testamen-

§. 2. Statu liber, quamdiu pendet conditio; servus heredis est.

§. 3. Statu liber seu alienetur ab herede, sive usucapiatur ab aliquo, libertatis conditionem secum trahit.

§. 4. Sub hac conditione liber esse jussus, si decem millia heredi de-

tum, sed potius, quia *conditiones impossibiles testamento adscriptas pro nullis habendas obtinuit*, teste eodem Icto in *L.* 3. *D. de Condit. et Demonstr.*

§. 2. *Statu liberi a caeteris servis nostris nihilo poene differunt, ... et ideo in publicis quoque judiciis easdem poenas patiuntur, quas caeteri servi.* Ita Pomponius in *l.* 29. *pr. D. de Statu lib.* Idem tradit Paulus in *l.* 8. §. 1. *D. de quaestionib.* Modestinus vero in *l.* 14. *D. eod.* non ut servum, sed ut liberum puniendum eum affirmat; Aperte etiam Noster in *l.* 9. §. *ult. D. de Poenis. Statu liberum quasi liberum eum jam puniendum Divus Pius rescripsit*, id est, quasi talem, qui jam liber est; addo hoc, quia video esse, qui verba aliter intelligunt. Pro *eum* Duirsema substituit *reum* in *Conjectur. lib.* 4. *cap.* 4. non justa tamen, ut mihi quidem videtur, ratione adductus; constat enim voculam *is* per pleonasmum haud raro addi, vid. *Observat. Miscell. Amstelaed. vol.* 3. *pag.* 221. Distinguendum putant nonnulli inter judicia publica et privata, nec desunt, qui quasi corruptas leges sibi invicem contrarias corrigendas censent; alii statu liberos olim ut servos, post rescriptum vero Divi Pii ut liberos puniendos fuisse autumant. Perrenonius in *Thes. jur. Otton. tom.* 1. *p.* 595. respectu heredis tanquam servos, intuitu vero extranei tanquam liberos puniendos eos arbitratur. Facillimo, nisi me fallant omnia, negotio dissentientium, aut dicam potius variantium Jurisconsultorum sententias conciliabimus, si, quod odoratus jam fuerat Glossator nescio quis ad *d. l.* 29., ita statuamus: statu liberum propter delictum in servitute jam perpetratum, hoc est, eo tempore cum adhucdum servus esset, puniendum tanquam servum, sin vero pendente conditione, id est, postquam jam statu liber esse coepit, peccaverit quid, plectendum eum tamquam liberum. In *l.* 14. *c.* sermo est de eo, qui *in delicto repertus* est, nil dubitandum itaque, intelligi eum, qui jam statu liber erat. Ad *l.* 8. *c.* quod attinet, occurrere ibi perspicis rescriptum, quod ad certum casum restringendum esse, eoque responderi solere ab Impp. tantummodo ad quaestionem propositam, non nisi ignarissimi nesciunt; non ambigendum ergo, utique de eo agi, qui post datam sub conditione libertatem deliquerat. Ne quid autem dubii supersit, en tibi verba Ulpiani in *l.* 1. *D. de poenis. Quoties de delicto quaeritur, placuit non eam poenam subire quem debere, quam conditio ejus admittit eo tempore, quo sententia de eo fertur, sed eam, quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus, cum deliquisset.*

§. 3. *Usucapiatur*, non *suscipiatur*, legendum probat quoque F. ab Aezema in *Thes. Meerm. tom.* 6. *p.* 507. ac sane ita solent Icti, vid. *l.* 6. §. 3. *D. de Statu lib.*

§. 4. Uberius idem exsequitur Noster in *l.* 6. §. 3. *D. de Statu lib.* Casum hunc fingo: Fac testatorem ita jussisse in testamento: Stichus servus meus liber esto, si Titio heredi meo intra sex menses decem dederit; Titius vendit Stichum Cajo, antequam impleta fuit conditio; *Si venerit haec conditio*, hoc est, si dies conditionis venerit, aut impletus fuerit terminus, *ad eum transit qui emit*, imo vero ad omnes, quorum *aliquo*, id est alio quo, vid. Auctor *Obs. jur. Civ. pag.* 96. *jure factus est. Venire dies, venire conditio* dicitur, ubi causa ejus peti potest; pudet vulgatissimae rei afferre exempla. Facessant itaque correctiones Haloandri, qui ex ingenio forte, uti plerumque facere solet, substituit *evenit*, et G. Best, qui *l. c. p.* 184. temere legendum vult *venierit*.

Difficilior multo est locus Pomponii in *l.* 29. §. 1. *D. eod.*, in quo interpretando, restituendove laborarunt haud pauci, iidemque non vulgari eruditionis gloria conspicui Viri; quem, cum in primis is faciat ad illustranda Ulpiani dicta, intactum praetermittere non sustineo. Aliorum conjectu-

dederit, et si ab herede abalienatus sit, emptori dando pecuniam, ad libertatem perveniet; idque lex duodecim Tabularum jubet.

§. 5.

jecturas quo minus in medium proferre necesse habeam, otium fecerunt Duirsema in *Conjectur. lib.* 2. *cap.* 6. Ampl. Van de Water in *Obs. lib.* 3. *cap.* 6. Cl. Best *pag.* 266. ac novissime Cel. Marckart in *Interprett. lib.* 1. *cap.* 5. Verba licet plura quamvis invito describere necessitas imperat. *Quintus Mucius scribit: Paterfamilias in testamento scripserat: Si Andronicus servus meus heredi meo dederit decem, liber esto. Deinde de his bonis coeperat controversia esse; qui se lege heredem ajebat esse, is eam hereditatem ad se pertinere dicebat, alter, qui hereditatem possidebat, ajebat testamento se heredem esse; secundum eum sententia dicta erat, qui testamento ajebat se heredem esse. Deinde Andronicus quaerebat, si ipsi viginti dedisset, quoniam secundum eum sententia dicta est, futurusne esset liber, an nihil videatur sententia, qua vicit, ad eam rem valere, quapropter si viginti heredi scripto dedisset, et res contra possessorem judicata esset, illum in servitute fore. Labeo hoc, quod Quintus Mucius scribit, ita putat verum esse, si re vera lege ab intestato heres fuit is, qui vicit. Nam, si injuria judicis victus esset scriptus verus heres ex testamento, nihilominus eum paruisse conditioni, et dando, et liberum fore. Sed verissimum est, quod et Aristo Celso rescripsit, posse dari pecuniam heredi ab intestato, secundum quem sententia dicta est; quoniam lex XII tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videretur, non interesset, quo genere quisque dominus ejus fieret, et ideo hunc quoque ex lege contineri, secundum quem sententia dicta est, et liberum futurum eum, qui ei dedisset pecuniam; hunc autem, id est possessorem hereditatis, cui data esset summa, si victus esset hereditatis petitione, cum caeteris eam quoque pecuniam victori restituere debere.* Mendas primum, quae irrepserunt, paucis eluere conabimur, tum deinde sensum auctoris investigaturi. Pro *viginti*, quod olim duplicato X scriptum fuisse novimus, substituo *decem*; errori causam dedit quod librarius pro uno X male duplicatum posuerit; in numeris autem saepius peccasse rude hoc atque imperitissimum hominum genus, non ignorant, quotquot vetera monumenta versant. Semel quum erraverint, nil mirum pluries idem repetiisse. Assentior illis, qui emendant *nec interessent*; *non* et *nec* vel *neque* iisdem notis exarata olim fuisse pervulgatum est, unde plurima scripturae vitia emanarunt. Casum legis hunc statuo: Cajus paterfam. in testamento ita scripserat: *Si Andronicus servus meus heredi meo decem dederit, liber esto.* Controversia orta est inter legitimum et scriptum heredem, uterque hereditatem ad se pertinere dicebat; ad judicem ubi lis delata est, vincit heres in testamento scriptus. Andronicus, mox ubi sententiam secundum scriptum dictam cognovit, solvit victori decem. Sententiae dictae neutiquam adquiescit legitimus heres, injuria judicis quippe se victum fuisse questus; rem ad Praetorem defert, judices dati causa cognita contra scriptum pronuntiant. Andronicus quaerit ex Quinto Mucio, futurusne sit liber, qui jam decem dederat scripto, secundum quem prior sententia dicta fuerat, *an nihil videatur sententia* illa prior, *qua vicit* scriptus heres, *ad eam rem valere*, id est, an censeri debeat nulla esse, neque ullius valoris prior illa sententia, quae jam rescissa erat, et an ad consequendam libertatem suam, quam decem emere quasi debebat, nulla ista sententia nil quidquam pertinere videatur, quandoquidem re vera ejus, quae nulla est sententia, nulli possunt esse effectus; Mucius existimat, propter ea quae superius dicta sunt, si decem dederit scripto heredi Andronicus, et res contra eum possessorem retractata judicata esset, in servitute eum fore, nihilque adeo egisse, quod scripto, posteriore sententia victo, pecuniam dederit, quam dare debuerat ei qui vicerat, et quem judex heredem esse pronuntiaverat. Labeo probat sententiam Mucii, ita tamen, ut etiam, si appareat, injuria judicis victum scriptum he-

§. 5. Si per heredem factum sit, quo minus statu liber conditioni pareat, perinde fit liber, atque si conditio expleta fuisset.

§. 6. Extraneo pecuniam dare jussus, et liber esse, si paratus sit dare; et is, cui jussus est dare, aut nollet accipere, aut antequam acceperit moriatur, perinde fit liber, ac si pecuniam dedisset.

§. 7. Libertas et directo potest dari hoc modo, LIBER ESTO, LI-

heredem, eo casu Andronicus paruisse videatur conditioni, qui decem ipsi dederat, adeoque liberum eum fore; ac sane par est utriusque causa censenda. Actor enim et reus duo sunt, uti loqui amant practici, correlativi, quos inter eadem versatur ratio, idemque adeo jus obtinere debet. Caetera, per se clarissima, interpretatione minime videntur indigere.

§. 5. Ratio redditur in *l.* 28. *pr. et l.* 20. §. 3. *D. de statu liber.* favor pura libertatis. *Non omne* tamen *ab heredis persona interveniens impedimentum statu libero pro impleta conditione cedit, sed id duntaxat, quod impediendae libertatis factum est l.* 38. *D. eod.* subintelligit Ant. Augustinus *causa*; repetam potius vocem *impedimentum.*

§. 6. Si quis ita scripserit in testamento: Stichus servus meus, si reddiderit rationes, liber esto, si heres *causabitur accipere rationes*, hoc est, modo hanc, modo illam causam et praetextum obmovendo differat, atque ita moretur, (ita *causari tempestatem* aliaque in jure obvia exempla vel lexica suppeditant) nihilo minus liber erit Stichus. Verum omissis caeteris, pergo ad explicationem eorum, quae corrigenda statuerunt nonnulli, *sed si nunquam negavit* servus se *reliqua debere, cum autem conveniret heredem*, hoc est, eo tempore, quo cum herede ea de re ageret, *et rationes offerre* se *professus sit, refusurumque* se *quod in reliquis esse constiterit, et ejus pecuniae* reliquae *reum, numerare paratum, idoneum* (intellige expromissorem locupletem, qui paratus sit numerare reliqua, vide *l.* 104. *D. de Verb. Oblig.*) *obtulit, et heres in mora fuit, sententia pro libertate dicetur.* Verba sunt, aut argumentum potius, *legis* 34. §. 1. *D. de Statu li-ber.* *Se* pronomen multis in locis addidi, neque tamen in textum id recipi velim, quandoquidem constat elegantissime illud subintelligendum omitti. Exemplo sit *l.* 8. *D. de Probat. si filius in potestate patris esse negat.* qua de v. Ill. Bynkerh. *Obs. lib.* 7. *cap.* 8. add. *l.* 2. *pr. D. de his quae in testam. etsi propter unum heredem facere dixerat.* denique *l.* 7. *D. de Condict. caus. dat. quoniam putasset quidem debere.* Plura dabit Pater ad *Avian. pag.* 183. Cl. Vryhof in *Obs. p.* 115. *et* Cl. Verheyk ad *Eutrop. lib.* 3. *c.* 18. quamobrem mirari summopere subit, delectari viros eruditos per geminationem aut interpolationem voculam illam legibus addere; Verum hoc nunc non agimus. Pro *quicquid* substitui *que quod*, non necessitatis causa adactus, sed perspicuitatis gratia, tum quoniam pronominis hujus terminationes omnes inter se confusas saepenumero fuisse dubitari nequit. v. Cl. Arntzen. ad *Plin. Paneg. p.* 361. Prono quasi alveo fluere omnia perspicis, tuto ergo carebimus crisi Cl. Bestii pag. 179.

§. 7. Persuasisse non videntur, quotquot in his Caji, an Aniani verbis *in Inst. lib.* 2. *tit.* 7. §. 7. *libertates etiam servis per fideicommissum dari possunt, ut heres vel legatarius ea mancipia manumittant, quae testator ab iis, ut manumitterent, speravit* non ferunt verbum *speravit*, cujus loco alii *imperavit*, alii *ab aliis separavit* supponunt. *Rogare* verbum solenne in fideicommissis agnoscunt; qui autem rogat, eumne sperare inficias ire quisquam sustineat? nescit sane petitor, sitne heres obsecuturus, ac satisfacturus voluntati, quam in testamento proposuit; exspectat itaque ac sperat fore ut mandatum impleat heres. Dein et alibi plus semel eodem sensu Anianum

LIBER SIT, LIBERUM ESSE JUBEO: et per fideicommissum, utputa, ROGO, FIDEI COMMITTO HEREDIS MEI, UT STICHUM SERVUM MANUMITTAT.

§. 8. Is, qui directo liber esse jussus est, orcinus fit libertus: is autem, cui per fideicommissum data est libertas, non testatoris, sed manumissoris fit libertus.

§. 9. Cujus fidei committi potest ad rem aliquam praestandam, ejusdem etiam libertas fidei committi potest.

§. 10. Per fideicommissum libertas dari potest tam proprio servo testatoris, quam heredis, aut legatarii, vel cujuslibet extranei servo.

§. 11. Alieno servo per fideicommissum data libertate, si dominus eum

num ipso hoc vocabulo usum fuisse constat. Quid quod *non dubito* eadem notione in jure occurrat? vid. Schulting. *l. c.* Quis denique miretur, *speravit* vocem adhibuisse Cajum de fideicommissis, qui reputet secum, omnia fideicommissa primis temporibus fuisse infirma, neque invitum quemquam cogi potuisse praestare ea quae fuerat rogatus? vid. §. 1. *J. de fideic. hered.*

§. 8. Quod pro *orcinus* alibi scriptum exstare tradit Cujacius *horcinus*, et *orchinus*, uti docet Otto ad §. 2. *J. de Sing. reb. per fid. rel.* non mirabuntur, qui sciunt *h* a veteribus pro adspiratione potius quam pro littera habitam; constat id ex elisione in metro usitata; contra tamen alii censuere. vid. Pater *ad Avian. pag.* 17. hinc enata varia scriptura. Servius ad *Virg. Georg.* 3. *v.* 224. tria tantummodo exstitisse antiquitus nomina memorat, in quibus C litteram adspiratio sequeretur: *Sepulchrum*, *orchus*, et *pulcher*, ex quibus *pulcher* solum sua aetate retinuisse eam addit; idem ad *Aen.* 6. *v.* 4. scribit veteres dixisse *thus*, *orchus*, reliqua. In Inscriptionibus a Fabretto editis invenies *ora* pro *hora*, *Pilippus*, *abuit*, *eres*, *heorum* alia, Ibidem est H. S. E. id est *hoc sequetur heredes*. Ita quoque *umidas* pro *humidas*, *ypotheca* pro *hypotheca*, *Eutyciano* pro *Eutychiano*; ex adverso *hiisdem* pro *iisdem*, *crebandis* pro *creandis*, *habe* pro *ave* exaratum exstare affirmat in Codice Wurceburgensi Vir praeclarus J. D. Ritter in *praefat. Cod. Theod.* addesis Fratrem *ad Collat. Leg. Mos. et R. pag.* 18. et Cl. Best *pag.* 24. *sq.*

§. 9. Verba haec defendit, et illustrare annisus est Cl. Vryhof in *Obs. Jur. Civ. pag.* 171.

§. 11. Sugillat hoc loco Ulpianum Vir summus Petrus Faber, quod exstingui dixit libertatis legatum, quod re vera casu proposito quiescit potius ac pendet, siquidem id aliquando possit suscitari, veluti, si heres dominium servi nanciscatur. Verum enimvero, ne quid dissimulem, distinguendum mihi videtur inter jus quod Ulpiani tempore obtinuit, atque illud quod postea demum Imperatorum rescriptis ac constitutionibus introductum est. Ulpiani aetate exstinctum fuisse legatum hoc existimo, si dominus servi declarasset se eum vendere nolle. Aperte Paulus in *l.* 31. §. 4. *D. de fideic. libert. Si is, cujus servus est, nolit eum vendere, ut manumitteretur, nullae Praetoris partes sunt; idem est, et si pluris justo vendere velit:* cogi itaque a Praetore non potest dominus; contra obtinet in legato rei alienae; justa enim aestimatio ibi infertur *l.* 14. §. 2. *D. de legat.* 3. differentiae ratio est, quia libertas inaestimabilis res est. Jus antiquum mutavit Alexander Imp. in *l.* 6. *C. de fideic. libertat.* qui non deficere hoc casu libertatem statuit, sed differri potius. Idem placuit Justiniano in *J.* §. 2. *de Singul. reb. per fid. rel.* add. Theoph. *ibid.*

cum justo pretio non vendat, extinguitur libertas, quoniam nec pretii computatio pro libertate fieri potest.

§. 12. Libertas sicut dari, ita et adimi, tam testamento, quam codicillis testamento confirmatis potest: ut tamen eodem modo adimatur, quo et data est.

§. 12. Ratio est, quia unumquodque, quo id colligatum est, modo, eodem dissolvi debet.

TITULUS III.

De Latinis.

§. 1. Latini jus Quiritium consequuntur his modis, beneficio Principali, liberis, iteratione, militia, nave, aedificio, pistrino: praeterea ex Senatusconsulto, veluti quae sit ter enixa.

§. 2. Beneficio Principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab Imperatore jus Quiritium impetraverit.

§. 3. Liberis jus Quiritium consequitur Latinus, qui minor triginta annorum manumissionis tempore fuit. Nam lege Junia cautum est, ut si civem Romanam, vel Latinam uxorem duxerit, testatio-

§. 1. Quod de *pistrino* hic tradit Ulpianus, ceu modo, quo Latinus jus Quiritium consequatur, altum silentium est Interpretibus. In pistrinum dari solitos servos, qui deliquerant, ex Comicis abunde constat. Conjicio autem Latinis libertis, qui per certum temporis spatium pistrino operam suam consecraverant, jus hoc plenae libertatis fuisse concessum. Rem omnem, quae ad pistores, pistrinumque pertinet, ex professo tractat Vir incomparabilis eruditionis Jac. Gothofredus *ad lib.* 14. *Cod. Th. tit.* 3., qui inscribitur *de pistoribus et Catabolensibus*, ubi multa reperies huc maxime facientia. Adde, qui hunc titulum egregie illustrat, Marcum Vertranium Maurum *de jure liberorum*, *in Thes. Jur. Otton. tom.* 3. *pag.* 1037.

§. 3. Liberorum, quippe qui unicus matrimonii finis habebantur, favorabilis semper causa exstitit Romae; Consule H. Noordkerk, Virum Consultissimum, civitatis Amstelodamensis decus atque ornamentum insigne, in *Obs. Dec. p.* 133. *sq.* Coler in *parerg. cap.* 14. *in thes. jur. Otton. tom.* 1. *p.* 367. Legem Juniam, quam hoc loco citat Auctor, Augusti Imp. aevo tribuit idem Noordkerk in *disquisitione de Lege Petronia pag.* 92. nomenque eam sortitam fuisse arbitratur a Cajo Junio Silano Cos., ac diversam esse statuit a Lege Junia Norbana, quam latam censet a Cajo Junio Norbano Balbo, sub libera Rep.; a quo tamen dissentit Vir Egregius J. G. Heineccius in *Hist. Jur. lib.* 1. *cap.* 4. §. 197. qui Tiberii tempore veteri ritu hanc latam existimat; Confer Nob. Meerman, ad *Tit.* 1. §. 10. et J. G. Hofman *ad L. Jul. de Adult. coërc. pag.* 106. *sq.*

ſtatione interpoſita, quod liberorum quaerendorum cauſa uxorem duxerit; poſtea filio filiave nato natave, et anniculo facto, poſſit apud Praetorem, vel Praeſidem provinciae cauſam probare, et fieri civis Romanus, tam ipſe, quam filius, filiave ejus, et uxor; ſcilicet, ſi et ipſa Latina ſit: nam ſi uxor civis Romana ſit, partus quoque civis Romanus eſt, ex Senatusconſulto, quod auctore Divo Adriano factum eſt.

§. 4. Iteratione fit civis Romanus, qui poſt Latinitatem, quam acceperat major triginta annorum, iterum juſte manumiſſus eſt ab eo, cujus ex jure Quiritium ſervus fuit. Sed huic conceſſum eſt Senatuſconſulto etiam liberis jus Quiritium conſequi.

§. 5. Militia jus Quiritium accipit Latinus, ſi inter vigiles Romae ſex annis militaverit, ex lege Viſillia. Praeterea ex Senatusconſulto conceſſum eſt ei, ut, ſi triennio inter vigiles militaverit, jus Quiritium conſequatur.

§. 6. Nave Latinus civitatem Romanam accipit, ſi non minorem, quam decem millia modiorum navem fabricaverit, et Romam ſex annis frumentum portaverit, ex edicto Divi Claudii.

§. 4. Iterationem ita exponit Pater in tractatu *de Nominibus cap.* 8.*p.*40. *Manumiſſio prima nutu domini fiebat, et quacunque voluntatis declaratione, qua manumiſſione ſervus fiebat libertus, ſed Junianus, at vero manumiſſio iterata peragebatur apud Praetorem, aut Proconſulem, qua confirmabatur manumiſſio prior, fiebatque alapa inflicta, qua libertus Junianus fiebat civis Romanus.*

§. 5. Ad Auguſti imperium legem etiam Viſelliam refert Noordkerk *l. c. pag.* 92. auctore C. Viſellio Varrone, additque vigiles illos inſtitutos primum ab Auguſto ex libertinis, eamque propter cauſam militiae genus iſtud pleroſque fuiſſe aſpernatos. Poſt Auguſti tempora legem latam exiſtimat Heineccius *l. c.* §. 167.

§. 6. *Millia* quod pro *millium* perperam exhibetur, exinde accidiſſe quivis intelligit, quia notis numeri ſignari ſolebant, quas explicituros librarios, homines pleroſque Latinitatis non probe gnaros, erraſſe mirum non eſt. Praeter modos ab Ulpiano allegatos, quibus plenam libertatem fuit conſecutus ſervus, alius quoque exſtitit, ſilentio non praetereundus, a Claudio primum inſtitutus, qui Imperator pio ac laudabili edicto ſancivit, ut ſervo, quem pro derelicto dominus habuerat ob gravem infirmitatem, libertas competeret v. *l.* 2. *D. qui ſine manum. ad libert. perv.* ejusdem meminit Sueton. in *Claudio Cap.* 25. qui aegra mancipia, quae ab immanibus dominis medendi taedio, in Tiberina Aeſculapii inſula fuerant expoſita, libertatem fuiſſe conſecuta, et, ſi convaluisſent, libera manſiſſe commemorat, ad quem locum plura de his notarunt Viri Docti in commentariis. Latinam, non plenam ex jure Quiritium libertatem adeptos fuiſſe ſervos ejusmodi tradit Juſtinianus, ſeque demum miſeris iis civitatem Romanam primum fuiſſe largitum jactat in *l. un.* §. 3. *C. de Latin. libert. toll.* qua de re pluribus egit M. Vertranius Maurus *l. c.* ſingulari quoque capite de ſervis pro derelicto habitis pertractat Cl. D'Arnaud in *Diſſert. de jure Servorum cap.* 13.

TITULUS IV.

De his, qui sui juris sunt.

§. 1. Sui juris sunt familiarum suarum principes, id est, paterfamilias, itemque materfamiliae.

§. 2. Qui matre quidem certa, patre autem incerto nati sunt, spurii appellantur.

§. 1. Usum et vim singularem vocis *paterfamilias* docet Crusius in *Thes. jur. Otton. tom.* 1. *p.* 669. *Materfamilias* quae sit, ac quo modo differat ea a *matre*, et *matrona* ostendit Frater in *Dissertatione de veteri lege Romana, cujus meminit Nonius cap.* 5.

§. 2. Spurii unde dicantur, et quale circa eos jus obtineat, ex moribus praesertim hodiernis, ubere exposuit lectus praestantissimus Ant. Matthaeus *in Paroemiis par.* 1.



TITULUS V.

De his, qui in potestate sunt.

§. 1. In potestate sunt liberi parentum, ex justo matrimonio nati.

§. 2. Justum matrimonium est, si inter eos, qui nuptias contrahunt, connubium sit: et tam masculus pubes, quam femina potens sit: et utrique consentiant, si sui juris sunt; aut etiam parentes eorum, si in potestate sunt.

§. 2. Ita Cajus in *Inst. lib.* 1. *tit.* 4. *in pr. Legitimae sunt nuptiae, si Romanus Romanam, nuptiis intervenientibus, vel consensu ducat uxorem.* Alterutrum ergo sufficit? non putem. explico: vel insuper consensu, si sint parentes, in quorum potestate sunt.

De matrimonio jure Romano contracto ubere atque ex professo egit Forner. *in libris rer. quot. in Thes. jur. Ott. tom.* 1. adde inprimis tractationem non inelegantem C. A. Grupen *de uxore Romana, cum ea, quae in manum convenit farre, coëmtione, et usu, tum illa, quae uxor tantummodo habebatur.* De nuptiis incestis, itemque imparibus et inaequalibus legi merentur, quae disseruit saepe laudatus H. Noordkerk in *Obs. dec.* quo loco etiam matrimonia vitio contracta liberorum favore aliquando confirmata fuisse ostendit, interdicta vero connubia civis cum peregrina a Graecis repetit.

Femina potens est matura viro; ita *potens regni* Calvinus dici notat pro regno maturus.

§. 3. Connubium est uxoris jure ducendae facultas.

§. 4. Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis: cum Latinis autem, et peregrinis ita, si concessum est.

§. 5. Cum servis nullum est connubium.

§. 6. Inter parentes et liberos infinite cujuscunque gradus connubium non est. Inter cognatos autem ex transverso gradu olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant: nunc autem etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere: sed tantum fratris filiam, non etiam sororis filiam, nec amitam, vel materteram, quamvis eodem gradu sint. Eam quae noverca, vel privigna, vel nurus, vel socrus nostra fuit, uxorem ducere non possumus.

§. 7. Si quis eam, quam non licet, uxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit; ideoque liberi in potestate ejus non fiunt, sed, quasi vulgo concepti, spurii sunt.

§. 8. Connubio interveniente, liberi semper patrem sequuntur: non interveniente connubio, matris conditioni accedunt, excepto eo, qui ex peregrino et cive Romana peregrinus nascitur: quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi jubet.

§. 9. Ex cive Romano et Latina Latinus nascitur: et ex libero et ancilla servus: quoniam, cum his casibus connubia non sint, partus sequitur matrem.

§. 10. In his, qui jure contracto matrimonio nascuntur conceptio-

§. 6. Ultra quam par est in Ulpianum nostrum, nihil tale meritum, invehitur Riccius *in Thes. jur. Otton. tom. 2. p.* 757. quod ex tertio gradu uxorem ducere licere is affirmavit; optime Auctorem defendit ὁ πάνυ Schultingius. Non prohibita olim fuisse Romae conjugia inter patruos et fratrum filias, ac Constantini demum tempore vetita demonstravit Frater in *Commentario ad Collat. leg. M. et R. p.* 178. *sq.*

§. 8. Lege Mensia, an Messia, de peregrinis solis actum fuisse existimat Noordkerk *l. c. p.* 151. Confer de ea Heinecc. *ad leg. Jul. et Pap. lib. 2. cap.* 10. de civium ac peregrinorum matrimonio singularia quaedam observat Frater *l. c. p.* 152.

§. 10. Pro *quoniam* alii codices exhibent *quamvis*; ita sane ediderunt Crispinus et Pacius, alii *quemadmodum*. Mihi quidem, si quid libere fateri licet quod sentio, legendum videtur *quamvis*; neque enim partus ideo liber esse existimari potest, quia non legitime concepit ancilla mater, sed quamvis serva conceperit, tamen liber dicendus est partus; Nec vero offendat fortasse aliquem, quod non additur *tamen*, quandoquidem abunde constat particulam illam post *quamvis* subaudiendam saepenumero omitti. vid. Cl. Duker *ad Flor. lib. 2. cap. 6. n.* 33. et *lib. 4. cap. 1. n. XI.* Scribit Glossator, cumque secutus Strauchius, *quoniam* pro *quamvis* positum in *l. 7. pr. D. de Condict. Caus. data.* sed fallitur uterque; ita enim verba explicanda: *quoniam* hoc est, quia *putasset quidem se debere pecuniam, sed* et insuper *exceptione doli mali tueri se potuisset*, quominus

ceptionis tempus spectatur: in his autem, qui non legitime concipiun-

minus solvere cogeretur, *ipsum repetiturum*, id est, habiturum quod sibi imputet, qui jam ipse repetere debeat. Dixi ante vocem nullam librariorum mendis obnoxiam magis fuisse, quam pronominum *qui* et *quis*, indeque descendentium, iisque affinium vocabulorum terminationes omnes, idem quoque uberius me ostensurum spondere memini; animus est in praesenti promissi fidem solvere. Temporis jacturam me facere, ac bonas et non reversuras horas nugis perdere exprobras. Quisquiliis, quaeso te, accenses, si quis removet lapidem, ad quem offenderunt Viri praeclari nominis haud pauci? deinde id tecum reputes velim, sequi me aliorum exempla, qui hac ope instructi, quamplurima, eaque depravatissima juris loca optime restituerunt. Notis ac siglis olim perscriptas fuisse voces quas dixi, easque exiguo admodum discrimine inter se distare, non ignorat qui Magnonis, Probi, Diaconi, aliorumque, qui compendia litterarum tradidere, inscriptionesve, aut lapides antiquos expósuere, commentarios vel fugitivo oculo unquam usurpavit; eaque causa exstitit, quamobrem permutata illa atque commixta inter se conspiciuntur in scriptis exemplaribus antiquis, uti demonstrarunt Pater ad *Avian. fab.* 1. *v.* 2. Augustin. *in Emendat. lib.* 2. *cap.* 2. Auctor Obs. jur. Civ. *p.* 34. 37. et 63. et G. Best *cap.* 1. *pag.* 25. *sq.* parco pluribus. Virorum satis est. Liceat et de meo penu adjicere nonnulla, in quibus, si levissimam hanc emendationem admiseris, gravioribus aliorum crisibus tuto carebis.

In *l.* 1. §. 6. *D. de Legat.* 3° ita Ulpianus: *Sciendum est autem, eorum fideicommitti quem posse, ad quos aliquid perventurum est morte ejus.* Aliorum conjecturas, quibus lectioni corruptae subvenire studuerunt, exhibent Ampl. Bynkersh. *Obs. lib.* 4. *cap.* 3. Best *p.* 263. et J. L. Conradi in *Reprehens. p.* 53. Fuit cum pro *quem* reponendum arbitrarer *quid*, sed muto sententiam, insequens enim vocula *ejus quem* indicat esse referendum ad fideicommittentem, quare malo jam *fideicommitti* hoc est, *fideicommittere*, contracte enim olim vocem scriptam constat; per Graecismum, quo nimium quantum delectatur, Jensius *in strict. p.* 260. interpretatur.

Quia pro *qua* perperam positum arbitror in *l.* 17. §. 2. *in f. D. de Injur. Si servus decesserit, dominum ejus agere posse Labeo ait, qua* (sc. actione, qua de constructione consule Eruditiss. Auctor. Obs. Jur Civ. *p.* 93. et Marckart. *Interpr. Lib.* 2. *cap.* 20. nisi praeferas *ait ac*, quod *actionem* interpretatur Magno) *de damno, quod per injuriam factum est, agatur.* intellige actionem legis Aquiliae.

In *l* 5. *D. de jur. et fact. ignor. iniquissimum videtur* inquit Terentius Clemens *cuiquam scientiam alterius quam suam nocere*, possit quis subintelligere *tam*, malo *quasi suam*.

Qui jussu judicis facit, non videtur dolo facere, qui parere necesse habet, auctore Paulo in *l.* 167. §. 1. *D. de Reg. jur.* Cl. J. G. Hofman, Vir praeclara juris prudentia instructissimus, *in Meletem. ad D. dissert.* 32. §. 7. reponit *quippe qui.* Necessariam correctionem non putem; clarior tamen evadet sensus, quod credo et a Pauli manu esse, si *quia parere* substituas.

Jussit quis in testamento suo *ut quid in foro fiat*, verba sunt *l.* 39. §. 1. *D. de Cond. et Demonstrat. si non appareat quid mortuus senserit, in ejus municipii foro faciendum est, in quo is, qui testamentum fecerit, domicilium habuerit.* quid si saepius domicilium mutaverit, ac variis in foris habitaverit defunctus? non indistincte adeo proponere solent responsa sua Prudentes; Sunt qui ea propter *novissimum* inserunt, audacius forte. Sibi puto restitues Javolenum, an Labeonem, si reponas: *quum testamentum fecerit.*

Quod si ita scriptum sit, ait Julianus in *l.* 19. §. 1. *D. quando dies legator. si penum intra Kalendas non dederit, centum dato, ... si uxor ante Kalendas decesserit, heredi suo neque penum relinquet, quae legata non est, neque ea centum, quia dies legati cesserit.* Ita codex Pisanus; vulgata editio exhibet *non cesserit.* Negative intel-

piuntur; editionis: veluti si ancilla conceperit, deinde manumissa pa-

telligendam Juliani sententiam nullus dubitet, qui verba vel obiter inspexir; legendum puto *quin dies*, hoc est, quia non; qua de vocis hujus significatione consule Gellium *Noct. Attic. lib.* 17. *cap* 13. Ad §. 2. ejusdem legis quod attinet, non videtur necessaria correctio, modo ita distinguas: *Cum ab eo mihi fideicommissum datum est, cui sub conditione legatum*, (subintellige *est*) *est*, subaudi: ita constitutum, *quemadmodum si, herede instituto* aliquo *sub conditione, pure mihi legetur.* Confer Egregium Auctorem Obs. jur. Civ. *p.* 106. et Ampl. Van de Water *Obs. lib.* 3. *cap.* 12. Neque tamen refragabor, si ita mecum Julianum scripsisse existumes: *legatum*, vel *id est*, hoc est, *legatum, idem est.*

Julianum excipiat Paulus in *l.* 3. §. 2. *D. de Offic. Praef. Vig. Effracturae fiunt plerumque in insulis, in horreisque, ubi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt.* Haud equidem nescio quae pro vulgata scriptura in medium produxit Cl. Marckart in *Interpret. lib.* 1. *cap.* 13. malim tamen *in insulis, in* vel IT, hoc est, *item horreis, quod* vel *quia ibi*, aut *quippe ubi.* Addi possit et alia ratio, quod insulae, sive domus illae, quae non junguntur communibus parietibus cum vicinis, liberrimumque adeo ambitum habuerunt, faciliorem tutioremque aditum praebuerunt effractoribus furibus.

Pro *quod* restituendum esse *quam* in *l.* 5. *D. de Adm. rer. ad Civ. pert.* recte notavit Cl. Vryhof in *Obs. cap. XI.* Pro *quam* reponendum *quin*, vel *quoniam* in *l.* 35. *D. de Religios.* dubium non est. *Quovis* pro *quodvis* apparere in lege elegantissima 1. §. 23. *D. de Quaestion.*, item *quasi* pro *quod si ibid.* §. *ult.* monuerunt jam alii. Eodem remedio adjuvandam suspicor *l.* 2. §. 1. *D. de Accus. et Inscrips. Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillae avi sui mortem exsequi concessum est; lege autem testamentaria. Nam de patris quidem testamento pupillis agere Divus Vespasianus permisit; sed quasi non exhibeantur tabulae, per interdictum possunt experiri.* Aliis quid placuerit consule Obs. Miscell. Amstel. *vol.* 2. *pag.* 144.; ego repono: *lege allegata testamentaria.* Notarum ignorantia peperit errorem. AT pro *autem*, ALL. pro *allegata* pingebatur. Caeterum quod in pr. ejus §. dicitur, *in quos ex lege testimonium publicorum invitae non dicunt*, legendum puto *testimonia jud. publicorum* hoc est *judiciorum* vid. Magnonem. Confer d. Obs. *l. c.* brevis esse laboro, obscurus fio. ita legem explico. Mulier judicio publico accusare non potest, nisi mortem exsequatur propinquorum *l.* 1. *D. eod.* hoc est, eorum, in quos ex lege Julia judiciorum publicorum inviti testimonium dicere non coguntur, quos si scire desideras adi sis *l.* 4. *D. de testibus.* Dein Scto constitutum est, ut mulieribus quoque concedatur accusatio de testamento falso, si quaestio est de voluntate eorum, in quos invitae testimonium non dicunt, in causa legis Corneliae de falsis, quae per eminentiam *testamentaria* saepe nominatur, vid. Paul. *Sent. lib.* 5. *tit.* 25. §. 1. ibique interpretes; denique permissum est quoque accusare mulieribus publico judicio de testamento liberti paterni. *Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillae avi sui mortem exsequi concessum est lege allegata testamentaria*, ex Senatus scilicet sententia, non ex ipsis legis Corneliae verbis; Senatus enim partes fuisse de eo judicare constat ex *l.* 5. *D. ad l. Corn. de fals.* ex rationis paritate decidendum Senatus censuit utroque in casu proposito, ut, sicut hae accusare possunt publico judicio de testamento falso, ita et mortem exsequi permittatur iis. *Nam* non est causalis hoc loco, sed transitioni inservit; hoc vult Ictus: quod attinet ad paternum testamentum, exstat de eo rescriptum Vespasiani; quod si autem tabulae non exhibeantur potest interdicto agi ad exhibitionem, de quo vid. interpretes ad Paul. *lib.* 4. *tit.* 7. §. 6.

Periculum faciamus an et hoc pacto restaurari possit genuina lectio legis difficillimae 7. *pr. D. de dolo malo*, quam inter cruces Ictorum referendam esse haud immerito existimes. *Pomponius haec verba: si alia actio non sit, sic excipit, quasi res alio modo ei, ad quem ea res pertinet, salva*

riat, liberum parit: nam quoniam non legitime concepit, cum editionis tempore libera ſit, partus quoque liber eſt.

ſalva eſſe non poterit; nec videtur huic ſententiae adverſari, quod Julianus libro quinto ſcribis, ſi minor annis viginti quinque conſilio ſervi circumſcriptus eum vendidit cum peculio, emtorque eum manumiſit, dandam in manumiſſum de dolo actionem; Hoc enim ſic accipimus, carere dolo emtorem, ut ex emto teneri non poſſit, aut nullam eſſe venditionem, ſi in hoc ipſo ut venderet circumſcriptus eſt. Grotius in *Flor. Sparſ.* pro *quaſi* ſubſtituit *ſicque.* Integram alii periodum, quaſi gloſſema, ejiciendam ſtatuunt. Sed, miſſis aliorum opinionibus, ita interpretor, mutatis pauciſſimis: *Pomponius haec verba edicti: ſi alia actio non ſit, ſic excipit:* non aliter dari hanc actionem *qua-ſi,* (hoc eſt, *quam ſi*) *res alio modo ſalva eſſe non poterit... aut nulla-n* (id eſt, *nullam non*) *eſſe venditionem.* Ita legenda eſſe verba poſtrema ratio flagitat; quod ſi ſit nulla venditio propter intervenientem fraudem, actio ſubſidiaria de dolo malo contra manumiſſum non competit, alio enim modo ſuccurritur eo caſu circumvento. Mendum ſcripturae huic ſimillimum deprehendiſſe mihi videor in *l.* 20. §. 5. *D. qui teſtam. fac. poſſ.*, quod eodem remedio tollere conabor. Cujus ad demonſtrationem antequam pedem promoveam, de eo primum quaerendum eſt, num lege Julia Repetundarum damnatus in teſtamento teſtis eſſe poſſit. Negantium partibus accedere nos debere evincit juris ratio; omnes enim publico judicio damnati infames ſunt *l.* 7. *D. de publ. jud.* add. §. 2. *J. eod. tit.* judicium autem legis Juliae Repetundarum deſcendit ex legibus judiciorum publicorum *l.* 1. *D. eod.* dein infames ejuſmodi, qui publico aliquando judicio fuere damnati, teſtes eſſe prohiberi oſtendit *l.* 3. §. 5. *D. de teſtib.* imo ſpecialiter repetundarum damnatus teſtimonio adhiberi non poſſe perhibetur in *l.* 15. *D. eod.* ubi *Repetundarum damnatus* inquit Paulus *nec ad teſtamentum, nec ad teſtimonium adhiberi poteſt.* Idem affirmat Venulejus in *l.* 6. §. 1. *D. de Lege Jul. Repetund. hac lege* Repetundarum *damnatus teſtimonium publice dicere prohibetur.* Vides itaque et juris rationi inconvenientem, quin legibus quoque expreſſis contrariam fore opinionem, ſi quis talem adhiberi poſſe pertinax ſtatuere velit. Scrupulum tamen movent verba Ulpiani in *l.* 20. *c. eum, qui lege repetundarum damnatus eſt, ad teſtamentum adhiberi poſſe exiſtimo, quoniam in judicio teſtis eſſe vetatur:* An humani aliquid paſſum Ulpianum credamus, ac rectius ſtatuiſſe Paulum dicamus, Ulpiano ſi non majorem, certe parem? abſit ut errorem iſtiuſmodi inexcuſabilem, ſupinum, et juris rationi plane adverſum, cadere potuiſſe in praeſtantiſſimum ictum in animum noſtrum inducamus. Imo vero libere pronuntiare non dubito, idem cum Paulo Noſtrum ſenſiſſe; et hunc enim teſtimonium denegaſſe damnato, manifeſte oſtendunt ea quae adjungit, *quoniam in judicio teſtis eſſe vetatur.* Neque enim temere quem hanc a Prudentum principe exſpectare puto ſententiam abſurdiſſimam: teſtis eſſe poteſt, quia teſtis eſſe non poteſt. Fruſtra quoque rem expediviſſe ſibi viſi ſunt illi, qui exiſtimant, id indicare voluiſſe Ulpianum, damnatos hos ad teſtamentum faciendum adhiberi poſſe, a teſtimonio tamen dicendo arceri; ſiquidem quam clariſſime apparet ex totius legis contextu, ex ipſo dein *adhiberi* vocabulo, denique ex *τοῖς teſtis eſſe vetatur,* unice hoc loco ſermonem fieri de teſtimonio, de teſtamento faciendo nil quidquam cogitari, ne dicam ſomniari; poſtremo tandem, ſi vel eo ſenſu accipi liceret, ne ſic quidem lectionis veritas conſtaret, quandoquidem judicio hoc publico damnatos inteſtabiles eſſe certum ſit, quippe cum quibus teſtamenti factio non fuerit, quum jus comitiorum talibus non competierit. Probato itaque in judicio teſtes eſſe non potuiſſe damnatos, conſequitur neque in teſtamento eos adhiberi potuiſſe, quod antiquitus novimus judicii formam habuiſſe, in comitiis calatis fieri ſolitum, ubi, convocato populo, lege quaſi rogata, Quirites auctoritatem ſuam interponere debuerunt, ac jubere, ut heres nuncupatus in bona ſuccederet. Aliorum de lectione verborum legis hujus conjecturas plena manu

manu dat Cl. Marckart in *Probab. pag.* 23. qui in eorum castra transit, qui Ulpianum a Paulo dissensisse opinantur, cumque intelligendum hoc modo, ut a judiciali testimonio arcendos, ad testamentum vero adhibendos, dixisse videatur; Verum enimvero pace Virorum laudatissimorum fateri liceat, contrariam rationem apparere omnino verissimam, hoc enim si indicasset Auctor noster, non *quoniam*, sed *quamvis*, dicere eum debuisse palam est; deinde ecquis adeo omnis jurisprudentiae expertem statuat Ulpianum, qui credat egregium hunc Jctum docuisse damnatum talem adhiberi posse in testamento? quis tam rudem fuisse cogitare ausit, ut in hac causa a judiciali testimonio ad testamenta extensionem fieri non posse senserit? Testamentis legum vim tributam fuisse, eodemque, quo leges, modo condita ea fuisse demonstravimus alias; infames, rogo te, in testamento testes adhiberi posse arbitraris? nollem excidissent ea Viris eruditissimis, superstitiose nimis inhaerentibus lectioni Codicis Florentini. Infelici quoque, ut videtur, conatu Paulum cum Ulpiano conciliare studuerunt alii, qui *non posse* emendant. Probabili scripturae vitio verosimile est *non* excidisse, neque tamen illo, quo hi statuunt, loco, ubi neque vola ejus neque vestigium apparet. Ita scriptum credo: *ad testamentu—n adhiberi* hoc est, *ad testamentum non adhiberi.* N pro *non*, itemque M litteram per lineolam — olim notatam notissimum est; ignorantes librarii, aut non satis attenti, excusabili lapsu exhibuerunt *testamentum.* Quod de M dixi, videsis Cl. O. Arntzen. *ad Caton. lib.* 1. *dist.* 12. *et* 39. add. Ampl. Brencman *in Hist. D. lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 109. *et p.* 123. *sq.* in fine vocum saepius eandem omissam probat Pater in *Dissert. ad Avian. pag.* 305. *sq.* Branchu in *Obs. part.* 1. *p.* 234. in lapidibus frequentissime eam desiderari observat Doctissimus Van Goens *de Cepotaphiis pag.* 12.

Non tempero, quin huc addam lectionem, quae apud Papianum exstat, corruptissimam, cui eadem, quam hoc loco institui, via opem ferre facile est. *Si quis autem* verba sunt Papiani in *libro Responsorum tit.* 19. *dolo focum fecerit, ut exinde ad areas ac tecta . . . perveniat, damnum, quod evenerit, aestimatione sarcitur.* Constat ex Paulo, cujus ex Sententiis sua potissimum compilavit Papianus, evidens quoque est ex ipsa juris ratione, denique certum est ex Jctorum fragmentis, eum, qui dolo incendium procuraverit, minime satisfacere restitutione damni dati, sed gravissimis eum poenis plectendum esse; dubitari itaque neutiquam poterit, sermonem injecisse hoc loco Papianum de eo, qui non data opera fecit. Demonstrarunt hoc, atque evicerunt Schulting. *ad l. c.* et H. J. Arntzenius *in Specim. Observat. cap.* 6., qui et varios modos addunt, quibus scribarum errorem hunc corrigere alii allaborarunt. Ego, si quid mihi symbolam conferre licet, rescribo *aute—n* hoc est *autem non.*

Quae sequuntur ibidem: *in servo restituta res etiam digno supplicio vindicetur*, per geminationem ita restituo: *restituta REs* id est *restituta re res.*

Sed ut tandem e diverticulo, longiore forsitan, in viam revertar, quis ambigat in decantato Ennii fragmento, quod Cicero servavit *lib.* 1. *de Officiis.*

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

pro *quasi* reponendum *qui si?*

Apud Capitolinum in *Pertinace cap. penult.* ita legitur: *Julianus corpus ejus funeratus est, qui nullam ejus mentionem fecit*, ubi pro *qui* Cl. Best. *p.* 166. substituit *etsi.* Licet concedam vitio carere lectionem vulgatam, si quid tamen emendandum putes, mallem *quamvis*, quod per *qui* olim scriptum fuit. Addo Martialem *lib.* 2. *epigr.* 62.

Quod pectus, quod crura tibi, quod brachia vellis,
. . . .
Hoc praestas, Labiene, tuae, quis nescit? amicae,
Cui praestas culum, quem, Labiene, pilas.

Lego *quod praestas culum.* Eleganter uti cen-

centies alibi, respondent sibi *hoc* et *quod*. Ita quoque, quamvis dem, necessariam non esse correctionem, in his ejusdem Poëtae *lib. 6. epigr. 86. v. ult.*

Et potet calidam, qui mihi laudat, aquam.

Praeferam *quam*. Ipse potet caldam, quam mihi laudat, dummodo mihi liceat bibere vinum Campanum.

Solum partem esse aedium existimo, ait Celsus in *l. 49. pr. D. de Rei Vind. nec alioquin subjacere, uti mare navibus*. Navis pertinet ad dominum, id quod subjacet navi, mare, non est navis, nec domini alicujus, sed est res communis. Aedes vero pertinent ad dominum, solum est pars aedium, et hoc itaque pertinet ad dominum aedium; quamvis autem subjaceat solum aedibus, non tamen subjacet alii, ita ut mare; perspicis, ni fallor, pro *alioquin*, legendum *alii*, vel *alio*, quod idem puto, *cui*, aut si id mavis *alieno cui*.

Dum de aedibus sermo est, in memoriam succurrunt varie tentata verba Javoleni in *l. 23. pr. D. de Usurpat. et Usucap.: Cum aedes ex duabus rebus constant, ex solo et superficie, et universitas earum possessionem temporis immobilium rerum, omnium mutet*; pro *mutet* vult *imitet* Cl. Best *p.* 189. ego pressim secutus ductus litterarum ita scribo: *possessione temporis immobilium rerum communi nitatur*. M. aliquando male additum conspici in libris MSS., ubi exsulare debuerat, observat Commentator Egregius ad *Collat. leg. Mos. et Rom. p.* 728. ubi *fortem* exhibetur pro *forte*. Vela contraho

Hic teneat nostras anchora jacta rates.

TITULUS VI.

De Dotibus.

§. 1. Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur.

§. 2.

§. 1. *Dictum a promisso discernitur*, ait Ulpianus in *l. 19. §. 2. D. de Aedil. edict. dictum accipimus, quod verbo tenus pronuntiatum est, nudoque sermone finitur; promissum autem potest referri et ad nudam promissionem, sive pollicitationem, vel ad sponsum*. Add. *l. 20. eod. Si vero*, verba sunt Caji, *ante venditionis tempus dictum intercesserit, deinde post aliquot dies interposita fuerit stipulatio*. Ex dictione tamen ea, modo non sit facta jactandi causa, aut commendandi ergo rem venalem, v. *l. 19. pr. eod.* actionem competiisse ne dubites. Abunde de eo constat ex ipsa *l. 19. c.*, plurimisque legibus ejusdem tituli. Est itaque dotis dictio nuda dotis pollicitatio, sive obligatio, nulla praecedente interrogatione facta, uti appellat Cajus *in Instit. lib. 2. tit. 9. §. 3.* Magnis animorum divortiis inter se distrahuntur Interpretes, solenniterne facta fuerit dotis dictio, necne, intercedentibus puta verbis solennibus; persuadere mihi videntur Ictorum, quae proposui, verba, ut non solenniter factam eam fuisse existumem; quae autem ex Comicis, atque aliunde, petunt sententiae suae praesidia contrariae opinionis fautores, non ea ad dictionem, sed ad promissionem referenda esse arbitror. Obstare videtur *l. 3. C. Th. de incest. nupt.* ubi: *dos si qua forte solenniter aut data, aut dicta, aut promissa fuerit*; Verum *solenniter* vocem ad *promissa* potius quam ad *dicta* ut applicem, faciunt ea, quae ante in medium produxi. Notissimum enim in jure, verbum aliquod generaliter additum uni saepe tantummodo rei posse applicari; exemplis abstineo, cum haec ipsa locutio ve-

§. 2. Dotem dicere poteſt mulier, quae nuptura eſt, et debitor mulieris, ſi juſſu ejus dicat, inſtitutus, parens mulieris virilis ſexus, per virilem ſexum cognatione junctus, velut pater, avus paternus. Dare, promittere dotem omnes poſſunt.

§. 3. Dos aut profectitia dicitur, id eſt, quam pater mulieris dedit: aut adventitia, id eſt, ea, quae a quovis alio data eſt.

§. 4. Mortua in matrimonio muliere, dos a patre profecta ad patrem revertitur, quintis in ſingulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod ſi pater non ſit, apud maritum remanet.

§. 5. Adventitia autem dos ſemper penes maritum remanet, prae-

veritatem evincat quam clariſſime; quis enim in datione dotis ſolennitatem deſideret? Neque tamen nudae conventioni, aut nudo pacto ſimilis eſt dotis dictio, ex quo jure Romano actio non naſcebatur; quandoquidem *legitime* obligantur, quae dotem dixerunt, perſonae illae, quas *l. c.* allegat Cajus. Hae autem *tantum*. Specialiter itaque antiquitus in hac re obtinuiſſe credo, ut legitime obligarentur, qui nulla intercedente interrogatione dotem dixerant. Neque tamen ſtricte adeo verbi hujus propriam ſignificationem obſervaſſe ſemper videntur Icti, ut non aliquando et pro ſtipulari illud adhibuerint; Ea certe ſignificatione accipiendum puto vocabulum in *l.* 1 §. 14. *D. de Cloacis. Damni infecti cautionem pollicetur* Praetor, verba ſunt Ulpiani, *ſi quid operis vitio factum eſt; nam ſicuti reficere cloacas et purgare permittendum fuit, ita dicendum, ne damnum aedibus alienis detur.* Confer verba edicti in *l.* 1. *pr. D. eod. videndum* praefert Cl. Voorda in *Interpret. cap.* 8. *edicendum* mavult Auctor *Obſ. p.* 139. quo modo et alibi pro *dicendum* reſcribit Sciopp. *ad Priap. cap.* 4. Interpretor: Praetor voluit *dicendum*, hoc eſt, ut diceret, caveret, ſtipularetur ille, cujus operis vitio aliquid fieri metuitur, ne damnum alienis aedibus fiat; niſi mavis *dicendum* a Praetore fuit, id eſt, in edicto propoſito cavendum, et curandum, ſignificatione in jure quoque obvia. De dotis dictione confer quae erudite congeſſit *ο μεγας* G. Noodt *de Pactis cap.* 8.

§. 2. Verba: *ſi juſſu ejus dicat inſtitutus*, aut, uti ex MS. Auredanenſi exhibet Nob. Meerman, *conſtitutus*, ſic accipio, quaſi dixiſſet Ictus: *ſi*, vel dummodo, ut *juſſu ejus dicat* fuerit *inſtitutus*. Ita Cicero *pro Cluent. cap.* 26. *quadraginta et millia, ſi eſſet abſolutus, pollicetur.* Poſſis et legere *dicAT id inſtitutus* hoc eſt, *dicat ad id inſtitutus.* Hoc certum eſt, *inſtitutum* pertinere ad *debitorem*; clara ſunt verba Caji *lib.* 2 *I. tit.* 9. §. 3. *non ſolum in hac obligatione ipſa mulier obligabitur, ſed et pater ejus, et debitor ipſius mulieris, ſi pecuniam, quam ille debeat, ſponſo creditricis ipſe debitor in dotem dixerit. Hae TANTUM tres perſonae poſſunt dictione dotis legitime obligari*; Perperam itaque editor Pariſienſis, qui auctoris mente non recte intellecta, margini adſcripſit: *juſſus tutor.*

§. 4. Ant. Faber *in Conject. lib.* 1. *cap.* 16. *et lib.* 13. *cap.* 1. id agit, ut oſtendat, ita hic intelligendum Ulpianum, ut propter liberos praemortuos quintae duntaxat, propter ſuperſtites vero univerſa dos retineatur. Confer Ampl. Meerman *h. l.*

§. 5. Etiam ſocius aliquando pro filia ſocii dotem promittebat, ſive ex ſuo, ſive ex communi, eaque eſt dos adventitia. Egit de hac Papinianus in *l.* 81. *D. pro ſocio*, in qua lege duo ſunt, quae morari poſſint lectorem; alterum eſt in *pr.*: *Si ſocius pro filia dotem promiſit, et prius quam ſolveret, herede ea relicta, deceſſit, quae poſtea cum marito de exigenda dote egit, accepto liberata eſt. Poſtea* accipio *poſteaquam.* Novimus enim particulam *quam* per ellipſin ſaepenumero omitti vid. Cl. J. Arntzen. ad *Plin. Paneg. pag.* 128. 320 *et* 324.

praeterquam si is, qui dedit, ut sibi redderetur stipulatus fuit: quae dos specialiter receptitia dicitur.

§. 6. Divortio facto, siquidem sui juris sit mulier, ipsa habet actionem, id est, dotis repetitionem. Quod si in potestate patris sit, pater adjuncta filiae persona, habet actionem revera: nec interest, adventitia sit dos, an profectitia.

§. 7. Post divortium defuncta muliere, heredi ejus actio non aliter

324. aut subintelligo *si*. Alia dabit Auctor *Obs. jur. Civ. p.* 116. Alterum est in his: *Verum in proposito largiter esse videbatur, dos numerata esset, an vero promissa.* Vitiosa esse nemo sanus dubitet; quo pacto restauranda sint, inquisiverunt plurimi. Vid. Consultiss. Rygerbos in *Obs. pag.* 88. scribendum puto *Large interesse videbatur*; sive *Largum* Icti nomen esse arbitremur, sive consulentis alicujus id esse existimemus. Hoc constat, Paulum saepissime mentionem injicere Latini Largi vid. *l.* 56. *D. de Aedil. edict.* add. Auctorem insignis libelli *de Nominibus Pandect. cap.* 5. *in thes. jur. Otton. tom.* 1. *p.* 379. *lin.* 11. Largii Eurippiani consultoris meminit Scaevola in *L.* 21. §. 4. *D. de Annuis legat et fid.*

§. 6. Optime, mea quidem sententia, pro *revera*, quod huc non convenit, *rei uxoriae* substituit Cujacius, Ictorum Coryphaeus, quam rei uxoriae actionem, quoties post divortium de dote contentio est, competere tradidit Boëtius. De solennibus actionis hujus formulae verbis *quantum aequius melius*, quorum in jure quoque vestigia apparent, Cicero meminit in *Lib.* 3. *de Offic.*

Elegantissima sunt, quae de materia hujus, et proxime praecedentis §. adnotavit Vir patrii aeque atque Romani juris consultissimus C. van Bynkershoek *in Observat. Lib.* 8. *Cap.* 14.

§. 7. Maritum, ubi de dote agitur, non ultra teneri, quam in id quod facere potest, res certa est. Socero utrum idem privilegium competat Juridici certant, et adhuc sub judice lis est. *Sicut autem cum marito agitur*, Paulum audis in *L.* 21. *D. de Re Judic. ita et cum socero, ut non ultra facultates damnetur. An, si cum socero ex promissione dotis agatur, in id quod facere potest damnandus sit, quod* (lego *quaere*) *et id aequum esse videtur; sed alio jure utimur, ut et Neratius scribit.* Idem in *L.* 17. *D. Sol. Matr. ex diverso*, ait, *si socer ex promissione a marito conveniatur, solet quaeri, an idem ei honor habendus sit, Neratius libris Membranarum, et Proculus scribunt hoc justum esse.* Perrenon. in *Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *p.* 601. distinguendum putat inter jus strictum et aequitatem. P. Burgius *in Electis cap.* 19. verba ita transponit *aequum esse videtur, ut et Neratius scribit, sed alio jure utimur*; distingui autem oportere docet ex *L.* 22. *insequenti* inter petitionem factam stante, atque eam, quae fit soluto matrimonio; dein id demonstrare voluisse Paulum existimat, aequitatis quidem velle rationem, ut non ultra tenerentur soceri, sed aliud tamen sua aetate jus obtinere. Verum enimvero obstare videtur interpretationi huic *Lex* 84. *D. de Jure Dotium*, in qua idem Ictus beneficium hoc competere innuit etiam post solutum matrimonium, nisi injusta causa esse videatur, *diremto matrimonio ex causa et persona id tribuendum socero* adfirmans. Leve est, quod pro *id aequum ita aequum* substituunt nonnulli. Rem hoc modo intelligo: Stante matrimonio conceditur socero beneficium hoc omnino, hoc est semper, diremto eo, non nisi causa cognita, eodem modo, quo sociis hoc dari probat *L.* 22. §. 1. *D. de Re Jud.*; eamque puto explicationem deberi verbis *ex causa.* Caeterum, si in causae illa cognitione apparuerit, mala fraude in his versatum fuisse socerum, veluti, *si specie futurae dotis induxerit genero*, hoc est, si generi nuptias sollicitaverit, sub obtentu dotis sat amplae a se praestandae, atque ita

aliter datur, quam si moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit.

§. 8. Dos si pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima die redditur; nisi si, ut praesens reddatur, convenerit. Reliquae dotes statim redduntur.

§. 9. Retentiones ex dote fiunt, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas.

§. 10. Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris aut patris, cujus in potestate est, divortium factum sit: tunc enim singulorum liberorum nomine sextae retinentur ex dote. Non plures tamen, quam tres sextae, in retentione sunt, non in petitione.

§. 11. Dos, quae semel functa est, amplius fungi non potest; nisi aliud matrimonium fit.

§. 12. Morum nomine, graviorum quidem, sexta retinetur: leviorum autem octava. Graviores mores sunt adulteria tantum, leviores omnes reliqui.

§. 13. Mariti mores puniuntur, in ea quidem dote, quae annua, bima,

ita insidiatus fuerit genero, indignum se gerit legis beneficio. *Species* est simulatio ejus quod re vera non est. Ita *sub ingenuitatis specie vagari* fugitivus dicitur, qui ingenuum se mentitur, in *Papiani Responsis Tit.* 43. Quamobrem necessarium non puto ut *spe* substituamus, quamvis non negem vocabula illa aliquando inter se commutari. vid. Marckart in *Interpret. Lib.* 2. *Cap.* 17. et Cl. Duker *ad Flor. Lib.* 1. *Cap.* 13. *Num.* 15. Neque vero probem emendationem a Grotio propositam in *Flor. Spars.* qui Heraldum secutus pro *induxerit* reponendum esse putat *illuserit*; eleganter enim *inducere* olim pro *illudere*, *decipere* adhibitum fuisse Grammatici docuerunt. Audi sis Nonium Marcellum *Cap* 4. *pag. m.* 330., *induci* ait *est aliquibus fallaciis decipi. Lucil. Lib.* 30. *quid quaerimus acre inductum cantu?* adde Perotti *Cornucopiam pag.* 455. *nonnunquam etiam inducere est quibusdam veluti falláciis decipere.* Nolo plura in re vel ex lexicis nota. Catharin. *in Thes. Meerm. Tom.* 6. *p.* 796. legendum arbitratur *induxerit generum*, rationem vero non video, quamobrem suspectam habeamus constructionem illam, aeque, puto, tolerandam, atque vulgatissimam *imponere alicui*, alia.

§. 9. De Retentione ita Imp. in §. 37. *J. de Action. nam ob impensas in res dotales factas marito quasi retentio concessa est.* Vox *quasi*, quae in vulgata editione exstat, in plerisque omittitur, abesse jubetur ab Interpretibus. Postliminio quasi reversam in textum recipere possis, si pro *quasi* legas *quoque*; exigua utriusque vocis per notam scriptae differentia errorem procuravit; Scio in proxime praecedentibus dictum jam fuisse *propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur*, sed haud raro solitos fuisse Ictos voculam illam repetere exemplis probavit Cl. Vryhof *Obs. Cap.* 22.

§. 13. Pro *repraesentatio* Nob. Meerman exhibet *compensatio.* Rationem prorsus nullam perspicio, quare contra Codicum auctoritatem obtrudamus hic Charondae lectionem *annua*, *bima*, *trima*, *die*, quam utrum ex ingenio suo proposuerit, an ex MS. suo reddiderit, certo non constat. Vulgaris, quam dant plerique libri vetustiores optimae notae, *a die*, commodissimum sensum praestat, id quod observatum quoque video Viro Egregio P. Fabro.

bima, trima die reddi debet, ita. Propter majores mores praesentem dotem reddit: propter minores senum mensum die. In ea autem, quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus jubetur reddere, quantum in illa dote quadriennio redditur: quod repraesentatio facit.

§. 14. Impensarum species sunt tres: aut enim necessariae dicuntur, aut utiles, aut voluptuosae.

§. 15. Necessariae sunt impensae, quibus non factis dos deterior futura est, velut si quis ruinosas aedes refecerit.

§. 16. Utiles sunt, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit, factis autem fructuosior dos effecta est, veluti si vineta et oliveta fecerit.

§. 17. Voluptuosae sunt, quibus neque omissis deterior dos fieret: neque factis fructuosior effecta est: quod evenit in viridiariis, et pictoriis similibusque rebus.

Eleganter dos *quae a die redditur* opponi videtur illi, *quae praesens redditur.* Sequentia sic corrigo: *In ea autem, quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus jubetur reddere, quantum in illa dote quadriennio redituum fuit, quo repraesentatio facta fuit*, hoc est in eo quadriennio, quo praesens reddita fuit.

De lectione et sensu verborum hujus §. non poenitebit adiisse Ampl. Bynkersh. *Obs. Lib.* 7. *Cap.* 19. Actioni malae tractationis, judicioque de moribus locum datum, et causam divortio praebitam fuisse, si maritus concubinam adsumsisset, probavit Pater *in Rescr. Boxbornio de Cat. pag.* 450. Denique *senum mensum* dictum pro senorum, hoc est, sex mensium, nemo nescit. Consule Popmam *de Antiq. Loc. Lib.* 1. *Cap.* 9.

§. 16. In *L.* 5. §. *ult. D. de Impens. in res dot. fact.* utiles impensas ita describit noster: *quas maritus utiliter fecit, remque meliorem uxoris fecerit, hoc est dotem.* Ultima verba pro glossemate habenda statuit Ampl. Van de Water *in Obs. L.* 3. *Cap.* 15., extra tamen, si quid video, necessitatem. Eodem plane modo Ulpianus *Tit.* 6. §. 6. *divortio facto ipsa* mulier *habet actionem, id est dotis repetitionem*, licet ibi quoque postrema verba a glossatore adjecta temere scripserit P. Faber. Perspicuitatis gratia a Ictis, forte et a Triboniano, saepissime talia addita non nescit, qui fragmenta eorum versat; confer Noordkerk in *Obs. Dec. p.* 78. Usum verborum *id est* latius indagarunt Cl. Duker in *Opusc. de Lat. Vet. Ictor. p.* 273. *et* 488. et Noodt *de Pactis Cap. XI.* add. Mercerium *in Thes. Ott. Tom.* 2. *p.* 1580.

TITULUS VII.

De jure donationum inter virum et uxorem.

§. 1. Inter virum et uxorem donatio non valet, nisi certis ex causis: mortis causa, divortii causa, servi manumittendi gratia. Hoc amplius Principalibus constitutionibus concessum est mu-

§. 1. Haud sanequam immerito Vir Cl. G. Marckart *in Prob. Lib.* 1. *pag.* 60. *et Lib.* 3. *pag.* 3. damnat inveteratum, eumque pessimum morem nonnullorum, qui, ubi vocabulum aliquod rarioris usus, quod diu fortasse frustra alibi quaesiverunt, apud probatae Latinitatis auctores offendunt, civitate Romana protinus ei interdicunt, atque aliud loco ejus substituendum clamitant, plane aliquando alienum; Exemplorum quantum quidem satis est suppeditat ipse Vir Doctissimus. Inficias ire nullus, credo, sustineat, plurima reperiri apud scriptores antiquos vocabula obsoleta, atque obscura, quae, usu volente,

Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi,

in desuetudinem postmodum abiverunt. Neque vero apud Plinium tantummodo, Ennium, Catonem, aut novatorem verborum Sallustium, et si qui praeter eos exstiterunt olim, qui, quasi cum Euandri matre institueretur sermo, voces nimis priscas, atque insolentiores in deliciis habuerunt, sed et apud ipsum eloquentiae fontem talia observare liceat, uti dudum demonstrarunt alii. Ridendum autem procul dubio se propinaret, qui ejusmodi phrases aut dictiones Latinitate propterea temere vellet prohibere, aut crisi, duriore plerumque, corrumpere. Quid quod vocabula plurima barbara, ac peregrinae nationis ab aliquibus adscita fuisse constet? vid. P. Faber *in Semestrib. Lib.* 3. *pag.* 11. *et* 12. Quid multa? si quis rationem habeat eorum, quae ab Ausonio Popma, ut alios taceam, in *Libris de Usu Antiquae Locutionis* in medium proferuntur, intelliget is, ni fallor, multa antiquitus in honore fuisse, quae postea cecidere, vocabula, et loquendi modos. Afferre huc lubet exemplum, si rem spectes, loco nostro convenientissimum, si verba consideres, ex penitiore antiquitate depromtum. *Si maritus* inquit Ulpianus in *L. XI.* §. *penult. D. de donat. int. Vir. et Ux. uxori donaverit mortis causa, eaque diverterit, an dissolvatur donatio? Julianus scripsit, infirmari donationem, nec impendere.* De re constat inter eruditos, de verbis non item. Aliorum conjecturas recenset Catharinus in *Obs.* insertis *Thes. Jur. Ott. Tom.* 1. *p.* 489. add. Consultiss. Rover in *Dissert. Inaug. Cap.* 5. et Virum Doctiss. J. L. E. Putman in *Interpret. pag.* 23., qui *impendere* interpretatur: in pendenti esse; Auctoritatem vellem addidisset, et exempla locutionis illius protulisset Vir Eruditissimus. Ad me quod attinet, nihil quidquam mutandum censeo, modo disjunctim legas *im pendere.* Tritissima significatione in jure dicitur *pendere* conditio, dies, res, cujus adhuc eventus exspectari debet; *im* antiqua terminatione pro *eam* positum arbitror. *Im* verba sunt Festi *ponebant pro eum, a nominativo is.* Est ergo accusativus antiquus. Promiscue olim *em* et *im* pro *eum eam* dictum ambigi non potest. Gellius *Noct. Att. Lib.* 20. *Cap.* 1. haec citat Legum Decemviralium verba: *ni suo vivit, qui em vinctum habebit.* Hinc *emem* pro *eundem* vid. Festus in v. *em* et *emem*; *d* postea insertum, eodem modo quo ex *re* et *eo*, *emo*, *ago*, factum *redeo*, *redimo*, *redigo*, reliqua. Add. Idsinga in *Variis Cap.* 5. *p.* 37. Macrob. in *Saturnal. Lib.* 1. *Cap.* 4., consule porro J. N. Funccium *de Legib.*

mulieri in hoc donare viro suo, ut is ab Imperatore lato clavo vel equo publico, similive honore honoretur.

Legib. XII. Tabb. p. 116. *et alibi*, denique, ne plures memorem, Auctorem *Obs. Jur. Civ. p.* 86. *Et* quoque pro *eos* dictum olim fuisse observari vides in *Sylloge Epistolarum Vir Illustr. a Cel. Burmanno editarum Tom.* 4. *p.* 59. *Itus pro iis minus Latinum putat consuetudo*, inquit Nonius Marcellus *pag. m.* 486., *cum veterum auctoritate plurimum valeat.* etc. Adde Plaut. *in Mil. Glor. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 74. Confer Perizon. *ad Sanctii Min. Lib.* 3. *Cap.* 14. Eodem modo *ques*, *quium*, *quis*, in usu antiquis fuisse pro *qui*, *quorum*, *quibus*, auctor est Servius *ad Virgil. Aen.* 1. *v.* 99. De *quis* pro *quibus* exemplorum copiam amplissimam congessit Vir Cl. Jo. Fr. Reitzius *in Ambiguis voce quis. Eris* pro *heredis*, itemque *erem* pro *heredem* dictum olim ostendit Nob. Meerman ad *Tit. XI.* §. 14. De terminationibus antiquis cum sermo sit, non possum non addere locum vexatissimum Ulpiani in *L.* 156. §. 1. *D. de Reg. Jur. Cum quis in alii locum successerit, non est aequum ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit; in cujus locum successit.* Varias variorum opiniones de lectione verborum suppeditant Nob. Rygerbos *Obs. p.* 87. Cl. Best *p.* 148. Celeb. Marckart *in Interpr. Lib.* 2. *Cap. XI.* Ego *alis* accipio pro genitivo antiquo, *non* deinde per interrogationem intelligo pro *nonne*, quicquid temere dissentiant alii. An forte idem dicendum de *L.* 37. *D. Famil. Ercisc.? qui familiae ercisciundae judicio agit, non confitetur adversarium sibi esse coheredem?* Hoc certum est *non* pro *nonne* saepissime usurpari; v. Cl. Best *l. c.* et Celeb. J. Arntzenius *ad Plin. Paneg. p.* 50. *et alibi.* Manifestum et hoc est interrogationem fortius negare, v. Consultissimus Noordkerk *in Obs. Dec. p.* 116. *sq* add. Celeb. J. F. Reitz *in Ambiguis v. Interrogatio.* Nescio an eodem modo explicari optime possit *L.* 65. §. *ult. D. de Acquir. Rer. Dom. Si id, quod in publico innatum, aut aedificatum est, publicum est, insula quoque, quae in flumine publico nata est, publica esse debet?* Certe, si per interrogationem hanc intelligas, tuto carebis conjecturis Cl. Eckii, aliorumque, qui, Hotomannum secuti *Lib.* 1. *Obs. ult.*, *non* interponunt. Quid si et hac mente locutum fuisse Ulpianum censeamus in *L.* 64. *D. ad Leg. Falc.? Si in testamento ita scriptum sit: heres meus Lucio Titio decem dare damnas esto, quanto quidem minus per legem Falcidiam capere poterit, tanto amplius ei dare damnas esto. Sententiae testatoris standum est?* Uberius de hac lege egerunt Cl. Voorda *in Electis Cap.* 22., et Jensius *in Strict. p.* 341. Ita quoque interpretor verba *L.* 21. §. 3. *in f. D. de fidejussor. Argumentum rei est, quod si possessio rerum debitoris data sit creditori, aeque dicendum est, fidejussorem manere obligatum?* Hoc sanequam malo, quam cum Ant. Fabro, quem sequitur Cl. Schulting *ad Pauli Sent. Lib.* 5. *Tit.* 12. §. 12. obtrudere *non manere.* Addo *L.* 3. §. 8. *D. de Rivis*, quam sine ulla crisi ita lego, ac distinguo: *Plane per in rem actionem dicendum est, posse adversus eum vindicari, jus ei non esse?* interrogationi propositae ipse mox respondet Ictus: *dubium non est.* Facessant itaque emendationes aliorum, de quibus consule Bestium *p.* 178. Supplendum censent alii: *hoc dubium non est*, citra tamen ullam necessitatem, millies hoc modo locuti Icti. Sic in *L.* 39. §. 1. *D. de Contr. Emt. Idcirco non amplius emtor petere potest, quam quinque pondo olei, quae collecta essent, a plerisque responsum est*; Quo loco *ut* inserit idem Best *p.* 177. Malim, si pertinaciter corrigendum instes, IĀ hoc est, *ita a plerisque.* Hoc certe negari nequit, facilem accipere interpretationem plurima veterum Auctorum loca, quae misere aliquando ab interpretibus torqueri videas, si per interrogationem exponas. Unum adhuc exemplum allegasse sufficiat ex codice sacro. Joannes *in Euang. Cap.* 14. *c.* 2. haec refert Σωτηρος nostri verba: Εν τη οικια του πατρος μου μοναι πολλαι εισιν, ει δε μη, ειπον αν υμιν; πορευομαι ετοιμασαι τοπον υμιν? His verbis exponunt Theologi praeclari Coccejus et Lutherus: *In domo patris mei mansiones multae sunt, si non, dicerem vobis: Vado parare vobis locum.* Confer J. C. Wolfii *Curas Philol.*

et

et Crit. ad l. c., qui et adjungit sententias caeterorum Ita vertendum opinor: Domui Patris mei multa sunt habitacula, (intellige domum amplissimam, quae varia habet, a se invicem separata, habitacula, veluti insulas) absque eo esset, (hoc est, si verum non esset, esse ibi multa habitacula) egone dixissem vobis: abeo paraturus vobis locum? Plus semel enim praedixerat perpetuae salutis generis humani auctor discipulis suis se discessurum, ut locum pararet, confer *Cap.* 12. *c.* 32. *ibid.* add. *Cap.* 13. *c.* 33. De elliptica hac loquendi formula, nec non de particulis *εἰ δὲ μὴ* consule Cl. Bos in *Ellipf. Graec. Cap. ult.* Vigerum *de Idiotism. Graec. Cap.* 8. *sect.* 6. *num.* 8. *sq.* Devarium *de Partic. Ling. Gr. p.* 120. *sq.* In viam redeo. Quod de *alii* dixi, observatum a multis, scriptum olim *alius alii alie*, *ille illi illo*, *unus uni uno*, *alter alteri altero*. Vid. Riccius in *Vindiciis Juris Cap.* 18. *in Thes. Ott. Tom.* 2. *p.* 799. add. Schulting *ad Paul. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 9 §. 4. Marckart *Interpr. Lib.* 1. *Cap.* 9. et Popmam *l. c. Lib.* 1. *Cap.* 10. *Totae* quoque pro *totius* positum conjicio a Paulo *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 5. §. 6. Ita nunc circumfertur lectio vulgata: *Quartae portionis portio liberis . . . praestanda est*, *ut ab inofficiosi querela excludantur.* Aliorum conjecturas de loco mutilato exhibent Commentarii ad *d. l.*, et Cl. Vryhof *in Obs. Cap.* 19. Quid, si, servato probe litterarum ductu, substituamus: *Quarta totae portionis portio. Dua* pro *duo*, forte et *amba* pro *ambo* posita antiquis, licet barbarismis accensenda, vid. notas ad *Poët. Lat. Min. a Cl. Burmanno editos Vol.* 1. *p.* 598. *dua corpora* est in inscriptione apud Murat. *Tom.* 3. *p.* 1287. *Num.* 8. Plura si desideras mutatae declinationis exempla, adi sis Nonium Marcellum *l. c.* et Popmam *Cap.* 9. *Domuis* et *fructuis*, ne memorem plura, genitivos obsoletos esse, uterque demonstrat. *Domu* quoque pro *domo* in usu fuisse constat, imo in juris libris vestigia ejus superesse nullus dubito. Eam certe vocem restituendam puto, juxta cum Ampl. Bynkersh. *in Obs. Lib.* 4. *Cap. ult.* et Catharino *in Thes. Meerm. Tom.* 6. *p.* 782., in *L.* 4. *C. de Crim. Expil. Hered.*, ubi de uxore sermo est, *quae socia rei humanae atque divinae domus suscipitur.* Aliorum interpretationes, emendationesque videre est apud Cl. Best *p.* 251., add. Consultiss. Putman in *Interpret. p.* 27., et Virum Nobiliss. A. N. Mollerum *in elegantissima Dissertatione inaugurali*, *Trajecti ad Rhenum publicata anno* 1763. S adhaesit, uti saepissime factum nullus ignorat, ex sequenti *suscipitur*. Pro *domu* usitatior est ablativus *domo*, analogicus tamen, quin et antiquis frequentatus *domu*. v. Popmam *l. c.* Eleganter autem et proprie domo suscipi dicitur uxor, quam solenni pompa olim domum deductam novimus.

Videndum paucis restat de vocabulis rarioribus. *Veste virili legata*, inquit Paulus *Lib.* 3. *Sent. Tit.* 6. §. 80., *ea tantummodo debebuntur*, *quae ad usum virilem*, *salvo pudore virilitatis*, *attinent.* Caussam profecto non video, quamobrem vocabulum *virilitatis*, analogiam si spectes, optimum, aliis etiam usitatum, sensu tamen diverso, Latio proscribamus, aut cum Consult. Struchtmeyero *in Animadv. Crit. p.* 77. emendemus: *virilis status. Muliebritas* Tertullianus dixit.

Tempora, forte et *tempero*, a *tempore* utrumque deductum, primo significatu notare credo, tempori inservire, tempore uti, Belgice: **na de tijds omstandigheden schikken.** *Temporare* dicto sensu occurrit apud Tertullianum. Conjicio ita quoque accipiendam vocem *temperare* apud Paulum *in Sent. Lib.* 5. *Tit.* 3. §. 5. *Nonnunquam pro frequentia admissorum judicantis sententia temperatur.* Aliis quid placuerit retulerunt Commentatores *d. l.* Vocabula plurima insolita, quae frustra forte apud alios scriptores quaeras, recensuit Cl. Duker *in Opusc. de Lat. Vet. Ictor.*, adde D. Gothofr. *ad l.* 3. *D. de Bonis eor.*, *qui ant. sent.* Digna verba legis, quae adscribam, ac brevibus explicem. *Qui rei postulati*, inquit Marcianus, *vel qui in scelere deprehensi*, *metu criminis imminentis* (intelligo accusationem instantem, uti in *L.* 1. §. 23. *D. de SCto Silan.*) *mortem sibi consistuerunt*, (rectius est in aliis libris *consciverunt*, licet et illud defendi possit) *heredem non habent. Papinianus tamen . . . ita scripsit*, *ut*, *qui rei criminis non postulati manus sibi intulerint*, *bona eorum fisco non vindicentur. Non enim facti sceleritatem esse obnoxiam*, *sed* con-

conscientiae metum in reo velut confesso teneri placuit. Non ipsum facinus scelestum punitur, sed quia commissum id est supplicii metu. Non omnimodo *αυτοχειρια* vindicatur confiscatione bonorum, veluti si doloris inpatientia, vitae taedio, pudore aeris alieni, aliave qua causa, non noxia, impulsus, manus quis sibi intulerit. vid. *L.* 1. §. 23 *c.* et ad Paul. *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 12. §. 1.; sed ita demum si quis accusatus, vel in delicto deprehensus fuerit, hoc enim casu si quis mortem sibi consciverit, pro confesso habetur, et conscientiae stimulo, quasi furiis quibusdam, adactus creditur, ut mortem nefarie maturaret, modo tamen constet ante, cujus criminis gratia id fecerit. *L.* 45. *D. de Jure Fisci.* Non audiendi itaque, qui *fati celeritatem* temere legendum volunt, licet negare non sustineam *fati* et *facti* vocabula frequentissime in codicibus antiquis permutata conspici v. Cl. Drakenborch *ad Sil. Ital. Lib.* 16. *v.* 131, et Arntzen. *ad Aurel. Vict. p.* 495. Confer omnino Ampl. Bynkershoeck *Lib.* 4. *Obs.* 4., quo loco de *αυτοχειρια* ex professo disseruit. Festinasse credo Virum Summum, cum ibidem in his Ulpiani in *L.* 23. §. 3. *D. de Aedilit. edict.*: *Malus servus creditus est, qui aliquid fecit, quo magis se rebus humanis extrahat; ut puta laqueum torsit, sive medicamentum pro veneno bibit, praecipitemve se ex alto miserit, aliudve quid fecerit, quo facto speravit mortem perventuram; tanquam non nihil in alium ausurus, qui hoc adversus se ausus est,* per transpositionem reponendum esse scripsit *venenum pro medicamento*; apparet enim quam clarissime innuisse Ulpianum servum eum, qui non vere mortem sibi quidem conscivit, sed qui id egit frustra, ut ad mortem perveniret. Accipienda itaque dictio de illo, qui potionem sumsit, quam venenum esse sibi persuasus medicamentum esse postmodum cognovit. Malim, si quid in verbis propositis emendari cupias, pro τοις *speravit mortem perventuram* ex usitatiore loquendi more reponere *speravit ad mortem perventurum*, subintellecto pronomine *se*, licet et vulgata lectio ferri possit.

Dixi eorum tantum coërceri audaciam, qui ob criminis conscientiam mori magis quam damnari maluerint: nam, *si quis taedio vitae, vel valetudinis adversae impatientia, vel jactationis, ut quidam philosophi,* violentas manus sibi ipse intulerit, in ea causa est, ut excusandum potius, quam vindicandum factum ejus videatur. vid. *L.* 6. §. 7. *D. de Injust. rupt. irr. f. test.* Haloander edidit *jactatione*, alii alia. Expono jactationis causa. Ita *faciendi nominis* exstat in *L.* 2. *D. de Proxenet.*, *faciendi funeris*, reliqua, consule Noodt *de Form. Emend. Dol. Mal. Cap.* 13. *et in Obs. Lib.* 2. *Cap. ult.* Jactationem intelligo istorum, qui improba gloriae atque immortalitatis nominis sui cupiditate accensi, exemplo pessimo atque horrendo, miseri mortem sibimet maturarunt, ipso facto approbantes, non veram sed simulatam philosophiam secutos se fuisse. Herostrati immane facinus, qui, ut aeternus fama superesset, celeberrimum Ephesi templum incendisse fertur, in vulgus notissimum est. Famosissimum Siculi Poëtae, ejusdemque Philosophi interitum narrat Horat. in *Art. Poët. prope finem.*

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit.

Confer Diog. Laërt. *Lib.* 8. *num.* 69., ibique Doctissimum Menagium. Peregrini mortem Lucianus refert.

Nondum sat prata biberunt.

Frugalitatis vocabulum falso suspectum habere videntur, qui in *L.* 10. *C. de Revoc. Donat.* substituendum volunt *fragilitatem*, nonnulli *facilitatem*, alii *prodigalitatem*, Vid. Cl. Marckart *Interpr. Lib.* 2. *Cap.* 14. Frugi bonae est homo utilis, in quo est, quo fruamur, utamur; proprie itaque frugalitas est virtus illa, qua alii utilitatem capiunt sibi, quo primario sensu hoc loco vocem positam arbitror.

Opponat forte quispiam ad haec, quae demonstrandae rei propositae gratia exhibui, exempla, desumta esse pleraque ex Ulpiano, eundemque auctorem non idoneum esse contendat, quippe quem dictiones parum Latinas, ac vocabula peculiaria, rariora, barbara, in deliciis habuisse communis fert hominum eruditorum opinio. Vexatus toties cavillationibus istiusmodi repono paucis. Do voces ab Ulpiano

no usurpatas fuisse, loquendi quoque genera frequentata, auribus nostris inaudita, hoc est, talia, quae apud caeteros ejusdem aevi, aut saeculorum superiorum scriptores non observavimus, verbo dico, insolita, incognita, illa tamen, quae, si Ulpianum ipsum, eive similem interpretem, aut defensorem haberent, nullus fere dubitem, futurum, ut ipsis nobis judicibus comprobarentur, intelligerentur, laudarentur, utpote analogia bona, ex veterum forte scriptis deperditis mutuata, pleraque, suspicor, non alia de causa nobis obscura, quam quia summa est nostra scientiae penuria; quod si enim penitius aliquando investigamus, accidit haud raro, ut clara esse, recta, atque vulgaria, quae in damnatorum classem jam retuleramus, fiat manifestum. Talia autem ubi offendunt censores, ipso, si Dis placet, auctore peritiores, ecquem putes morem istorum? non liquere, ais, inquiunt, exspectantes, usque dum aliunde lux adfulgeat: Vehementer tu quidem falleris, suam ipsos ignorantiam profiteri decere eloquii judices malesanus arbitreris? benignissime si quidem agere instituunt, medicinam adhiberi jubent, secant, urunt, corrumpunt; quod si minus ex sententia succedat, votoque non respondeat tentatum remedium, faba impune in Ulpianum cuditur, novatorem verborum calumniis incessunt, proscindunt, damnant, Tyriam originem exprobrant, huic sermonem vitiosum concedunt. Largior quoque archaismos, quin et Graecismos in Ulpiani fragmentis deprehendi. Verum enimvero, si ingenue agier juvet, ecquae potest ratio excogitari, cur, quod in caeteris omnibus cujuscunque aetatis scriptoribus ferimus, in uno Ulpiano culpemus? Dein nullus ignorat ab eo inde tempore, quo familiaris fuit, ac poene communis genti Romanae Linguae Graecae usus, Archivum dicendi scribendique morem in Urbem adoptatum paulatim invaluisse. Quid quod ipsius linguae Latinae pars non exigua ex Graeca fluxisse sit censenda? vid. G. J. Vossius *in Praef. praemissa Libro de Vitiis Sermonis.* Graecismis referta sunt monumenta omnium, non dico Jurisconsultorum, sed et quorumcunque Auctorum veterum. Utramque paginam facere juris interpretibus Hellenismos plus satis demonstravit Jensius, idem in caeteris probavit Vechnerus, ne plures commemorem. Nosti haec Juvenalis *Sat. 6. v. 187. sq.*

Omnia Graece,
Quum sit turpe magis nostris nescire Latine, rescribo *miscere Latina.*
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt Graece. Dones tamen ista puellis;
Tune etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc Graece?

Denique, ut rem omnem paucis comprehendam, quod scribit Vir varia eruditione praeclarus If. Casaubonus *in Obs. ad Athenaeum Lib. 3. Cap. 8., multa, ut scimus, etiam Ciceronibus et Demosthenibus, nedum Poëtis, qui sibi omnia licere volunt, exciderunt, notanda nobis potius, quam imitanda*, idem neque ab Ulpiano alienum puto; verum extra justam apologiam ne hoc quidem esse videbitur cogitantibus, in nulla re aberrare, divinae utique solius, non autem mortalis esse constantiae, quod dixit Justinianus *in Const. de Confirm. D.* §. 13. Apage itaque querelas eorum, qui stribliginem verborum ac dictionum acerbius in Domitio criminantur, facessant vero inprimis injuriae et convicia istorum, qui novaturienti Icto sermonis peregrinitatem exprobrant, Latinitatem negant. Ab horum tamen parte stare mireris Prudentes egregios, Viros utriusque linguae peritissimos; Consule Bynkershoek *Obs. Lib.* 8. *Cap.* 15. Abreptos suspicor nimio leges ab emblematibus Triboniani vindicandi studio, tum deinde seductos fuisse conjicio severo eorum judicio, qui tamen, si attentius consideres, non de Icto nostro sensere, sed de Ulpiano Sophista, ab hoc diverso. Praecipuum, ne dicam unicum accusationis argumentum ac praesidium repeti animadvertas ex *L.* 22. §. 7. 8. *et* 9. *D. Solut. Matrim.*, quam ex inscriptione apparet descriptam esse ex Ulpiani commentariis ad edictum. Verba plura, quam ut integra adponam; dabo ea, quae potissimum

simum mordent, qui in his Latinae quasi majestatis reum faciunt Domitium. *Personam quae furore detenta est . . . sciente ea persona . . . . Sin autem tantus furor est, ita ferox, ita perniciosus, ut sanitatis nulla spes superfit, circa ministros terribilis, et forsitan altera persona velis, vel* (de lectione verborum postremorum inspice Best *p.* 138. Corrigo *velit id, vel* hoc est, veluti) *propter saevitiam furoris, vel quia liberos non habet* (malo *habet, et*) *procreandae sobolis cupidine tenta est* (an *detenta*, ut supra?) *dirimere . . . maritus . . . ad eam non flectitur, nullamque ei competentem curam inferre manifestissimus est.* (Graecismus est Latinis non infrequens, vid. Vechner *in Hellen. Lib.* 1. *Cap.* 21., add. Opuscula *de Lat. Vet. Ictor. p.* 347. *et* 422.) . . . *mulieris sustentationem sufferre . . . sin vero dotem ita dissipaturus ita* (scriptum fuisse conjicio IA, quod et *ita*, et *interea* significat; alterum itaque interpretor *interea*) *manifestus est, ut non hominem frugi oportet* (geminandam puto vocem *oportet*) *tunc dotem sequestrari, quatenus ex ea mulier habeat solatium.* Mitto reliqua: Sermonem cognoscis ab Ulpiano stilo alienissimum; suppositos esse §. §. *c. c.* a Triboniano recte monuerunt haud pauci, neque de eo dubitaturum esse confido, quisquis utriusque in scriptis vel leviter versatus, verba allegata conferat cum caeteris eorum fragmentis. Triboniani certe, hominis non indocti, juris etiam non imperiti, quin et Latinitatis non damnandae, ejus tamen, quam ferebat aetas, qua vixit, sapiunt illa loquendi consuetudinem. Ex ungue leonem novisse non est difficile. Per singula ire animus non est; Unam nominasse sufficiat *L.* 21. *C. de Fide Instrum.*, quam citat quoque D. Gothofredus, quam verosimile est a Triboniano esse compositam, in qua simili, quam supra dedimus, phrasi exstat: *quidam subtili reverentia tenti*, nisi et ibi praeferas *retenti*. Non dubie porro, ut mihi quidem videtur, in limine §. 7. *c.* ipse indicat Tribonianus, usum se fuisse licentia, quam in concinnando Pandectarum opere architectis eorum se concessisse praedicat Imperator in §. 10. *Constitutionis c.*, ut nempe quid faciendum esset tractaret, si maritus vel uxor constante matrimonio furere coepissent, idque argumentum adjiceret expositum secundum regulas juris, quod suo tempore obtinebat, eo loco, quo Ulpianus eadem forte de re paucissimis quidem, aut ex moribus antiquis fuerat commentatus.

Ad ea vero, quae ex Athenaei Deipnosophistarum libris contra Ulpianum ingerunt, qui id sibi negotii datum esse temere crediderunt, ut optimum Ictum reprehenderent, carperent, traducerent, vix opus esse videtur ut respondeamus. Ulpiani Sophistae meminit Athenaeus; Sophistas plures eo nomine appellatos refert Suidas; Icti Ulpiani mentionem neuter injicit, quin contra, cum aliorum Ulpianorum fata atque interitum multis tradat, de Sophistae Tyrii, quem cum Nostro eundem fuisse perperam, ne dicam ridicule, autumant, aut potius cavillantur, aut nece atroce, aut summa juris prudentia, aut honoribus postremo, quos gessit, amplissimis, ne γοῦ quidem adjungit, non taciturus profecto, si hunc designasset. Addo Imp. Constantini temporibus Emesiae docuisse Sophistam perhiberi. Abstineant itaque κειτούκειτοι inepto scommate impetere Domitium, ne prodant errorem suum sat supinum, confer Schulting. *in Jurispr, Antej. in not. p.* 545. Ονοματοθήραν si appellare placuerit, non intercedam, dummodo intelligant eum, cujus, ut Quintiliani utar verbis, *Inst. Orat. Lib.* 5. *Cap.* 14., *summus circa proprietatem verborum labor est.* Ex diverticulo, longiore forsitan, quo me abduxit indignatio, in viam revertor.

Neque vero donare tantummodo prohibentur vir et uxor per se, sed et per interpositam personam id fieri vetatur, auctore Paulo *Sent. Lib.* 2. *Tit.* 23. §. 3. Idem innuit Ulpianus in *L.* 3. §. 9. *D. de Donat. int. Vir. et Ux. Non tantum autem per se maritus et uxor, caeteraeque personae dare non possunt.* Mutilam esse orationem hanc animadverterunt plures, vid. Interpretes ad Pauli *l. c.* Ex Graecis ita supplent nonnulli: *non possunt, sed nec per interpositam personam.* Nimia certe est haec audacia. Quid si nullo verbo addito, pressim quoque secuti ordinem litterarum legamus hoc modo? *uxor set et al. qq personae.* Non tantum per se donare non possunt sibi invicem,

§. 2. Si maritus divortii causa res moverit, rerum quoque amotarum actione tenebitur.

§. 3.

vicem maritus et uxor, *sed et aliae quaeque personae* iis *dare non possunt.*

Non alienum puto ab hoc loco inquirere de annuo, quod conjuges inter se praestant. Has natura rebus humanis ab ipsis inde primordiis earum vices imposuit, ut vir sibi suisque victum quaereret, mulier vero familiam curaret. Hinc et contra communem juris regulam, qua donationes virum inter et uxorem intercedere prohibentur, receptum est, ut, si annuum se uxori praestiturum stipulatus fuerit maritus, mulier, viro satis functo, illud petere possit *L.* 33. *D. de Donat. int. vir. et ux.*, dum tamen modum non excedat donatio *L.* 15. *D. eod.*, add. *L. XI. C. eod.* Contra vero obtinet in donatione uxoris. Quod si enim ea annuum praestiterit marito, restituetur hoc uxori, ac poterit ea vindicare quod superest, id vero quod consumtum est condictione repetendi facultatem habebit, quatenus locupletior est factus maritus. Ea sententia est verborum in *L.* 33. §. 1. *D. eod.* Rationem hanc addit Ulpianus: *quia non tam solenne est annuum, quod maritus uxori pendit, et quod uxor marito praestat, imo incongruens est, et contra sexus naturam.* Variae exstant Doctorum Virorum conjecturae de verborum horum lectione. Emendanda esse plerique existimant. Transponenda ea arbitratur, juxta cum Scipione Gentili, Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 36., qui hujus aliorumque sententias recensuit. Verum enimvero, si quid libere quod sentio profiteri licet, displicet maxime ista transponendi ratio; Hanc enim si admittamus temere, cereus quasi nasus verti poterit, ac nescio quas in figuras et formas flecti juris nostri doctrina. Consultiss. Putman *in Interpr. p.* 20. religioni sibi ducens vel minimum a Florentino exemplari recedere, per ὑστερολογίαν verba explicat. Vereor equidem oscitantiam ejusmodi Icto nostro adscribere, usque dum aliud supersit rem expediendi remedium. Faciliorem ac rectiorem viam ingressus mihi videtur Cl. G. Best *p.* 170., qui corrigendum censet *insolenne*, cui calculum nostrum adjicere nullus dubitarem, si modo vocem *insolennis* antiquis olim scriptoribus usurpatam fuisse constaret. Quid si pro *solenne* restituamus *insolens?* quae certe durior crisis non videbitur illis, qui rite litterarum rationem habuerint; *in* quod addo repeto ex praecedente *m*, quae littera centies pro *in* ponitur, vid. Sciopp. *in Art. Crit. p.* 51. et Cl. J. Arntzen. *ad Plin. Paneg. p.* 165., add. Celeb. P. Burmannum *ad Poët. Lat. Min. Vol.* 1. *p.* 456., nec non Cl. Best *p.* 168. Scriptum conjicio *ta–insolens.* Exempla plura ante dedimus. *e* et *s* litteras non raro inter se commutari docuit idem Sciopp. *l. c. p.* 55. Aptissime autem huc, nisi me fallunt omnia, convenit vox *insolens*, hoc enim dicitur, non tantum, quod insolitum est, atque insuetum, sed *et insolens arrogans intelligitur, qui praeter legem agit humanam et naturalem*, quae verba sunt Donati *ad Terent. Andr. Act.* 5. *Sc.* 4. *v.* 4. Ipse Auctor accuratissime interpretatur: *incongruens, et contra sexus naturam.*

Quod de equo publico memorat Ulpianus, constat ex Livio *Lib.* 1. *cap.* 43., jam Servii Regis temporibus equos equitibus ex publico datos fuisse, annuamque pensionem iis attributam, qua eos alerent ac curarent. *Ad equos* inquit *emendos dena millia aeris ex publico data; et, quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent.* Pro *quibus* substituunt Interpretes *qui.* Vulgatissimum sane *qui* ablativo antiquo poni saepenumero pro *quo*, vel *ut.* Malo tamen integra lectione vulgata exponere hoc modo: et viduae attributae, quae bina millia penderent, quibus binis millibus equos alerent. Adjuvare videtur dictam interpretationem Codex Antiquus a Drakenborchio citatus, in quo est *ex quibus.* Plura de equis publicis qui scire desideret adeat is Cl. H. J. Arntzen. *in Dissertat. ad L.* 2. *D. de in jus voc. Cap.* 7.

§. 2. Uti simplicia saepissime pro compositis usurpari certum est, ita *movere* hoc

§. 3. Si maritus pro muliere se obligaverit, vel in rem ejus impenderit, divortio facto, eo nomine cavere sibi solet stipulatione tribunitia.

§. 4. In potestate parentum sunt etiam ii liberi, quorum causa pro-

hoc loco scriptum arbitror pro *amovere*. Crebrae sunt in jure locutiones *movere ordine*, *senatu*. *Movere se* Ulpiano dicitur in *L. 2. D. de in jus vocando*, qui abit, discedit. *In jus vocari non oportet. . . Pontificem, dum sacra facit, nec eos qui propter loci religionem inde* a sacris puta *se movere non possunt*. Intelligo eos, qui sacra facienti Pontifici operam dant, tibicines, popas, victimarios, caeterosque Sacerdotum ministros, aliosque qui sacrorum causa intererant, quae pluribus persequitur, quem modo nominavi, Adlinis Optimus *l. c. Cap. 6.*

§. 3. Quod de Tribunitia stipulatione dicit Auctor confer Ejusdem *Miscellanea Cap. 12.*, ubi de Tribunorum origine, magistratu, potestate, ac jurisdictione congessit quaedam haud vulgaria.

§. 4. *Quasi civem per ignorantiam* exhibet Meerman. Rectissime ab ipso Ulpiano §. hunc sub titulo hoc collocatum fuisse contra Interpretes defendit V. C. H. Noordkerk in *Obs. Dec. Cap. 7.*, qui ita hunc locum corrigit: *Liberi, quorum causa probatum est contractum matrimonium inter dispares conditionis personas . ., aut etiam si Latino nupta fuerit, ex lege Aelia Sentia, causa probata, civitas redditur. . . . . et ex Sc̃to fiunt . . . .*, cui lectioni firmandae egregia multa, uti solet quidem Vir praeclare de Jurisprudentia, tam antiqua quam patria, meritus, erudite congessit, quae hic repetere velle nimiae esset molis. Doctissimi Pithaei emendationem habes ad §. 2. *Tit. 16. Collat. Leg. Mos. et Rom.* Periculum faciamus an sine crisi verba explicare queamus. Quod si aliquando inter dispares conditione personas contractum fuerit matrimonium, veluti si civis Romanus per ignorantiam Latinam duxerit, atque apparuerit deinde per errorem hoc factum fuisse, aut si alio modo causa probata fuerit, liberi tales, ex ejusmodi conjugio procreati, in potestate parentum constituuntur; paucis dico: *per errorem contracto matrimonio inter dispares conditione personas, liberi ii* ex hoc matrimonio nati *sunt etiam in potestate parentum, quorum causa probata est*. (Perplexo ordine verba proposita sunt apud Ulpianum, neque tamen propterea crisin exercendam esse existimem. Nullum fere auctorem, quamvis antiquum, et optimae notae, superesse credo, apud quem non inveniantur hujusmodi dicendi formulae, quamobrem exemplis abstineo.) *Nam seu civis Romanus Latinam . . . . uxorem duxerit, quasi per ignorantiam*, pr[illegible] *quasi* mallem, *quamvis*, hoc est, *quam*[illegible], aut potius *quamcunque*, vel *qua*[illegible]. Utriusque vocis nota scriptae exigua differentia librarios facile in errorem perducere potuit. Quod si tamen religiosior Codicum lectioni inhaereas, accipere possis *per quasi ignorantiam*. Ita *quasi per contractum*, *quasi ex delicto* dixere veteres Icti, quae hodie minus eleganter *quasi contractus*, *quasi delicta* appellamus. Plura dabit Joannes Mercerius *in Opinionib. Lib. 1. cap. 16. in Thes. Jur. Ott. Tom. 2. p. 1581.* Causam probatam fuisse puto, si per ignorantiam tale matrimonium initum fuerit, si minus probari poterat ignorantia, fingebatur ea, ac praesumebatur quasi ignorantia. Pergit: *Sive civis Romana per errorem.* (Quid si quasi per errorem? an et in muliere locum habet fictio? non constat, divinare non lubet) *ex lege Aelia Sentia nupta fuerit.* An turbatum ordinem scripturae dicemus? necessarium non videtur. *Ex lege Aelia Sentia* intelligo eo significatu, quo *adversus* noster usurpavit pro *secundum Tit. 20. §. 14.* et *Tit. 28. §. 1.*, ubi vide Interpretes. Confer Virum Doctissimum J. F. Reitzium in *Ambiguis voce Adversum.* Exstare quaedam vocabula, quae apud juris nostri auctores contrariam aliquando notionem admittunt, plus quam probabile est. Exempla suppeditat

probata est, per errorem contracto matrimonio inter dispares conditione personas: nam seu civis Romanus Latinam, aut peregrinam, vel eam, quae dedititiorum numero est, quasi per ignorantiam uxorem duxerit, sive civis Romana per errorem peregrino, vel ei, qui dedititiorum numero est, aut etiam si Latino ex lege Aelia Sentia nupta fuerit, causa probata, civitas redditur, tam liberis, quam parentibus, praeter eos, qui dedititiorum numero sunt; et ex eo fiunt in potestate parentum liberi.

peditat multa Gilb. Regius *Enantioph. Lib.* 2. *Cap.* 10. *in Thes. Jur. Ott. Tom.* 2. *p.* 1506. Sin hoc nolis, *ex lege* expone post latam legem. Lege autem Aelia Sentia cautum fuerat, ne Latino nuberet civis Romana, si nubit, facit ex lege, hoc est, adversus legem. *Causa probata civitas redditur*, quam amiserant propter impar conjugium, *tam liberis, quam parentibus.* Quod si itaque manifestum sit, per errorem, aut quasi per ignorantiam factum esse, et liberi et parentes ex Latinis fiunt cives Romani *praeter eos qui dedititiorum numero sunt*, (horum enim liberi soli fiunt cives Romani, non etiam ipsi parentes, vid. Schulting. *h. l.*,) *et ex eo fiunt liberi in potestate parentum. Ex eo* interpretor ex eo tempore, postquam scilicet causa probata est, vel ex ea re, hoc modo, hac ratione, ita. Simplicissima hac via sine emendatione, retentis quoque, quo ordine sunt collocata, verbis, explicationem justam recipere vides hunc §. Quod autem ordine inverso ea proposuerim, feci perspicuitatis gratia, non necessitatis.

Festinanti manum injicit locus corruptissimus in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 16. §. 2., ubi ita Cajus: *Idem juris est*, ut scilicet sui heredes sint, *de his, quorum nomina ex lege Aelia Sentia, vel ex SCto, post mortem patris, causa probata, in potestate ejus futuri sunt.* Maxime enim faciunt haec ad illustranda Ulpiani verba, ita ut alter ex altero optime possit explicari. Depravata ea esse nullus dubitat; *Quorum nomine* corrigit Pithaeus, vellem addidisset, quo apto sensu, alii aliter conjiciunt. Ego ita lego: *de his qui errore matrimonii ex lege* etc. *Matrimonium* olim per duplex *m* superaddita lineola designatum fuisse, Magno observat. Notarum ignorantia monstrum lectionis peperit. Qualis error sit intelligendus, abunde supra demonstravi, de Senatusconsulto quoque antea me dicere memini.

TITULUS VIII.

De Adoptionibus.

§. 1. Non tantum naturales liberi in potestate parentum sunt, sed etiam adoptivi.

§. 2. Adoptio fit, aut per populum, aut per Praetorem, vel Prae-

§. 2. De Adoptione barbaris gentibus per arma fieri solita vid. Colerus *in Parerg. Cap.* 7. *in Thes. Jur. Ott. Tom.* 1. *p.* 360. Quo tempore primum fieri coeperit adrogatio

Praesidem provinciae. Illa adoptio, quae per populum fit, specialiter adrogatio dicitur.

§. 3. Per populum qui sui juris sunt adrogantur: per Praetorem autem filiifamiliae a parentibus dantur in adoptionem.

§. 4. Adrogatio Romae tantum fit: adoptio autem etiam in provincia apud Praesidem.

§. 5. Per Praetorem, vel Praesidem provinciae adoptari tam masculi, quam feminae, et tam puberes, quam impuberes possunt. Per populum vero Romanum feminae quidem non adrogant. Pupilli antea quidem non poterant adrogari: nunc autem possunt ex constitutione Divi Antonini.

§. 6. Hi, qui generare non possunt, velut spado, utroque modo possunt adoptare. Idem juris est in persona coelibe.

§. 7. Item is, qui filium non habet, in locum nepotis adoptare potest.

§. 8. Si paterfamiliae adrogandum se dederit, liberi quoque ejus, quasi nepotes, in potestate fiunt adrogatoris. Feminae vero neutro modo possunt adoptare: quoniam nec naturales liberos in potestate habent.

gatio per rescriptum Principis, itemque an Ulpiani aetate jam in usu ea fuerit, pluribus investigat Consultiss. Noordkerk *in Obs. Dec. p.* 139. *sq.*, ubere quoque de eodem disputat Ampl. Van de Water in *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 16., adde Cl. Wieling *in Lect. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 7. Egomet ampliandum censeo. Caeterum de universa adoptionis materia, symbolis, ritibus, ac speciebus ex professo egit Cl. Otto in *Jurisprud. Symbol. Exerc.* 3.

§. 5. Particulam *quidem* in his: *feminae quidem non adrogantur* (sic enim legendum ex MS. Aured., quod et secutus fuit Meerman) accipio pro certe, profecto, notione non infrequenti, quamobrem et saepissime haec conjungi videas, vide Tursellinum de *Partic. Ling. Lat. Cap.* 154.

Haud temere permissam fuisse adrogationem impuberum, verum circumspecte admodum atque anxie rem omnem inquisivisse, cujus ea de re notio fuit, an utilis ea foret pupillis, tradit Noster in *L.* 17. §. 1. *D. de Adoptionib. Eorum duntaxat pupillorum adrogatio permittenda est, qui vel naturali cognatione, vel sanctissima affectione ducti adoptarent.* Sic Florentiae exstare tradit Cl. Best *p.* 32., atque emendandum esse putat *adoptarentur*. Vulgatam lectionem omnino praeferam, modo *eorum* accipias non pupillorum, sed illorum, qui adrogant, locutione satis usitata, confer Cl. Wieling *l. c. Lib.* 2. *Cap.* 8. et Cel. Voorda *in Interpret. pag.* 10. Largius deinde haec eadem exsequitur Ictus in *l. c.* §. 2. *sq.*, quae verba exposuit Cl. Schroder in *Obs. Jur. Civ. p.* 117. *sq.* Inserunt editiones nonnullae vocem *bis* post *permittenda est*, quam expungendam esse omnino clamant omnes; servabis, si substituas *bodie*, *ex constitutione* nimirum *Divi Antonini*, ut hic. De impuberum adrogatione erudite disputat G. Majansius in *Tom.* I. *Disp.* 12.

TITULUS IX.

De his, qui in manu sunt.

§. 1. Farre convenitur in manum, certis verbis, et testibus decem praesentibus, et solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.

Egisse hoc titulo Ulpianum de filiis, uxoribus, id est, matribusfamilias, caeterisque, qui in manu et potestate sunt, verisimile mihi videtur, vel ideo, quia sequenti capite tractat de modis, quibus hi, qui in potestate, mancipioque sunt, liberantur. Recte itaque inscripsit hunc titulum: *de his qui in manu sunt.*

§. 1. De Confarreatione et Diffarreatione erudite egit Forner. *Rer. Quot. Lib.* 1. *Cap.* 9. In manum conventio quando desierit investigat Pater *in Rescr. Boxb. de Cat. p.* 440. In manu esse et convenire qui dicantur, nec non de coëmtione, ac denique de differentia conventionis in manum, et in matrimonium disseruit Frater in *Disput. de veteri Lege Romana, cujus meminit Nonius, Cap.* 2. *sq.*, quam *Jurisprudentiae Antiquae* inseruit D. Fellenberg *Tom.* 2. *pag.* 69. Confer Ampl. Meerman *h. l.* Rem omnem cum pulvisculo fere exhausit C. U. Grupen in *Tractatione de Uxore Romana.*

TITULUS X.

Qui in potestate, mancipiove sunt, quemadmodum eo jure liberentur.

§. 1. Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est, si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus sui juris fit: id enim lex duodecim Tabularum jubet his verbis, SI PATER FILIUM TER VENUM DUIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. Ceteri autem liberi praeter filium, tam masculi, quam feminae, una mancipatione, manumissioneque sui juris fiunt.

§. 2.

§. 1. De Emancipationibus egregiae extant Dissertationes Viri Celeb. G. Scheltinga, quibus universam hanc materiam eruditissime pertractavit. Exhibet eas D. Fellenberg *l. c. Tom.* 2. *p.* 459. Adde commentarios Amplissimos ad Instit. Caji *Lib.* 1. *Tit.* 6.

§. 2. Morte patris filius et filia ſui juris fiunt: morte autem avi nepotes ita demum ſui juris fiunt, ſi poſt mortem avi in poteſtate patris futuri non ſunt: velut ſi moriente avo pater eorum aut jam deceſſit, aut de poteſtate dimiſſus eſt: nam ſi mortis avi tempore pater eorum in poteſtate ejus ſit, mortuo avo, in patris ſui poteſtate fiunt.

§. 3. Si patri, vel filio aqua et igni interdictum ſit, patris poteſtas tollitur; quia peregrinus fit is, cui aqua et igni interdictum eſt; neque autem peregrinus civem Romanum, neque civis Romanus peregrinum in poteſtate habere poteſt.

§. 4. Si pater ab hoſtibus captus ſit, quamvis ſervus hoſtium fiat, tamen cum reverſus fuerit, omnia priſtina jura recipit jure poſtli-

§. 4. Ita Modeſtinus in *L. 4. D. de Captiv. et poſtl. rev.* *Eos, qui ab hoſtibus capiuntur, vel hoſtibus deduntur, jure poſtliminii reverti antiquitus placuit; An, qui hoſtibus deditus, reverſus, nec a nobis receptus, civis Romanus ſit, inter Brutum et Scaevolam varie tractatum eſt, et conſequens eſt, ut civitatem non adipiſcatur.* Verba corrupta eſſe dubitare neutiquam poterit, qui *L. 17. D. de Legationib.* cum hac noſtra contulerit. Vidit hoc, et eruditiſſime, ut ſolet, demonſtravit cultioris Juriſprudentiae, dum viveret, Stator, G. Noodt *ad D. pag.* 432. Sunt qui tranſpoſitione verborum adjuvandam eſſe legem arbitrantur, vid. Cl. D. Arnaud *in Var. Conject. Lib. 2. Cap.* 5. Legendum cenſent alii: *nec ab iis receptus.* Balduinus mavult: *nec hoſtibus deduntur.* Subſtituendum puto pro *nec a nobis*, *et a nobis.* Ita certe lis ſupererit nulla, ac conſentientes optime habebis hoc modo inter ſe Modeſtinum et Pomponium. *Et* et *nec* voculas frequentiſſime inter ſe commutatas fuiſſe in codicibus antiquis, monuerunt dudum Viri Eruditi. Conſule Cl. J. Arntzen. *ad Plin. Paneg. p.* 149., et Virum Conſultiſſ. ac Doctiſſ. J. A. van Wachendorff in elegantiſſima *Diſſertat. Inaugur. Trajecti ad Rhenum vulgata anno* 1756. *Cap.* 1., add. A. de Rooy *in Conject. Crit. p.* 42. leviſſima hac mutatione reſtituendam eſſe *L. 5. D. ad L. Corn. de Sic.* obſervarunt alii. Eodem remedio ſanandam arbitror lectionem *L. 3. pr. D. de Lege Fab. de Plagiariis*, ubi ita Marcianus: *Legis Fabiae* (ita ſcribendum eſſe, non *Faviae* eviciſſe videtur Ant. Auguſtin. in notis ad egregium librum *de Nominib. Pandectarum*, inſertum Teſ. Ott. *Tom. 1. p.* 333.) *crimine ſuppreſſi mancipii bona fide poſſeſſor non tenetur, id eſt, qui ignorabat ſervum alienum, et qui voluntate domini putabat id eum agere, et ita de bona fide poſſeſſore lex ſcripta eſt, nam adjicitur: ſi ſciens dolo malo hoc fecerit. Et ſaepiſſime a Principibus . . . conſtitutum eſt, ne bonae fidei poſſeſſores hac lege teneantur.* Verba, licet ampliora, deſcripſi, ne quid neceſſe haberem oſtendere, de bona fide legem non agere, corrigendaque eſſe idcirco haec: *et ita de bona fide.* Id quod copioſius egit Cl. Vryhof in *Obſ. Cap.* 12., qui pro *bona* reponendum cenſet *mala*, conjectura, uti mihi quidem videtur, non admodum veriſimili. Ea aliquando me tenuit opinio ex *non bona* effictum fuiſſe *bona*, ortumque errorem credidi ex ſcribendi celeritate, qua factum fuiſſet, ut dictantis verba haud recte excepiſſet ſcriba, quem feselliſſe putabam ſonum vocabulorum *non bona.* Praeplacet cum maxime ita reſcribi: *nec ita de bona.* Receptam lectionem defendere ſtudet Doctiſſimus Putmannus *in Interpr. p.* 105., magis hic ad ſenſum quam ad verba reſpexiſſe Ictum arbitratus. Aliorum eſto judicium.

Fortuitos caſus, quos nullum humanum conſilium providere poteſt, nemo praeſtat. *L. 2. §. 7. D. de Adm. rer. ad Civ. pert.*

postliminii. Sed quamdiu apud hostes est, patria potestas in filio ejus interim pendebit: et cum reversus fuerit ab hostibus, in potestate

pert. L. 5. §. 4. *D. Commodati*, add. *L.* 23. *D. de Reg. Jur.* Contra tamen statuere videntur Impp. in *L.* 8. *C. Qui pet. Tut. vel Cur. Cum a matribus sedulum petendi tutoris officium exigatur, nec fortuiti casus impedimentis adscribautur, proponatque procuratorem, qui ad petendum pupillo tutorem a matre fuerat constitutus, a latronibus interfectum, petitionem ex necessitate demoratum esse.* Bonum vero factum, quod ipsi ab absona, atque a jure, rationeque aliena sententia se vindicant Principes, addito: *ab hereditatis successione matrem repelli, cujus nullum vitium intercessisse adseris, perquam durum est.* Explicare verba tentavit orbis eruditi, dum viveret, deliciae, quique post fata eam eruditionis gloriam reliquit, ut nullo saeculo intermoritura fore, quotquot condidit, egregia ingenii monumenta sit certissimum, Petrus Burmannus. Illa tamen interpretatio cum nonnihil obscuritatis habeat, quam ipse agnoscit Vir Summus, excusabunt, scio, Manes ejus, si levissima emendatione sensum integrum reddere conatus fuero. Proposuit memoratam Viri Celeberrimi expositionem Cl. Best *p.* 248., qui ipse sic substituit: *Casus impedimenta iis adscribautur*, vel *adstringantur*. Omnis evanescet protinus dubietas, si pro *nec fortuiti* rescribas *et fortuiti*.

Adjungo adhuc exemplum non inelegans, depromtum ex Joanne Sarisberiensi *de Nugis Curialium Lib.* 3. *Cap.* 13., quo in auctore non immerito Justus Lipsius multos se purpurae pannos, et fragmenta aevi melioris agnoscere profitetur *ad Tacit. Annal. Lib.* 12. *At nunc* inquit *ita male a teneriori aetate instituuntur adolescentes, ut . . . . sollicitent corruptores, et legum, quae iu eos jam plurimae latae fuut, nullam babent revereutiam, vel timorem, licet in eos gravissime animadvertendum decreverit Imperator. Ait enim: Cum vir nubit in feminam vires porrecturam, quid cupiat? ubi sexus perdidit locum, nec scelus est, quod non proficit scire, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quaeritur, et non invenitur: jubemus insurgere leges, armari jura, ut gladio ultore, et exquisitis poenis subdantur infames, qui sunt, vel futuri fuut rei* etc. Legem innuit, quae Constantium et Constantem auctores habet ex sententia Jac. Gothofredi, in Codice Justinianeo ordine 31. *Tit. ad Legem Juliam de Adult et Stupr.*, in Codice Theodosiano est *L.* 3. *eod. tit.* (*Lib.* 9. *Tit.* 7.) In Justinianaeo ita exhibetur: *Cum vir nubit in feminam, viris porrecturam, quid cupiatur? ubi sexus perdidit locum, ubi scelus est, id, quod non proficit scire, ubi Venus mutatur iu alteram formam, ubi amor quaeritur, nec videtur: jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis poenis subdantur infames, qui suut, vel qui futuri sunt rei.* Eodem fere modo exhibet Codex Theodosianus. Sarisberiensis locus citatus in primis facere videtur ad illustrandas Codicis utriusque leges, quapropter mirari subit in partes vocatum non fuisse ab Interpretibus iis, qui commentarios ad eas scripserunt, Dionysium designo Gothofredum, et patre majorem Filium Jacobum, immortalis nominis Virum, et G. Best *p.* 285., aliosque ab his allegatos. Novissime quoque suas ad legum illarum interpretationem symbolas contulere V. C. Herm. Noordkerk in Tractatu optimo *de Matrimoniis ob turpe facinus Sodomiticum jure solvendis Cap.* 1. *num.* 10., et Frater *in Commentario saepissime citato Cap.* 13. Apparet autem, nisi me fallunt omnia, pro iis, quae vitiose apud Sarisberiensem leguntur: *uec scelus est*, reponi debere: *et scelus est.* Hoc certe malo, quam *ubi* cum aliis pro *nec* obtrudere, praesertim quum liqueat non verba strictim, sed sensum potius legis secutum fuisse Joannem. Imperatorem quod nominat Auctor, cum tamen ab utroque Principe promulgatam fuisse legem constet, non est quod erroris eum incusemus, siquidem notissimum est, uni saepenumero adscribi legem, quae a pluribus est lata; exemplis in re vulgata abstineo. Videamus paucis de verbis.

testate filium habebit. Si vero ibi decesserit, sui juris filius erit. Filius

Cum vir nubit in feminam. Jac. Gothofredus, Vir incomparabilis, exponit tanquam femina. An forte *in* accipiendum pro *cum ? feminam* intelligo virum feminina passum, feminam agentem. Viros molles per convitium *feminas* appellare consuevisse Romanos notavit Cl. Drakenborch *ad Sil. Ital. Lib.* 2. *v.* 361. Data opera obscure mentem suam explicuisse Imperatores puto, ne scelus, quod scire nefas est, manifestaretur ignorantibus. Idem factum fuisse apparet in *L. 6. C. Th. eod. tit.*, quae aeque intricatis verbis proposita est, atque lex nostra, quamobrem hoc loco licere arbitror adoptare significationem, quam raro alioquin, aut plane non invenimus. *Nubendi* vocabulum, quod prisca significatione pro velare positum fuit, vid. notas ad *Pervig. Veneris v.* 22., de omni concubitu dictum observant Commentatores *ibid. ad v.* 3. Eo, quo hic occurrit, sensu obscoeno de cinaedis usurpari tralatitium est. Non illepide Martialis *Lib.* 8. *Epigr.* 12.

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quaeritis, uxori nubere nolo meae.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito,
Non aliter fuerint femina virque pares.

Nolo, inquit, vices uxoris subire, reverentiamque, et observantiam, quam uxor debet marito, maritus ego uxori meae praestare. Dicta haec si transferas ad propositum nostrum, expedietur facillime, quid designent Impp. hac sententia: vir nubit cum femina, virum simulante. Sed nolo immorari diutius in re turpissima. Ad Martialem redeo. *Inferior* explico sensu obscoeno, nisi se subjiciat uxor marito, non fiunt vir et uxor. *Pares* autem vox vehementer equidem dubito num huc congruat, pares enim non vult esse conjuges Valerius, sed virum uxori praestare debere indicat. Malim itaque *putes*. Uti autem non inficete Poëta *nubere* dixit de viro, cui gallina cantat domi, ut est in proverbio, ita scite admodum *ducere* adhibet Propertius *μισογαμος* de uxore, quae, simulac vir

Stulta maritali jam porrigit ora capistro,
....submittitque caput cervice parata
Ferre jugum,

haec ejus, quamtumvis justis, querelis opponit:

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro.

Postquam enim Aurelius animum suum, furtivis magis gavisum amoribus, a conjugio alienum exposuisset *Lib.* 2. *El.* 6.

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.

Haec dein subjungit:

Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica,
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

Id est, nunquam, turbato matrimonii ordine, patiar, uxorem viri officio imperiosam fungi, ac domi meae regnare.

Sed in viam revertor. *Viris se porrecturam* legit Gothofredus, idemque *porrigere* verbum usitatissimum esse ostendit de mulierum complexibus. Possis et *se* subintelligere, qua de ellipsi dixi alias. Diffiteri tamen nolim praeferre me scripturam Sarisberiensis *vires*. Imo vero non intercederem, si quis ita per geminationem substituendum existimaret: *viris vires porrecturam*. Sequitur enim *quid cupiatur*, hoc est, quid amplius potest sperari, aut exspectari ex ejusmodi amplexibus? spes prolis certe non superest, cujus tamen reipublicae interest maxime. Pro *videtur* rectius Joannes *invenitur*, quod magis quoque placet Gothofredo. *Infames* proprio quasi vocabulo appellari catamitos, monstra

Filius quoque si captus fuerit ab hostibus, similiter propter jus postliminii patria potestas interim pendebit.

§. 5.

stra hominum, docuit Optimus Parens in *Rescr. Boxh. de Cat. Cap.* 31. *p.* 497. *Infamiae injuria adfecti* dicuntur, qui ad impudicitiam compulsi sunt, Ulpiano in *Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 3. §. 3.

Fortassean et hac ope restitui possit locus Martialis vexatissimus, qui Criticorum ingenia torsit vehementissime, *in Libro Spectaculorum Epigr.* 6.

Postratum Nemees et vasta in valle leonem,
Nobile et Herculeum fama canebat opus.

Aliorum conjecturas exhibet Vir Doctissimus, Antonius de Rooy, Scholae Dordracenae Moderator dignissimus, in *Conjecturis Criticis pag.* 1., et elegantissimi ingenii, nec minoris eruditionis Juvenis R. M. V. G., in Epistola dicto libello praemissa *pag.* 4. Corrigendum puto *nec vasta*. Difficilius certe fuerit Herculi perdomare, ac conficere leonem in valle non vasta, sed plana, quam in loco undique obstructo, unde se expedire bellua non potuit, adeoque in gloriam caede sua victoriam cedere Heroi maximo necesse habuit.

Martialis dum incidit mentio, adjungere lubet, antequam ad alia pedem promoveam, explicationem verborum, quae male, me quidem judice, ab Interpretibus intellecta, a nonnullis etiam citra necessitatem fuere mutata. Ita in Epistola sua Poëta: *Absit a jocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea scribat. Scribat* exponunt aliqui *accuset*, alii emendandum censent *stringat*. Expono: *nec scribat epigrammata mea* esse, hoc est, meum inventum, me primum, aut unum, lascivo isto, ac licentia pleno carminum genere ludere. Ne dubites, audi sis ipsum Valerium in eadem Epistola haec, quae supra scripserat, ita pluribus interpretatum: *lascivam verborum licentiam, id est epigrammatum linguam excusarem, si meum esset exemplum.*

Aeque clara videntur haec ejusdem in *Lib.* 1. *Epigr.* 67.

Mercare tales ab eo, nec sciet quisquam.

Si, inquit, mercatus fueris tales curas ab eo uno, nemo quisquam hoc rescisceet. Inutilis itaque crisis aliorum dicenda est, vid. de Rooy *l. c. p.* 9.

Neque tamen in censum eorum locorum, quibus *et* et *nec* confusa fuere, referendam esse arbitror *L.* 7. §. 4. *D. pro Emtore*, quod voluit Cl. Schroder in *Obs. p.* 206. *Nec similis est ei, qui emtionis quidem tempore putat fundum vendentis esse, sed, cum traditur, scit alienum esse.* Hoc certum videbitur, scio, totam legem perlegenti negationem huc non quadrare. Praeferam tamen pro *nec similis*, *nam similis*, quoniam facillimus est error hic censendus reputantibus iisdem notis perscripta fuisse *nec* et *nam*.

Dum de captivis, et postliminio reversis sermo est in *hoc* §., ultro sese offert Lex difficillima quae de tutoribus agit, 15. *D. de Tutelis. Si quis tutor*, inquit Ulpianus, *non sit captus ab hostibus, sed missus ad eos, quasi legatus, aut etiam receptus ab eis, aut transfugerit, quia servus non efficitur, tutor manet, sed interim a Praesidibus alius tutor dabitur.* Falsam esse sententiam propositam docuit dudum, ac pluribus probavit Vir Summus G. Noodtius *ad Tit. D. de Tut. et Cur.*, quam ob rem de eo ostendere supersedeo. Absit tamen, ut Icto hunc errorem imputandum esse cogitemus. Culpa est scribentium, qui ita exhibere debuerant: *Si quis tutor non sit captus ab hostibus*, (quod si enim captus fuerit tutela finitur, *L.* 14. *D. eod.*) *sed missus* sit *ad eos* hostes *quasi legatus*, *antequam receptus ab eis* hostibus esset, *alio* (constat ex Valerio Probo A notam significasse *aut*, et *alio*, hic fons erroris) *transfugerit*, veritus scilicet ne ab hostibus caperetur, *quia servus non efficitur*; non enim captus fuit ab hostibus, quippe qui effugit, neque etiam transfuga habendus, qui nec ad hostes, neque in bello

 trans-

§. 5. In potestate parentum esse desinunt et hi, qui Flamines Diales inaugurantur, et quae virgines Vestae capiuntur.

transfugit, neque denique ad eos, cum quibus nulla amicitia est, vid. *L.* 19. §. 8. *D. de Capt. et postl. rev.*, sed transfugit, aut dicam potius, secessit ad populi Romani socios, sibi ipse consulturus, vitandi periculi causa. *Antequam* pro *aut etiam* positum vides prono ad id litterarum ductu.

§. 4. Modis, quibus jus patriae potestatis solvitur, accenseri a plurimis video filii separatam habitationem, privatamque oeconomiam, verum moribus solis deberi jus illud, ac perperam ex *L.* 1. *C. de Patr. Potest.* Romano juri attribui docuit Frisiae quondam insigne ornamentum, Ulr. Huber in *Praelect. ad Tit. J. Quib. mod. jus patr. pot. solv.*, et ad *Tit. D. de Adopt.*, et Zach. Huberum, Ulrici filium, *in Casib. Enucl. p.* 248.

TITULUS XI.

De Tutelis.

§. 1. Tutores constituuntur tam masculis, quam feminis. Sed masculis quidem impuberibus dumtaxat, propter aetatis infirmitatem: feminis autem tam impuberibus, quam puberibus, et propter sexus infirmitatem, et propter forensium rerum ignorantiam.

§. 2. Tutores autem legitimi sunt, aut Senatusconsultis constituti, aut moribus introducti.

§. 3.

§. 1. De perpetua feminarum tutela elegantissima exstat Dissertatio Viri Amplissimi Everh. Ottonis, qui et de eadem egit in *Praefatione praemissa tom.* 4. *Thes. Jur. pag.* 8., cui adde G. H. Ayrerum *de Gynaecocratia Tutelari Viduarum Illustrium Sect.* 2. *Cap.* 2. §. 5. *sq.*, nec non Marcum Vetranium Maurum in *Thes. Jur. Otton. Tom.* 3. *p.* 1047., ubi et differit de liberatione ejus propter jus trium liberorum. Tutorem sexus vix alium usum habuisse, quam ut consilio suo regeret negotia mulierum, auctoritatemque suam interponeret, tradit Cl. Marckart *Interpr. p.* 144., auctoritatem duntaxat interponere docet Noster infra §. 25., ubi v. Schulting. Perpetuam illam, quae olim obtinebat, muliebrem tutelam, aetate Ictorum eorum, quorum ex fragmentis consarcinatae pandectae sunt, cessasse Bynkersh. *Obs. Lib.* 7. *Cap.* 14. sibi persuadet, dubitonum aeque aliis. Formulam qua tutoris datio in judiciis nostratibus olim petita atque impetrata fuit, vide apud Jo. Schrassert *ad Jus Velav. Cap.* 24. *art.* 1. *num.* 33.

De tutela matris, et aviae, itemque proaviae, ac de aetate, quando ea coeperit, ubere disputat idem Ayrerus *l. c.* §. 10 *sq.* Adde de tutela feminarum Joach. Wibelium *de Contract. Mulier Cap.* 1.

§. 2. Nil quidquam mutandum. *Autem* plerumque continuat orationem, nec tam significat *sed*, quam transitioni inservit. vid. Tursellin. *de Partic. Cap.* 27. Conf. Marckart *Interpr. p.* 321., Dein *aut* millies subaudiendum omitti, praesertim in prin-

§. 3. Legitimi tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt: per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim Tabularum introducuntur, ſeu propalam, quales ſunt adgnati, ſeu per conſequentiam, quales ſunt patroni.

§. 4. Adgnati ſunt, a patre cognati, virilis ſexus, per virilem ſexum deſcendentes, ejusdem familiae, veluti, fratres, filii fratris, patrui, patrueles.

§. 5. Qui liberum caput mancipatum ſibi, vel a parente, vel a coëmptore manumiſit, per ſimilitudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur.

§. 6. Legitimi tutores alii tutela in jure cedere poſſunt.

§. 7.

principio orationis, vulgatiſſimum eſt. Ita Imp. in §. *ult. J. de Juſtitia et Jure. Collectum eſt* jus privatum *ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civilibus.* Paulus in *Sent. Lib.* 2. *Tit.* 27. §. 2. *Poſt ſuſceptam tutelam coecus, aut ſurdus, aut mutus, aut furioſus, aut voletudinarius deponere tutelam poteſt.* Pudet rei notiſſimae plura exempla proferre.

Quartam tutorum ſpeciem addunt nonnulli, eorum ſcilicet, qui pacto ſunt conſtituti, de quibus copioſiſſime tractavit Ictus Egregius A. Leyſerus in *Meditatt. ad D. tom.* 5. *p.* 441. *ſq.*, eamque Romanis jam cognitam probatamque fuiſſe opinantur propter *L.* 1. §. 1. *D. de Confirm. Tut.* Sed tota quidem aberrant via; agit enim dicto loco Modeſtinus de tutore a patre dato in teſtamento, aut codicillis licet non confirmatis. Quin expreſſe ibidem additur: *pater . . . recte dat tutorem, ſed in teſtamento.* Deinde haec teſtatoris verba: *precor te curam habere rerum*, non pactum innuunt, ſed voluntatem ſolius defuncti, teſtamento declaratam. Omnino itaque dicendum eſt ad tutelam teſtamentariam referendam eſſe legem memoratam, et tutelae pactitiae in jure civili antiquo non exſtare veſtigia, eamque poſteriorum demum temporum moribus eſſe introductam. Et olim rogaſſe parentes amicos, cognatosve ſuos non nego, ut filiorum ſuorum tutelam curamve gererent, hosque in teſtamento ſuo nominaſſe teſtatores concedo, verum teſtamentarios eſſe hujuſmodi tutores quis dubitet? nimia certe cenſenda foret diligentia ejus, qui ſeparatam talium tutorum diſtinctionem exinde vellet inferri.

§. 4. De adgnatis late egit Vir omni laude major Jac. Perizonius *ad Pomp. Melam Lib.* 1. *Cap.* 8., adde Obſervat. Miſcell. Amſtel. *vol.* 8. *p.* 118. De ſublato diſcrimine adgnatos inter et cognatos conſule Cl. Marckart. *in Interpr. p.* 89. *ſq.* Idem promiſcue olim dici ſolitum *adgnatus meus*, et *adgnatus mihi* probat *in Probab. Lib.* 1. *Cap.* 2. Adgnatorum autem appellatione ſuos quoque aliquando comprehendi contra Cl. G. D. Arnaudt *in Conject. Lib.* 1. *Cap.* 6. tuetur Vir Conſultiſſ. J. L. E. Putman in *Interpret. Cap.* 10.

§. 5. Si quis filium ſuum a patre fiduciario remancipari ſibi curaverit, id conſequitur, ut praedefuncto filio in hereditate ſuccedat, quod ſi contra a fiducario remancipatio facta non fuerit, non naturalis, ſed fiduciarius pater hereditatem adipiſcitur, vide Cajum *Lib.* 1. *J. Tit.* 6. §. 3. Scimus autem, penes quem eſt hereditatis commodum, penes eum quoque eſſe debere onus tutelae. A *fiducia* deſcendit verbum *fiduciare*, de quo Colerus in *Parergis Cap.* 25. *in Theſ. Ott. Tom.* 1. *p.* 377.

§. 6. *In jure* accipio apud Praetorem, in judicio, apud eum, qui juri dicendo praeëſt, *v. L. XI. D. de Iuſt. et Jure.* Eodem modo Legum Decemviralium verba, a Gellio prodita *Lib.* 20. *Cap.* 1., *aeris confeſſis*, (ſic malo pro *confeſſi*) *rebusque jure judicatis, XXX dies juſti ſunto* accipienda arbitror; quae ita expono; ſi qui confeſſi

ſunt

§. 7. Is, cui tutela in jure cessa est, Cessicus tutor appellatur: qui sive mortuus fuerit, sive capite minutus, sive alii tutela cesserit, redit ad legitimum tutorem tutela. Sed et si legitimus decesserit, aut capite minutus fuerit, cessitia quoque tutela extinguitur.

§. 8. Quantum ad adgnatos pertinet, hodie cessitia tutela non procedit: quoniam permissum erat in jure cedere tutela feminarum tantum, non etiam masculorum: feminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustinet.

§. 9. Excepta tutela patronorum, legitima tutela capitis deminutione amittitur.

§. 10.

sunt se debere pecuniam, et res in jure, hoc est, apud eum, cujus est jurisdictio, judicata fuit. *Aeris confessi* dictum eadem locutione, qua *accusari furti*, *condemnari pecuniae*, alia, subintellecto ob crimen, ob debitum, debitum.

§. 8. Uberius in sensum §. hujus et insequentis inquisivit Jac. Constantinaeus *Subtil. Enodat. Lib.* 1. *Cap.* 7. *in Thes. Ott. Tom.* 4. *p.* 492., qui legi vult *sustulit*. Contra sentit Th. Marcilius *in Interpr. Legis XII. Tabb. Cap.* 30. *ibid. p.* 263., servandumque putat *sustinet*, accipiendumque id esse pro *inhibuit*. Vulgatam quoque lectionem retinendam, explicandamque *conservat* arbitratur Heinecc. *ad L. Jul. et Pap. Lib.* 2. *Cap. XI.* Confer Ottonem *de Perp. Fem. Tut.* §. 19. *sq.* Sequor omnino Schultingium qui explicat *retinet*, verba autem §. sequentis *excepta tutela patronorum* huic §. 8. connectit.

Principales Constitutiones posteriori aevo Legum nomine dictas, indeque factum, ut hoc Imperatoris placitum *Lex Claudia* appellata fuerit, existimat Consultiss. Noordkerk *de L. Petron. p.* 95., cui omnino adsentior. Sitne autem eadem haec constitutio cum Edicto Claudii, quo *interdictum* fuit, *ne feminae pro viris suis intercederent*, cujus meminit Noster in *L.* 2. *pr. D. ad Sctum Vellej.*, ulteriori cognitione res indigere videtur, licet probabilior appareat negantium opinio.

§. 9. Apprime faciunt haec ad interpretationem verborum Pauli in *L.* 7. *pr. D. de Cap. Minut. Tutelas etiam non amittit capitis minutio, exceptis his, quae in jure alieno personis positis deferuntur.* Mirum quantum difficultatis moverunt ea Eruditis. Singulorum opiniones referre non juvat. Praeter eos, quos in notis memorant Interpretes, ad legem illam scripserunt Van de Water in *Obs. Libr.* 3. *Cap.* 13., Marckart *Prob. Lib.* 2. *p.* 170., Noordkerk in *Obs. Dec. Cap.* 3., denique Wieling in *Lect. Jur. Civ. pag.* 33. *et* 279. Quod ad me attinet, calculum meum lubens equidem adjiciam illis, qui pro *alieno* substituendum arbitrantur *antiquo*. Jus autem antiquum est XII. Tabularum, vid. Schulting. *h. l.* pro *Positis* deinde reponam *proximis*. In jure enim antiquo, id est, Decemvirali, his verbis scriptum fuit: *adgnatus proximus tutelam nancitor*. At vero retrahit sequi paratum nimia, ac dixerim fere non probabilis vulgatae scripturae mutatio. Ita Paulum exarasse conjicio: *in jure all. personis positis deferuntur*, hoc est, *in jure allegato*, quo modo notam propositam exponit Magno. Jus allegatum intelligo XII. Tabularum, quo de in antecedentibus Jurisconsultus disputaverat. In eo enim, dicto loco, occupatam fuisse Pauli operam, ut tradat, quale jus obtineat circa tutelas legitimas, id est, ex ipsa lege Decemvirali descendentes, apparet ex iis quae ibidem addit: *sed legitimae tutelae ex XII. tabulis intervertuntur.* Ipsine Triboniano, an librario attribuendus sit error perperam expositi scripturae compendii dubito. Antiquissimum sane hoc vitium esse indicat Basilicorum Scholiastes, qui vulgatam lectionem sequitur. Ipsa Basilica, licet rem recte interpretentur, ver-

§. 10. Capitis minutionis species sunt tres, maxima, media, minima.

§. 11.

verborum tamen genuinam scripturam non certo manifestant.

Personas autem in allegato jure Decemvirali positas ac memoratas adgnatos esse ambigi non potest.

§. 10. Capitis minutionem esse status minutionem nemo quisquam dubitat, unde vero descendat illa vocum significatio non aeque inter omnes constat. Optime si quid video, id explicuit Ampl. Otto ad §. 1. *J. de Cap. Minut.*, qui *minuere* verbum pro *mutare* usurpatum olim antiquis scriptoribus demonstrat, *capitis* autem denominationem, qua pro statu ponitur hominis, inde deducendam arbitratur, quia caput hominis est principale. Huc referendum responsum Pauli in *L.* 44. *D. de Religios. Mihi autem videtur, illum locum religiosum esse, ubi, quod est principale, conditum est, id est caput, cujus imago fit, inde cognoscimur.* Varie haec verba tentantur ab Interpretibus, Aliorum sententias recensuerunt Ampl. Bynkershoeck. *Lib.* 1. *Obs.* 6. Cl. Marckart *Interpr. Lib.* 2. *Cap.* 19., adde Ampl. Ottonem in *Praefat. Thes. Jur. Tom.* 4. *pag.* 2., et Catharinum in *Thes. Meerman. Tom.* 6. *p.* 788. Quod si mei res esset arbitrii, ita legendum statuerem: *Cujus esi imago sit inde cognoscimus. Esi*, quod pro *enim* positum olim fuisse Magno tradit, absorpsit sequens *im.* Imago est imitago, instar. *Sit.* et *fit.* saepissime inter se confundi probavit Bestius *p.* 27. R. et S. litteras in fine praecipue vocum frequentissime permutatas constat ex Isidoro *Orig. Lib.* 1. *Cap.* 26., adeo ut haud facile in libris MSS. eas internoscere licere affirmet Sciopp. in *Art. Crit. p.* 54. Quoniam autem caput hominis est principale, hinc vocabulum illud pro ipso homine haud raro adhibetur. Ita *Caput liberum* dixit Noster *Tit. XI.* §. 5. de filio manumisso sive emancipato. Tutelam novimus a Servio definiri *vim ac potestatem* (id est vim, hoc est, potestatem, v. Otto ad §. 1. *J. de Tutelis*) *in capite libero* in *L.* 1. *D. de Tutelis.*

Capitis itaque minutionem accipio ipsius hominis mutationem. Mutatur homo, exempli gratia in maxima capitis diminutione, siquidem per eam ex cive Romano fit peregrinus et hostis, ex libero fit servus. In media ex cive item fit peregrinus. In minima denique non exigua quoque intercedit mutatio; veluti in adoptione, qua filius patri suo naturali ex suo fieri solebat extraneus, intervenientibus familiae et sacrorum minutionibus, seu mutationibus, imo in emancipatione ex libero pro momento temporis fit quasi servus. Emancipari enim nemo potest *nisi in imaginariam servilem causam deductus*, ut ait Paulus in *L.* 3. §. 1. *D. de Cap. Minut.* Innuit Ictus emancipationum et manumissionum solennitates, antiquitus intercedere solitas, vid. *L. ult. C. de Adoptionib.* Per coëmtionem mulier liberam quasi in servitutem transibat. Hinc maritum dominum salutare consueverunt uxores bonae v. Otto *in Papin. Cap.* 7. §. 6. Eodem ex fonte derivandam puto appellationem *capite censorum*, quales dicuntur, quorum non, ut caeterorum, facultates possessionesque, sed nudum nomen et caput, sive homo ipse, in tabulas censuales poterat referri. Elucescit, ni fallor, atque quam clarissime approbata est origo et causa notionis, qua *caput* pro *statu* positum fuit veteribus; veluti in *d. L.* 3. *in f. et L.* 4. *D. de Cap. Minut. Servile caput nullum jus habet, ideo nec minui potest. Hodie* (vel *eo die*) *enim incipit statum habere, cum manumittitur.* Confer §. 4. *J. eod. Servus manumissus capite non minuitur, quia nullum caput habuit.*

Ex illis, quae hactenus disputavimus, facilem fortasse interpretationem accipiunt ea, quae ex legibus XII. Tabularum refert Gellius in *Noctib. Att. Lib.* 20. *Cap.* 1. de poenis eorum qui solvendo non erant. Vix ullam in jure reperias materiam, quae aeque exercuit Jurisconsultorum celeberrimorum, hominumque litteratissimorum ingenia, atque id, quod modo memoravi, argumentum, poenam capitis designo, et sectionem obaeratorum. Nolo equidem varias plurimorum opiniones recensere, quae vel solae justum volumen implerent,

neque animus est in medium producere veterum hac de re commentaria, Quintiliani et Tertulliani. Taedet cramben millies coctam recoquere. Ampliora qui desiderat, adeat is Ampl. Bynkersh. *Obs. Lib.* 1. *Cap.* 1. Jam ante quoque de eadem re disseruere Viri Eruditissimi Salmasius, Raevardus, Heraldus, Annaeus Robertus, aliique quam plurimi; quibus adjunge quotquot fere leges Decemvirales exposuerunt. Dolendum sane Gellium non ipsa servasse ac proposuisse legis verba ea, quae tertiis nundinis capitis poenas daturum debitorem sanciverunt. Non humani aliquid passum, lapsumque forte fuisse Caecilium, quis praestet, poenamque capitis accepisse, quae alio modo exponi debuerat? Faciamus tamen legem ipsam *capitis poenam* appellavisse, eamque subire debere statuisse debitorem, si uni is esset addictus creditori. Hoc puto voluisse Decemviros, ut liber homo, qui fraudavit creditorem, suaque bona dilapidavit, quo satisfiat aliquo pacto creditori, condemnetur ei servire, non quidem ut servus natus, sed ita tamen, ut jus habeat dominus cogere eum ut praestet sibi creditori quascunque operas, quas a servo famulove exigere quis potest, usque dum debitum fuerit solutum ex operis, aut aliunde; vere itaque addictus est. Capitis ergo poenas dato intelligo in servitutem addicitor. Ita enim capitalis poena plus semel servitus vocatur. Expresse Ulpianus in *L.* 2. *pr. D. de Poenis*: *Rei capitalis damnatum sic accipere debemus, ex qua causa damnato vel mors, vel etiam civitatis amissio, vel servitus contingit.* Adde Brissonium in v. *Capitalis.* Si nollet addici debitor trans Tiberim peregre venum ibat. Vidimus de primo casu, si unus sit creditor, addici huic debitorem, dicendum restat verbo de altero, si plures fuerint. *Tertiis nundinis* inquit lex *partis secanto, si plus minusve secuerunt, se fraude esto.* Sic interpretor: pluribus creditoribus addictus debitor divisas operas praestato, creditores inter se operarum partes dividunto. Finge Sejum debitorem debere C Titio, CC Maevio: tamdiu servire debet servus hic communis, donec acquisiverit CCC nummos, quibus comparatis C cedunt Titio, CC Maevio. Quod si minus justa facta fuerit divisio, sine fraude est debitoris, hoc est, non praejudicat hoc addicto, habent quod sibi imputent creditores, qui non recte rationem inierunt; neque iterum in servitutem trahi potest addictus, sed semel liberatus, liber manet. *Se fraude* significat impune, sine periculo, tuto, vid. Pithaeus ad *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 4. §. 2. *Num.* 9. *Secare* vocem quod attinet, constat ex Fabri, aliorumque lexicis, et adnotationibus, *sectionis*, *sectorumque* appellationes usitatissimas esse de bonorum venditionibus, venditoribusque. *Partes secare* autem pro *dividere* positum nulli dubium est. De eo solummodo controvertitur utrum de operarum, an de corporis debitoris partibus sit intelligendum. Iis, qui de membrorum sectione accipiendum censent, imposuerunt credo verba antiqua legis XII Tabularum obscuriora, aut Jurisconsulti alicujus veteris auctoritas. Caecilius ipse, Quintilianus, et Tertullianus, allos forte secuti, eundem omnes errorem errarunt. Quod si tamen obgerat quis, si eo, quem proposui, modo explicanda sint legis verba, vix fore ut inveniantur, qui recte intelligant, respondebo ipsius Caecili verbis: *Obscuritates non adsignemus culpae scribentium, sed inscitiae non adsequentium, quamquam hi quoque ipsi, qui, quae scripta sunt, minus percipiunt, culpa vacant, nam longa aetas verba atque mores veteres oblitteravit.* Vid. Gell. *l. c.* Idem obtinere quis ignorat in legibus antiquissimis quorumcunque populorum. Revoces quaeso in memoriam quae supra diximus de capitis minutione: si quis hodie primus exponeret illam status mutationem, destitutus Ictorum priscorum auctoritate ac testimoniis, persuarum eum fore putas? equidem non credam.

Jac. Constantinaeus *l. c. Lib.* 2. *Cap.* 29. *pag.* 621., qui universam materiam capitis diminutionis ubere pertractat, de eo quoque inquirit, solvaturne matrimonium deportatione, itemque utrum deportatio, et, quae in hujus locum successit, aquae et ignis interdictio, referenda sint ad maximam, an ad mediam capitis diminutionem. Facillimo negotio rem hanc expedies, si cum Charonda *h. l.* statuas, non eodem modo omnes Ictos constituisse diminutionis species,

§. 11. Maxima capitis deminutio est, per quam et civitas, et libertas amittitur: veluti cum incensus aliquis venierit, aut cum mulier alieno servo se junxerit, denuntiante domino, et ancilla facta fuerit ex Senatusconsulto Claudiano.

§. 12.

cies, non iisdem saltem nominibus eas distinxisse. Ita Callistratus in famosissima *L.* 5. §. 3. *D. de Extraord. Cognitionib.*: *Consumitur*, inquit, existimatio, *quoties magna capitis minutio intervenit*, *id est*, *cum libertas adimitur*; *veluti cum aqua et igni interdicitur*, *quae in persona deportatorum venit*, (*venit* an *evenit* leges perinde est) *vel cum plebejus in opus metalli*, *vel in metallum datur*. Frustra est Cl. Best, qui *pag.* 39. legi oportere indicat *idem est*. *Magnam* dixisse puto lectum, quam alii *mediam* appellant. Neque enim novum est, alio modo dividi, atque aliter distingui ab aliis. Tres juris species a Prudentibus vulgo constitui norunt dupondii, duabus tamen eas comprehendunt nonnulli; Pluribus hoc demonstravit ὁ πάνυ G. Noodt in *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 21. Quod autem in verbis propositis distinguit Callistratus inter metallum, et opus metalli, quo pacto haec intelligi oporteat docet Ulpianus in *L.* 8. §. 6. *D. de Poenis*, qui idem *Magnam* quoque nominavit minutionem, quam *mediam* vocat hoc loco, in *L.* 1. §. 8. *D. ad Senatusc. Tertull.*: *Capitis minutio*, ait *salvo statu contingens*, *liberis nihil nocet ad legitimam hereditatem*. . . . *Proinde*, *sive quis ante delatam*, *sive post delatam capite minuatur*, *ad legitimam hereditatem admittetur*, *nisi magna capitis diminutio interveniat*, *quae vel civitatem adimit*, *utputa si deportetur*. Confer *L.* 1. §. 4. *D. de Suis et Legit.* Varie verba hujus legis tentata fuere a plurimis. Doctorum emendationes, transpositiones et conjecturas exhibuit Cl. D'Arnaudt *in Conject. Lib.* 2. *Cap.* 6. *p* 259. Sequor ego, imo admiror ingeniosissimam emendationem Viri Praeclarissimi G. Noodt *l. c.*, qui notarum praesidio corrigit: *Salvo statu civitatis*. *Vel* autem exponit *etiam*, quam significationem probat quoque insignis Grammaticus *ad Virgil. Ecl.* 8. *v.* 69., et *Aen.* 2. *v.* 259. In metallum datos, ut et hoc obiter addam, poenae servos effectos fuisse memorat Imp. in §. 3. *I. Quib. mod. jus patr. p. s.*, eosque maximam capitis diminutionem passos idem tradit §. 1. *J. de Cap. Dimin.* Intellige tales quibus atrocitate sententiae civitas et libertas ademta fuit, qui quoniam dominum non habebant, poenae servi nominati fuerunt, quasi quorum dominus erat poena. Quod de metallo dixi, non abs re erit paucis restituere *L.* 1. §. 9. *D. de Bonor. Possess. contra tab.*, huc in primis facientem. *Si et pater et filius deportati sint*, *et ambo restituti*, *dicemus* inquit Ulpianus *ad bonorum possessionem admitti filium*. *Sed et si filius*, *in metallum damnatus*, *vel alia poena*, *quae servum efficit*, *restitutus sit*, *nihilominus admittetur*, *aliter non*. Interpretor: admittetur filius qui damnatus fuerat, et restitutus sit, aliter non, puta si restitutus non fuerit. Eodem modo Noster in *L.* 3. §. 9. *eod.* *Si pater alicujus pervenerit*, *aliter non*. Neque itaque adsentiendum Ill. Grotio in *Flor. Spars.*, qui legendum arbitratur *non admittetur*, non obstante *L.* 17. §. 6. *D. ad SCtum Trebell.*, quippe in qua sermo est de filio, qui etiamnum servus poenae erat, ac necdum restitutus, quo casu admitti non posse filium ex ipsa *l. c.* manifestum est.

§. 11. Quid si mulier denuntiaverit? denuntiare eam posse arbitror, modo adhibeat tutoris auctoritatem, quoniam perpetuae tutelae ipsa subest. Ita de eo Paulus in *Sententiis Lib.* 2. *Tit.* 21. §. 3. *Mulier *** etsi tamen ei quae se servo junxerit*, *denuntiando*, *acquirit ancillam*. Lacunam, quam indicant asterisci, hoc modo supplendam censet Cujacius *Obs. Lib.* 21. *Cap.* 16.; *etsi deferre non possit*, *tamen etc.* Scriptum fuisse suspicor: *Mulier et si t a tamen f.*, hoc est, *mulier etiam*, *si tutoris auctoritate tamen fecit*. Possis et per geminationem ita reponere: *si TAmen*, id est, *si tamen tutore auctore*, sc. facta sit de-

§. 12. Media capitis deminutio dicitur, per quam, ſola civitate amiſſa, libertas retinetur: quod fit in eo, cui aqua et igni interdicitur.

§. 13. Minima capitis deminutio eſt, per quam, et civitate, et libertate ſalva, ſtatus dumtaxat hominis mutatur: quod fit adoptione, et in manum conventione.

§. 14. Teſtamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege duodecim Tabularum, his verbis, UTI LEGASSIT SUPER PECUNIA, TUTELAVE SUAE REI, ITA JUS ESTO: qui tutores dativi appellantur.

§. 15. Dari teſtamento tutores poſſunt liberis, qui in poteſtate ſunt.

§. 16. Teſtamento tutores dari poſſunt hi, cum quibus teſtamenti faciendi jus eſt, praeter Latinum Junianum: nam Latinus habet quidem teſtamenti factionem, ſed tamen tutor dari non poteſt: id enim lex Junia prohibet.

§. 17. Si capite deminutus fuerit tutor teſtamento datus, non amittit tutelam: ſed ſi abdicaverit ſe tutela, deſinit eſſe tutor. Abdicare autem eſt, dicere nolle ſe tutorem eſſe. In jure autem cedere tutela teſtamento datus non poteſt: nam et legitimus in jure cedere poteſt, abdicare ſe non poteſt.

§. 18. Lex Atilia jubet mulieribus, pupilliſve non habentibus tutores dari a Praetore, et majore parte Tribunorum plebis, quos tu-

denuntiatio. T. A. *tutore auctore*, vel *tutoris auctoritate* deſignaſſe Valerius Probus auctor eſt. F pro *fecit* exaraſſe veteres Diaconus tradit.

§. 14. Vocabulum *rei* gloſſema eſſe exiſtimat Cl. Wieling in *Lect. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 17. Pro *ſuae rei* Nob. Meerman mavult *ſui eris*, id eſt, *heredis* ad *h. l.* Dixi ante ad *Tit.* 1. §. 9. praeferre me *tutelave*, *ſuave re.*

De tutoribus dativis notabile eſt reſcriptum Alexandri in *L.* 3. *C. de Confirm. Tut. Si pater inutiliter teſtamento tutores dederit, et prius quam hi confirmarentur, alii ab eo cujus intereſt dati ſunt, id quidem, quod jure geſtum eſt, revocari non poteſt:* Inutiliter qui dentur in teſtamento expoſuit Modeſtinus in *L.* 1. *D. de Confirm. Tut.* Datos autem, licet inutiliter, tutores vel curatores a patre, *aſſuetum eſt confirmari ab eo qui praeëſt*, *l. c.* §. *ult.* Intellige autem eum, *cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatuſconſultum, vel Princeps.* Tutoris enim datio *neque imperii* eſt, *neque juriſdictionis*, *L.* 6. §. 2. *D. de Tutelis.* Neutiquam itaque adſtipulor Ruſſardo, caeteriſque eum ſecutis, qui pro *intereſt* ſubſtituendum arbitrantur *juriſdictio eſt. Alii ab eo cujus intereſt* accipiendi ſunt alii quam ii qui judicium patris habent. Illorum autem intererat, confirmari ſe, quoniam ignominioſum quodammodo fore credendum eſt tutoribus ſcriptis, ſi contra voluntatem patris, ſemet excluſis, alii tutores a Magiſtratu darentur.

§. 18. Inſpici omnino merentur, quae de tutoribus datis ex lege Atilia diſputat H. J. Arntzenius in *Miſcellaneis Cap.* 12., quo loco pluribus quoque de eo inquirit, quot intelligendi ſint per eos, quos *majorem*

tutores Atilianos appellamus. Sed quia lex Atilia Romae tantum locum habet, lege Julia et Titia prospectum est, ut in provincia quoque similiter a Praesidibus earum dentur tutores.

§. 19. Lex Junia tutorem fieri jubet Latino, vel Latinis impuberibus eum, qui etiam ante manumissionem ex jure Quiritium fuit.

§. 20. Ex lege Julia de maritandis ordinibus tutor datur a Praetore Urbis ei mulieri virginive, quam ex hac ipsa lege nubere oportet,

rem partem Tribunorum plebis hic nominat Ulpianus, itemque Imp. in *pr. J. de Atiliano Tut.* Ostendit denique Tribunos legem sibi dixisse, ut id, quod majori parti placuisset, ratum haberetur, neque collegae intercedere liceret.

§. 19. Existimant Interpretes excidisse *dominus*, vel *servus*, dubito tamen, an subaudiri *dominus* possit, quae vox per ellipsin subintelligenda saepe omittitur, tum praesertim, cum ex adjectis ultro apparet alium intelligi non posse, quod et obtinet hoc loco. Eodem modo dixit Auctor in §. 16. *Tit.* 1.: *qui tantum in bonis . . . servum habet.* Facile tamen sensum suppleas, si legas: *eum P.*, vel *eum D.*, hoc est, *eum patronum*, vel *eum dominum*, *qui etiam . . .* dominus *fuit.* Utramque notam Probus indicat.

Cl. Vryhof in *Obs. Jur. Civ. p.* 154. hoc amplius emendanda verba censet, substituendumque: *Latinae, vel Latinis impuberibus*, quod, quamvis necessarium non sit, quum appellatio masculi et feminam comprehendat, ut tamen pleniorem, forte et elegantiorem sensum habeas, possis adoptare. Sed et sic tamen mallem: *Latino, vel Latinae impuberibus*, quo modo loqui amant Jurisconsulti. Huc puto referendum, quod adnotavit Elb. Leoninus, Curiae patriae meae quondam Cancellarius, Vir egregia juris doctrina celebratissimus, in *Emendationib. Lib.* 7. *Cap. XI.*, diligentissimum venatorem et observatorem verborum fuisse Ulpianum. Exemplum exstat illustre in *L.* 1. §. 1. *D. de Peculio*, ubi interpretaturus Noster verba edicti Praetorii, quod cum eo, qui in alterius potestate est, gestum erit, *de eo* ait *loquitur* Praetor, *non de ea*, *sed tamen et ob eam*, *quae est feminini sexus*, *dabitur ex edicto actio.*

§. 20. Scriptum fuisse hic, et in §. 24. nullus dubito: *Praet. Ur.* Designare hoc *Praetorem Urbis*, et *Urbanum* notat Valerius Probus; postremum malo, quia, ita plerumque is appellatur, juxta cum Schultingio *h. l.*

Mulieri, virginive tutor datur, etc., adeoque tam impuberi, quam viripotenti. Despondëri enim cum possint etiam impuberes, modo sint infantia majores, et dotem eas dare, dicere, promittere posse dicendum videtur, auctore scilicet tutore. Ad adultas autem et majores quod attinet, in perpetua tutela has fuisse ante probavimus. Confer Heinecc. ad *L. Jul. et Pap. Popp. Lib.* 2. *Cap.* 13. *Num.* 2.

Pupillum illa corrigit Faber *h. l.*, alii aliter. Optime lectionem exhibitam restituit atque exposuit Schulting *h. l.*

Etiam in provincia quoque. Quum idem plane significent *etiam* et *quoque*, alterum abundare videri possit. Ne tamen temere e textu vocem elimines, quippe cum constet non juris modo auctoribus, sed caeteris quoque scriptoribus optimis in usu talia fuisse, id quod exemplis pluribus demonstravit Cl. Vryhof in *Obs. p.* 118. *Et posterisque* in inscriptionibus saepissime occurrit v. Murat. *tom.* 1. *p.* 1287. *et* 1288. et alibi, nisi tamen excidisse statuas *suis.* Quod si tamen offendat teretiores cujusdam aures ingrata haec repetitio, atque injucundus pleonasmus, haud equidem intercedam, quo minus pro *etiam* substituat *ejusmodi*, hoc est, personis illis, de quibus antea sermo inciderat, mulieri puta, virginive; Error ortus ex similitudine siglarum quibus vocabula illa notata fuisse Magno tradidit.

tet, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupillum habeat. Sed postea Senatus censuit, ut etiam in provincia quoque similiter a Praesidibus earum ex eadem causa tutores dentur.

§. 21. Praeterea etiam in locum muti, furiosive tutoris, alterum dandum esse tutorem ad dotem constituendam Senatus censuit.

§. 22. Item ex Senatusconsulto tutor datur mulieri ei, cujus tutor abest, praeterquam si patronus sit qui abest: nam in locum patroni absentis alter peti non potest; nisi ad hereditatem adeundam, et nuptias contrahendas. Idemque permisit in pupillo patroni filio.

§. 23. Hoc amplius Senatus censuit, ut, si tutor pupilli pupillaeve suspectus, a tutela submotus fuerit, vel etiam justa de causa excusatus, in locum ejus tutor alius detur.

§. 24. Moribus tutor datur mulieri, pupillove, qui cum tutore suo lege, aut legitimo judicio agere vult, ut auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest) qui Praetorianus tutor dicitur, quia a Praetore Urbis dari consuevit.

§. 25. Pupillorum pupillarumque tutores et negotia gerunt, et auctoritatem interponunt: mulierum antem tutores auctoritatem dumtaxat interponunt.

§. 26.

Caeterum ea quae in urbe singulari aliquando ratione sunt constituta, non aeque in provinciis recepta semper fuisse ostendit G. Noodt in *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 5., add. H. Noordkerk in *Obs. Dec. p.* 114.

In provincia a Praesidibus earum. Quamvis usitatius dixisset Auctor *in provinciis*, uti hoc loco, ita alibi, vid. Schulting. ad §. 18. *h. t.*, atque exinde haud temere quis conjiciat perperam in siugulari numero explicuisse scribas notam *P*, vel *P U*, quibus *Provinciae* vox significabatur, minime tamen infrequens censenda est ea, quae hic occurrit, numeri syllepsis in Ictorum libris, vid. Eruditiss. Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 84. *et* 85. Idem de generis mutatione observat Noodtius *Obs. Lib.* 1. *Cap.* 4. In persona quoque nonnunquam variari sermonem in jure tradit Consultiss. Rygerbos *Obs. Cap.* 2. *pag.* 19.

§. 21. Fallitur itaque S. Strykius, Ictus celeberrimus, in egregio Tractatu *de Jure Sensuum Dissert.* 4. *Cap.* 2. *Num.* 18., opinatus muto tantum, si scribere possit, impedimenti nihil esse, quo minus tutelam legitime administret. Quinam vero morbus a tutela repellat, erudite explicuit Idem *Dissert.* 2. *Cap.* 2. *l. c.*

§. 24. Moribus jus hoc tribuit Ulpianus, quoniam non ex ipsis legibus Decemviralibus, sed ex disputatione Prudentum demum originem traxerunt, nataeque sunt legis actiones. *Lege agere* est, experiri certa solennique legis actione. *Aut* hic intellige eo modo, quo *vel* usurpari saepissime alias ostendimus, pro *id est*. Judicium enim legitimum idem est quae actio legitima. Ita pluribus hunc §. exposuit Ampl. Bynkersh. *Obs. Lib.* 7. *Cap.* 13., qui et ibidem Tribonianum defendit, de eo plerumque incusatum, quod in variis juris locis pro *tutore* substituit *curatorem*, add. Ottonem *de Perp. Tut. Fem.* §. 10. A manu Ulpiani est forte *Praetorius*, compendium scripturae ex sui temporis latinitate librarius explicuit.

§. 26. Si plures ſunt tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare, praeter eos, qui teſtamento dati ſunt: nam ex his vel unius auctoritas ſufficit.

27. Tutoris auctoritas neceſſaria eſt mulieribus quidem in his rebus, ſi lege, aut legitimo judicio agant, ſi ſe obligent, ſi civile negotium gerant, ſi libertae ſuae permittant in contubernio alieni ſervi morari, ſi rem mancipi alienent. Pupillis autem hoc amplius etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus eſt.

§. 28. Liberantur tutela maſculi quidem pubertate. Puberem autem Caſſiani quidem eum eſſe dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id eſt, qui generare poteſt: Proculejani autem, eum, qui quatuordecim annos explevit. Verum Priſcus eum puberem eſſe, in quem utrumque concurrit, et habitus corporis, et numerus annorum. Feminae autem tutela liberantur. ***

§. 27. *Si rem mancipi alienent* Teſtatur Nob. Meerman codices omnes MSS. exhibere: *ſi mancipia alienent.* Certum tamen videtur ex his quae mox ſubſequuntur: *pupillis hoc amplius in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus eſt*, et hoc loco de re mancipi ſermonem inſtituiſſe Auctorem; Credo ſcriptum fuiſſe *mancipi* R., poſtremam autem litteram, quae ea, quam dixi, nota ſcripta *rem* deſignat, teſte Magnone, ob figurae ſimilitudinem, pro A perperam accepiſſe deſcriptorem.

§. 28. De pubertate ex corporis adſpectu judicata vid. Forner. *Rer. Quot. Lib.* 2. *Cap.* 26. Uberius quoque de eodem egit C. P. Hoſman in *Diſſertatione de Aetate Juvenili* §. 4. *pag. XI.*

Uti unam tantummodo ſpeciem allegavit Auctor, qua finitur maſculi tutela, ita eundem ſufficere ratum fuiſſe credo, unicum nominaſſe mortis modum, quo ceſſaret tutela feminarum; praeſertim quum regulariter tutela earum fuerit perpetua. Unam litterulam omiſſam ſtatuo ab imperitis librariis, qui, quoniam ſignificationem ejus non intelligebant, addere eam neglexerunt, M. ſcilicet, vel Θ; utraque nota *mortem* deſignavit, illud ex Magnone conſtat, hoc ex Valerio Probo didici, qui addit eſſe eam litteram Graecam θητα dictam. Peregrini vocabuli θανατου prima littera uti maluiſſe ſuſpicor ſuperſtitioſiſſimos Romanos, quam ominoſam *mortis* vocem adhibere.

Lacunam his verbis ſupplere Charondam in altera Fragmenti hujus editione teſtatur Nob. Meerman. *quae in manum viri convenerunt*, quae ſi ex ipſo Aurelanenſi Codice deſcripſit Charondas, inutilis eſt opera, quam in reſtituendo hoc capite ex conjectura collocavi. Hoc certe evidentiſſimum apparet ex Boëtii loco, a Meermanno citato, itemque ex iis, quae hac de re diſputat Otto *de Perp. Fem. Tut.* §. 21., ſolutam fuiſſe olim mulierum tutelam in manum conventione, qua quippe in dominium tranſiere maritorum, ac ſpeciem quandam ſervitutis liberalis ſuſtinuerunt, adeoque jure potius dominii, quam jure tutelae virorum poteſtati ſubjectae fuerunt. Caeteros quod attinet modos, quibus tutela liberantur feminae, recenſuit eos Otto *l. c.*

Quod de *mortis* voce omiſſa dixi, eandem excidiſſe credo in his Caji *in Inſt. Lib.* 2. *Tit.* 8. *in pr. Ita demum tamen nepos, neptiſve, et pronepos, proneptiſve ſuorum heredum numero ſunt, ſi praecedens perſona deſierit* (ſupple in poteſtate eſſe ex ſequentibus) M. vel Θ hoc eſt *morte, ſive alia ratione, veluti emancipatione; Nam ſi per idem tempus, quo quisque morietur, filius in poteſtate ejus ſit* etc. Poſſis et legere aut per ellipſin ſupplere, *eſſe deſierit*, id eſt mortuus fuerit,

TITULUS XII.

De Curatoribus.

§. I. Curatores aut legitimi sunt, id est, qui ex lege duodecim Tabularum dantur: aut honorarii, id est, qui a Praetore constituuntur.

§. 2.

§. 1. Curatores dantur proprie puberibus, tutores impuberibus. Curatores testamento non dantur, dati tamen confirmantur a Praetore, v. §. 1. *J. de Curat.* Utrumque quod dixi indicat Papinianus in *L. 6. D. de Confirm. Tut. vel Curat.*, oratione aliquantum praepostera. *Si* inquit *filio puberi pater tutorem, aut impuberi curatorem dederit, citra inquisitionem Praetor eos confirmare debebit.* Inversum ordinem putat Russardus, legendumque *filio impuberi*, et *puberi curatorem.* Eodem modo exhibet Hugo a Porta et Haloander, quam transpositionem verborum sequuntur plerique. Sunt qui ad juris antiqui vestigia referendum hoc esse arbitrantur, quo in Patrisfamilias arbitrio positum fuit, quo tempore liberos in tutelam suam venire vellet, eique juri attribuendum volunt, quod tutorum etiam ad octavum decimum annum datorum exempla supersunt in lectorum fragmentis, v. *L.* 101. §. 2. *D. de Cond. et Dem.* Conf. Merill. *Obs. Lib.* 5. *Cap.* 16. Sed jam Papiniani aetate definitum fuisse novimus pubertatis terminum, v. §. *ult. Tit. praeced.* Quod autem attinet ad *L.* 101. *c.*, similesque, dicendum est, non de jure ibidem agi, sed de voluntate testatorum. Τεϱολογιαις forte non inepte quis accenseat Papiniani sermonem, in jure non raro obviis. Ita noster in §. 1. *Tit. XI. Feminis tam impuberibus quam puberibus*, ubi vid. Schulting. Add. *Tit.* 22. §. 14. Plura dabit Noodt *de Pactis Cap.* 5. *et* 10. Adjungo *L.* 16. *pr. D. de Test. Tut.* Nescio tamen an ex siglis ita commodius possit locus restitui: *Si f I^- puberi . . . . aut IT. puberi*, hoc est, *si filio impuberi . . . . aut item puberi*, consule Magnonem. Aut, si hoc malis, pro *impuberi* redde *jam puberi*. Eandem, quam modo dixi, transpositionem adhibendam censent Interpretes nonnulli, quid quod in textum quasi certam admiserint, in his Pauli *Lib.* 3. *Sentent. Tit.* 1. §. *un: Si fratri puberi controversia fiat, an pro parte impuberis differri causa debeat, variatum est: sed magis est, ut differri non debeat.* Haec scriptura est librorum vetustorum. Editores ex suo ingenio exhibuerunt: *Si fratri impuberi . . . parte puberis. . . .* Nollem factum. Agitur eo Titulo de Carboniano Edicto, quod ita exponit Ulpianus in *L.* 1. *pr. D. de Carbon. Edict.: Si cui controversia fiet, an inter liberos sit, et impubes sit, causa cognita, perinde possessio datur, ac si nulla de ea re controversia esset, et judicium in tempus pubertatis, causa cognita, differtur.* Impuberi soli, non etiam puberi succurrit edictum *L.* 3. §. 3. *eod.* De eo autem quaeritur, quid obtineat, si duobus fratribus controversia fiat, quorum alter pubertatem attigit, alter adhucdum impubes est, utroque petente Carbonianam bonorum possessionem, differendumne sit judicium, necne? An, quia conjuncta est utriusque causa, et pubes quoque gaudebit privilegio impuberi concesso, causaque adeo differetur? Non alienus certe videtur ab hac sententia Julianus, vid. *L.* 3. §. 8. *De Carb. Ed.* Contra existimat Paulus *d. l.*, quia utriusque causa haud facile potest separari, ideo ne impuberis quidem causam differri oportere. Praevaluisse videtur Pauli opinio, propterea, quia etiam si praejudicium per hoc fiat impuberi, possit is per restitutionem in integrum adjuvari major factus.

Ar-

§. 2. Lex duodecim Tabularum furiosum, itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione jubet esse adgnatorum.

§ 3. A Praetore constituitur curator, quem ipse Praetor voluerit, libertinis prodigis, itemque ingenuis, qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipant bona: his enim ex lege curator dari non poterat: cum ingenuus quidem non ab intestato, sed ex testamento heres factus sit patri: libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cum servilis cognatio nulla sit.

§. 4. Praeterea dat curatorem ei etiam, qui nuper pubes factus, idonee negotia sua tueri non potest.

Argumentum quaestionis propositae non recte intellexit Anianus, frustra itaque ex eo verum Icti sensum quaerimus. Pro his Aniani *quod etiamsi* malim *qui* vel *quin etiamsi*. Curatores honorarii dicuntur, eodem modo, quo jus honorarium vocatur jus Praetorium, a Praetore honorato constitutum. Vid. §. 7. *J. de Jur. Nat. Gent. et Civ.* Praetura enim κατ' ἐξοχὴν honor est, quippe quae dignitas summa, omniumque maxima fuit, eo praesertim tempore, quo et Consulatum gerebant Praetores, v. *L.* 7. §. 1. *D. de Just. et Jur.*, *L.* 2. §. 27. *D. de O. J.*

§. 3. Lex XII. Tabularum ita cavit: *Si paterfamilias instestato moritur, eique impubes suus exstabit heres, adgnatus proximus tutelam nancitor. Si furiosus aut prodigus existat, ast ei custos nec escit, adgnatorum gentiliumque in eo, pecuniave ejus potestas esto.* Vid. Jac. Gothofr. *ad Leges XII. Tabb. in Probast. ad Tab. V.* Eo itaque casu solummodo prospexit Lex, si testamentum non condidisset pater. Interpretatione Prudentum postea sic fuit ampliatum, ut et tutor quasi ex lege daretur, si testamento quidem condito decessisset, at tamen, quantum ad tutelam attinet, intestatus obiisset pater, v. §. 2. *J. de Legit. Adgnat. Tut.* Curator proprie testamento dari non poterat, quoniam Lex de tutore loquitur, non de curatore, praeterquam de custode furiosorum et prodigorum, ex adgnatis gentilibusve eligendo. Sed et hi magis tutores quam curatores dicendi sunt, curator enim principaliter bonis datur, hi autem et rebus et personis constituuntur; quamobrem saepissime quoque tutelae nomine designatur prodigorum furiosorumque cura ab iis, qui non admodum solliciti fuere de proprietate verborum. Horat. *Lib.* 2. *Sat.* 3. *v.* 217.

Interdicto huic omne adimat jus
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.

Deinde et ingenuis prodigis *ex Lege curator dari non poteras*, eo casu, *quum non ab intestato*, quo de unice Lex caverat, *sed ex testamento* heredes illi existerent patri suo. Intercedere itaque debuit Praetor, cujus partes fuerunt adjuvare, supplere, vel corrigere jus civile, v. *L.* 7. *D. de Just. et Jur.* Hic ergo curatores quoque dedit illis, qui ex testamento heredes facti fuerant.

TITULUS XIII.

De Coelibe, Orbo, et Solitario Patre.

§. 1. Lege Julia prohibentur uxores ducere Senatores quidem, liberique eorum, libertinas, et quae ipsae, quarumve pater, materve artem ludicram fecerit: item corpore quaestum facientem.

§. 2 Ceteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, a lenone lenave manumissam, et in adulterio deprehensam, et judicio publico damnatam, et quae artem ludicram fecerit. Adjicit Mauricianus, et a Senatu damnatam.

Tit. XIII. Eruditione aeque ac jucunditate commendandum Schediasma scripsit Vir juris ac litterarum peritissimus C. P. Hofman *de annis, quibus quis sub poena matrimonium inire tenetur*, in quo materiam omnem de coelibum poenis, tam ex juribus antiquis Romanorum, et Hebraeorum, Germanorum item, aliarumque gentium elegantissime pertractavit, addidit quoque de jure misogamorum, Germanis *Hagestoltzen* appellatorum, quod ex moribus hodiernis obtinet.

TITULUS XIV.

De Poena legis Juliae.

Feminis lex Julia a morte viri anni tribuit vacationem: a divortio, sex mensium: lex autem Papia a morte viri, biennii: a repudio, anni et sex mensium.

Tit. XIV. Ad hunc Tit. conferri omnino velum ejusdem, quem modo laudavi, Viri Praestantissimi Diatriben *de secundarum nuptiarum temporibus*, ubi id egit, ut ostenderet, intra quod temporis spatium conjugi propter alterius conjugis absentiam ad secunda vota convolare liceat, dein de termino disputat, intra quem viduae vel viduo permittitur transire ad alterum matrimonium, adjungit denique de tempore repudiatis conjugibus praescripto, antequam ad secundas nuptias se denuo conferre possunt.

Ad legem Juliam et Papiam Poppaeam integrum novissime commentarium in lucem protulit Cl. Heineccius, in quo multa Fragmenti nostri capita optime exposuit.

T I.

TITULUS XV.

De Decimis.

Vir et uxor inter se matrimonii nomine decimam capere possunt. Quod si ex alio matrimonio liberos superstites habeant, praeter decimam, quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimas, pro numero liberorum, accipiunt. Item communis filius, filiave, post nonum diem amissus, amissave, unam decimam adjicit,

Tit. XV. Navicularis hoc privilegium concessit Constantinus in *L.* 7. *C.* [*Th. de Navicul.*, ut *vacatione legis Juliae et Papiae potiantur*, *ut etiam nullis intervenientibus liberis*, (sic legendum ostendit Jac. Gothofredus) *et viri ex testamento uxorum solidum capiant*, *et ad uxores integra voluntas perveniat maritorum.*

Pro *nonum*, aut, quod exhibent codices alii MSS., *nominum*, praefero *nominalium*, uti et in §. 1. *Tit. seq.* Hoc certe probabiliter refingitur ex *nominum*, si per compendium scriptum putes, accedit et alia ratio, quia nonus dies in maribus tantummodo fuit dies lustricus, non item in feminis, quibus octavus erat. Quae fuerint nominalia docuit Macrob. *in Saturnal. Lib.* 1. *Cap.* 16. Multa de die lustrico congessit Heinecc. *ad L. Jul. et Pap. Lib.* 2. *Cap.* 14., qui Merillium secutus corrigit *nominum diem.*

Quandoque accipio pro aliqua vice, aliquo tempore, aliquando, qua notione voculam in jure usitari ex lexicis discitur, imo ad selectam Latinitatem pertinere hanc significationem ostendit Vorstius *de Latin. Select. p.* 239. Subintelligi autem arbitror particulam *si*, cujus ellipsis frequentissima est in Jurisconsultorum scriptis; vide Virum Illustr. atque Eruditissimum C. V. Vonk *in Obs. Miscell. pag.* 44. Observationis hujus neglectus fraudi fuit plurimis, qui variis modis id egerunt, ut vocem hanc invitis codicibus textui intersererent. Exemplo sint ea, quae in medium produxit Doctiss. Putman *in Interpret. p.* 25. Pauca ex immenso numero addidisse nobis cum maxime sufficiet. *In L.* 21. §. 2. *D. de Constit. pec. Constituto satis non facit*, inquit Paulus, *qui soluturum se constituit, si offerat satisfactionem. Si quis autem constituat se satisdaturum*, *fidejussorem*, *vel pignora det*, *non tenetur*, *quia nihil interfit*, *quemadmodum satisfacias.* Sunt qui *et fidejussorem* substituunt; sed et hoc temere, siquidem et haec vox saepissime subaudienda omittitur. Ita in *L.* 39. §. 1. *et* 4. *de Statu liberis Labeo*, *Ofilius responderunt.* Item in §. 2. *ibid. Labeo*, *Trebatius responderunt.* Ac, ne quid dubites, plene in §. 4. *ibid. Labeonis et Ofilii sententia.* Adde quae hac de ellipsi observavit Vir elegantioris jurisprudentiae peritissimus C. A. Van Wachendorff *l. c. Cap.* 3. Alii per geminationis remedium *cum constituat* malunt. Facillimum esset emendandi genus, si substituamus: *si fidejussorem*, aut *si qui autem*, hoc sensu: si autem, qui constituat se *satisfacturum*, quod malo. Nec est, quod moretur quempiam, quod *autem* post secundam vocem rejiciatur, quum eandem non raro etiam post tertiam poni constet, v. Cl. J. Arntzen. *ad Plin. Paneg. p.* 357. Sed non tali auxilio res indiget. Eodem modo pro eo, quod addunt nonnulli, in *L.* 1. §. 1. *De de Injuriis.*, *cum convicium*, commode reponi possit *convicium si sit*; verum et haec sine crisi se defendit lectio vulgata. Idem esto judicium de *L.* 4. *D. Quib. ad Libert. procl. non lic.*, de qua vid. Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 117. Adde Best *p.* 274. Adjunge

I 2

jicit: duo autem, post nonum diem amissi, duas decimas adjiciunt. Praeter decimam, etiam usumfructum tertiae partis bonorum ejus capere possunt: et quandoque liberos habuerint, ejusdem partis proprietatem. Hoc amplius mulier praeter decimam dotem petet legatam sibi.

junge praeterea *L.* 32. §. 13. *D. de Rec. Arbitr.*, ad quam egit Idem *p.* 172, et Marckart *Interpr. Lib.* 1. *Cap.* 20. Denique *L.* 9. §. 3. *D. de SCto Maced.*, *L.* 21. *D. de Donat. int. Vir. et Uxor.*, nec non Paulum in *Sentent. Lib.* 2 *Tit.* 21. §. 12. Postremo in hanc classem refero quoque *L.* 39. *pr. D. de Legat. I.*, *L.* 30. §. 4. *D. ad SCtum Trebell.*, *L.* 135. §. 2. *D. de Verb. Oblig.*, *L.* 9. §. *ult. D. de Duob. Reis*, *L.* 51. *D. de Furtis.* Dubito tamen num et idem dicendum de *L.* 14 §. 9. *de Serv. Corr. Interdum tamen et inutilis sit* servus, *ut non expediat talem servum habere*; Disputarunt de verbis illis A. Faber in *Rat. ad h. L.*, et Varia eruditione praeclarus Vir, Anonymus in *Obs. Jur. Civ. p.* 118., nec non Cl. Best *p.* 27. *sit* accipere possis pro esse possit, aut pro *esset*, per enallagen temporis praesentis pro imperfecto. Diffiteri tamen nolo praeplacere conjecturam eorum, qui *fit* corrigunt. Litteras f et ſ facili negotio commutari potuisse fecit scripturae paritas, v. Sciopp. *de Art. Crit. p.* 47. Nisi tamen malis: *idem tamen et inutilis* si *fit*. Eadem olim nota perscripta fuisse *interdum* et *idem* auctor est Paulus Diaconus.

Usumfructum tertiae partis memorat quoque Venulejus in *L. ult. D. de Usu et usufr. leg. Nihil interest utrum bonorum quis, an rerum tertiae partis usumfructum legaverit; Nam, si bonorum usufructus legabitur, etiam aes alienum ex bonis deducetur, et quod in actionibus erit computabitur. At, si certarum rerum usufructus legatus erit, non idem observabitur.* De verborum sensu exponendo, aliorumve ausibus exhibendis, non est quod quidquam laborem, plena manu dabunt haec Ampl. Bynkersh. in *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 24, et Schulting *h. l.* Adde Cl. Heinecc. *l. c. pag.* 269., qui cum Bynkershoeckio facit. Existimat Praeses Gravissimus tres a Venulejo tractari species, primum an legetur ususfructus bonorum, dein an rerum, postremo an rerum certarum. In bonorum et rerum usufructu hoc observari, ut deducatur aes alienum, et computetur quod in actionibus est, contra vero obtinere in rebus certis legatis. Attamen, quod pace Manium ICti Egregii dixisse liceat, dubia quaedam superesse videntur, quae propter opinioni huic suffragari quis detractet. Id enim si voluisset Venulejus, dicendum, puto, fuisset: *si bonorum aut rerum. . . .* Tum etiam perinde arbitror, utrum quis scripserit testator: *Sejo lego usumfructum tertiae partis bonorum meorum.* an *rerum mearum.* Diversa vero longe causa est, si ita dixerit in testamento: *lego usumfructum fundi mei Tusculani.* Quid quaeris? hoc modo restituendum locum conjicio: *Nostra interest, utrum bonorum quis, an rerum tertiae partis usumfructum legaverit . . . . .* hoc est, utrum bonorum omnium, an certae et definitae tantummodo partis rerum suarum, veluti tertiae, quam vir et uxor capere possunt. Imposuit, credo, librariis similitudo notarum, quibus utramque vocem exaratam olim fuisse, *nihil* puta, et *nostra*, testantur Magno et Diaconus.

T I-

TITULUS XVI.

De Solidi Capacitate inter virum et uxorem.

§. 1. Aliquando vir et uxor inter ſe ſolidum capere poſſunt: velut ſi uterque, vel alteruter eorum nondum ejus aetatis ſunt, qua lex liberos exigit: id eſt, ſi vir minor annorum viginti quinque ſit, aut uxor annorum viginti minor: item ſi utrique lege Papia finitos annos in matrimonio exceſſerint, id eſt, vir ſexaginta annos, uxor quinquaginta: item ſi cognati inter ſe coierint usque ad ſextum gradum: aut ſi vir abſit, et donec abeſſet, intra annum, poſtquam abeſſe deſierit, libera inter eos teſtamenti factio eſt: ſi jus liberorum a Principe impetraverint: aut ſi filium filiamve communem habeant: aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiſerint: vel ſi duos trimos, vel ſi tres poſt nonum diem amiſerint: ut intra annum tamen et ſex menſes etiam unus cujuſcunque aetatis impubes amiſſus ſolidi capiendi jus praeſtat. Item ſi poſt mortem viri intra decem menſes uxor ex eo peperit, ſolidum ex bonis ejus capit.

§. 2. Aliquando nihil inter ſe capiunt, id eſt, ſi contra legem Juliam, Papiamque Poppaeam contraxerint matrimonium: verbi gratia, ſi famoſam quis uxorem duxerit, aut libertinam Senator.

§. 3.

§. 1. Meerman exhibet: *donec abeſt et intra*, pro *praeſtat* deinde *praeſtet*. Ulpianus in *L.* 36. *D. ex quib. cauſ. maj.*, quae deſumta eſt ex libro ejus ſexto ad Legem Juliam et Papiam, *Reipublicae cauſa* ait *abeſſe eos ſolos intelligimus, qui non ſui commodi cauſa, ſed coacti abſunt.* Non dubitandum itaque, et hoc loco, quo de iisdem legibus agit idem Ictus, intelligendam eſſe abſentiam rei publicae cauſa, imo a Noſtro, qui accuratiſſime loqui ſolet, id additum puto, ſed a librariis omiſſum, ſcriptum fuiſſe credo: *ſi vir R. P. C. abſit*, hoc eſt, *ſi vir rei publicae cauſa abſit*, teſte Magnone. Verba intricatiora paululum ita interpretor: Libera quoque eſt, praeter caſus ante memoratos, teſtamenti factio inter conjuges, adeo ut et ſolidum hi inter ſe capere poſſint, ſi vir reip. cauſa abſit, per id tempus quo abeſt, modo tamen intra annum, computatione facta ab eo tempore, poſtquam abeſſe deſierit.

Pro *ut intra* reponendum arbitror *at intra*, quas voculas in codicibus vetuſtioribus inter ſe confundi ſaepenumero notarunt Celeberr. Burmannus *ad Poëtas Lat. Min. Vol.* 1. *pag.* 67., et Cl. Noodt *Prob. Lib.* 1. *Cap.* 4. *et alibi*. Confer *Obſ. Miſc. Amſtel. Vol.* 3. *p.* 123. A et U litteras in Longobardico caractere haud raro permutari obſervat Cl. Duker *ad Flor. Lib.* 1. *Cap.* 3. *N.* 5., et *Lib.* 1. *Cap.* 5. *Num.* 4., add. Salmaſ. *ibid. Lib.* 3. *Cap.* 1. *N.* 18. De jure unico filii in percipiendis decimis et ſolidi capacitate pluribus agit M. Vertranius Maurus in *Theſ. Jur. Otton. Tom.* 3. *p.* 977.

§. 3. Qui intra sexagesimum, vel quae intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis legibus post hanc aetatem liberatus esset, perpetuis tamen poenis tenebitur, ex Senatusconsulto Perniciano: sed Claudiano Senatusconsulto major sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem.

§. 4. Quod si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit, impar matrimonium appellatur: et Senatusconsulto Calvitiano jubetur non proficere ad capiendas hereditates, et legatas dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit.

§. 3. De matrimonio sexagenarii cum quinquagenaria, senis cum juvencula, et vetulae cum juvene integram scripsit tractationem Juridicam Vir Insignis C. P. Hofman, in qua et de Tiberii et Claudii circa haec constitutionibus pluribus differit. De eodem, ut et de Senatusconsulto Persiciano egit Cl. Heineccius *l. c. p.* 160., nec non Cl. H. J. Arntzenius in *Miscellaneis*, nuperrime editis, *Cap.* 7. De partu a quinquagenaria majore edito tractat idem Hofman in *Schediasmate Litterario de Insignioribus Puerperii Temporibus Cap.* 2. *Num.* 24.

§. 4. Apuleji locum, in notis citatum, a critis vindicat, et impar matrimonium contendit esse omnem conjunctionem, quae est extra nuptias, Consultiss. Noordkerk in *Obs. Dec. p.* 146.

De Senatusconsulto Calvisiano (sic enim scribendum optime monuit Augustinus,) vid. Auctores §. praecedente citatos. Quod *Claudiano* hic refert Codex Auredanensis librariorum tribuo oscitantiae, qui perperam saepe repetunt ea quae mox praecesserant.

TITULUS XVII.

De Caducis.

§. 1. Quod quis sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab eo: verbi gratia, si coelibi, vel Latino

§. 1. Cujacius legit *ceciderit*. Malo *q veluti cecidit ab eo*, hoc est, *quod*, vel *quia*. Etymologiam respiciens Ictus caducum appellatum ait, quod cecidit ab instituto herede aut legatario. Ita soliti nostri, vide etymologias juris subjectas *Opusculis de Latinit. Vet. Ictor. a Cl. Dukero editis p* 462. Add. Menag. in *Amoenit. Jur. Civ. cap.* 39., et Duirsemam in *Conjecturis Lib.* 2. *Cap.* 2. Isidorus Orig. *Lib.* 5. *Cap.* 25. *Intestata hereditas* inquit *est, quae testamento scripta non est, aut, si scripta sit, jure tamen nequaquam est edita. Caduca inde dicuntur, quia ejus heredes ceciderunt.* Rescribe *caduca* sc. hereditas, *inde dicitur*. Pro *pereger* Meerman dat *peregrinus*. Hoc certum videtur dictum fuisse antiquitus etiam *pereger*, vide quae no-

tino Juniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel coelebs legi paruerit, vel Latinus jus Quiritium consecutus sit: aut si ex parte heres scriptus, vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregrer factus sit.

§. 2. Hodie ex constitutione Imperatoris Antonini omnia caduca fisco vindicantur: sed servato jure antiquo liberis, et parentibus.

§. 3. Caduca cum suo onere fiunt: ideoque libertates, et legata, et fideicommissa ab eo data, ex cujus persona hereditas caduca facta est, salva sunt. Scilicet et legata, et fideicommissa cum suo onere fiunt caduca.

notarunt Viri docti in lexico Fabri, et hoc loco.

§. 2. Rectissime Vir Consultiss. Putman in *Interpret. Cap.* 36. Ulpianum a crisi vindicat, atque ex *L.* 13. *pr. D. de Jure Fisci* ostendit promiscue *fisci* et *aerarii* voces usurpasse veteres, Tribonianum dein, quasi in *L.* 22. §. 6. *D. de Hered. Petit.*, et in *d. L.* 13. pro *aerario* substituisset *fiscum* ab Heineccio et Bachio male insimulatum, defendit.

TITULUS XVIII.

Qui habeant jus antiquum in Caducis.

Item liberis, et parentibus testatoris usque ad tertium gradum lex Papia jus antiquum dedit, ut heredibus illis institutis, quod quis ex eo testamento non capit, ad hos pertineat, aut totum, aut ex parte, prout pertinere possit.

Tit. XVIII. Plenius ex Auredanensi Codice sic exhibet Meerman: *ut heredibus illis institutis, qui ex testamento capere non possunt, quod quis hic ex eo* etc. Scriptum forte: *dedit ita ut.* Pro *hic*, quod huc non convenit, repono *heres.* Unica littera H et *hic* et *heres* designabatur teste Magnone, hic fons erroris. Dignissima sunt, quae ad hunc Titulum conferantur, quae de jure antiquo adnotavit Vir nulli secundus Jac. Gothofredus in *L.* 9. *C. Th. de Legitim. Heredit.*

T I-

TITULUS XIX.

De Dominiis, et Adquisitionibus rerum.

§. 1 Omnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi. Mancipi res sunt praedia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus. Item jura praediorum rusticorum: velut via, iter, actus, et aquaeductus. Item servi, et quadrupedes, quae dorso, collove domantur, velut boves, muli, equi, asini: caeterae res nec mancipi sunt: Elephanti, et cameli, quamvis collo dorsove domentur, nec mancipi sunt: quoniam bestiarum numero sunt.

§. 2. Singularum rerum dominia nobis adquiruntur, mancipatione, traditione, usucapione, in jure cessione, adjudicatione, lege.

§. 3. Mancipatio propria species alienationis est, et rerum mancipi:

§. 1. Materiam de rebus mancipi et nec mancipi singularibus, iisque elegantissimis dissertationibus pertractarunt Duumviri, egregiis in patriam meritis nobilissimi, ac praeclarae eruditionis gloria conspicui, Corn. Van Bynkershoek, et Gerh. Meerman, maximum saeculi hujus ornamentum, ex quibus lux non exigua Ulpiani verbis adfunditur. Res est multis nebulis obvoluta, quaeque difficultates habet vix superabiles.

Elephanti et Cameli quod mancipi rebus eximantur, hanc puto fuisse rationem, quia eae proprie sunt res mancipi, quae manu capi possunt ac collo dorsove domantur, adeo ut et eum, qui *mancipium* (usitatius dicitur *mancipio*) accipit, comprehendere oporteat *id ipsum, quod ei mancipio datur.* (Sic malo, quam quod in codice antiquo, alias memorato legitur: *quod de mancipio datur*) Vid. Isidor. *Orig. Lib.* 5. *Cap.* 25. Dictarum autem ferarum natura adeo fera visa fuit Romanis antiquissimis, ut manu capi, domarive eas non posse crederent; Sero tandem didicerunt in bello, aliisque locis domitas usui esse posse. Elephantos constat a Pyrrho, Rege Epirotarum, in Italiam primum adductos fuisse, hinc Flor. *Lib.* 1. *Cap.* 18. *Num.* 6. *incognitos in id tempus elephantos* nominat, ad quem locum plúribus probarunt Interpretes non visas ante Romanis fuisse has belluas, ac propterea *boves Lucas* eos appellasse, quod in Lucania primum eos conspexerant. De Camelis ita Plinius *Hist. Nat. Lib.* 8. *Cap.* 18. *Camelos inter armenta pascit Oriens. . . . Omnes autem jumentorum in iis terris dorso funguntur, atque etiam equitantur in praeliis. . . . Dictatoris Caesaris Circensibus ludis primum visa Romae.* Pro *in iis terris*, legunt alii *ministeriis*, malo *jumentorum more in iis terris*, puta Orientis. De utrisque haec Cajus in *L.* 2. §. 2. *D. ad L. Aquil. Elephanti autem et cameli quasi mixti sunt, nam et jumentorum operam praestant, et natura eorum fera est.* Ita Caji aetate obtinuit; Legum autem Decemviralium tempore nec visas fuisse belluas istas Romae constat ex iis quae ante proposui. Postquam vero deinde in Italiam translatae fuerunt, ferae atque indomitae habitae sunt, fera saltem semper natura earum credita fuit.

cipi: eaque fit certis verbis, libripende, et quinque testibus praesentibus.

§. 4. Mancipatio locum habet inter cives Romanos, et Latinos colonarios, Latinosque Junianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est.

§. 5. Commercium est emendi, vendendique invicem jus.

§. 6. Res mobiles non nisi praesentes mancipari possunt; et non

§. 5. *Commercium* generalem significationem habere, eoque comprehendi omnem acquisitionem vel alienationem contendit Vir Illustris H. Berenger in *Disput. ad L.* 40. *D. de Legat.* 1., *inserta Observat. Viri Consultiss. B. Branchu p.* 198.

§. 6. Pro *quam quae* codex unus habet *quam quod.* Eleganter restitui possit *quam quot.*

Apparet ex his Ulpiani sua aetate necessarium non fuisse, ut in mancipatione rei immobilis in rem praesentem iretur; olim tamen hoc fieri debuisse non dubito; Eadem enim cum sit ratio in solenni hac traditione, quae est in apprehensione rei controversae, vindicationem designo, idem quoque jus, easdem solennitates hic obtinuisse suspicor. Novimus autem, atque ex Gellio discimus *Lib.* 20. *Cap.* 10., ex lege XII. Tabularum, si lis aliqua incidisset de agro, aliave qua re, litigatores simul rem manu prehendisse, eamque vindicare debuisse in re ipsa et loco litigiosis; eo quoque profectum fuisse ipsum Praetorem. Hinc Ennius *ex jure manum consertum*, id est, secundum jus Decemvirale vindicationem institutam canit. Rectius autem forte dici credas *manu.* *M* litteram male saepenumero addi, in fine praesertim vocabulorum, ante probavi; error hic in inscriptionibus frequentissimus. *Cum quam vixi* prostat apud Murator. *Tom.* 3. *p.* 1310. *num.* 10. add. *p.* 1321. *num.* 10. Sed et defendi potest *manum.* *Manum cum hoste conferere* familiaris est locutio scriptoribus optimis pro pugnare. In vindicatione uterque litigator manu prendebat rem litigiosam, et manum injiciebat, uterque ajebat rem suam esse. Uti ergo in acie ferro manum conserebant hostes, sic in jure in vindiciis, id est re contentiosa, manu consertum est, dum utraque in re uterque arma quasi manu prendebat. Ita de eo Gellius: *Manum conserere est, de qua re disceptatur, in re praesenti, sive ager sit, sive quid aliud est, simul adversarium manu prenderit, in ea re omnibus verbis vindicare, vindicia, id est correptio manus in re atque in loco praesenti...* Corrupta haec esse nullus neget; Sic rescribo: *Simul cum adversario rem manu prendere, et in ea re ore* (eadem nota exarata fuit vox *omnibus* et *ore*, si hoc nolis, legas *conceptis*) *verbis vim dicere. Vindicia, id est correptio manus etc.* Adhibita itaque quaedam quasi vis, vi petente utroque ac manu corripiente rem litigiosam; indeque ipsum *vindicandi* verbum descendisse verosimile est, quod dicitur quasi *vim dico*, hinc et καρπισμος vocatur vindicia. *Vim festucariam* appellat Gellius, ob id fortasse, quia et hic festuca intercedebat, posterioribus scilicet temporibus. Festucam autem intelligo ramulum tenellum, quae eadem virga dicitur, qua in manumissionibus, credo et in vindicationibus, uti fuerunt sollti. Easdem *vindicias* nominatas fuisse scribit Festus in *v. Vindiciae, quae ex fundo sumtae in jus adlatae erant.*

Proposui conjecturam meam, uti spero probabilem, in re obscura, ab aliorum opinionibus longe diversam, quas si cognoscere desideres, ac vindicationis materiam uberius expositam scire aveas, consule Cl. Heinecc. in *Antiq. Instit. Lib.* 4. *Tit.* 6. *Num.* 24. Confer Branchu in *Obs. Dec.* 2. *Cap.* 15.

Quin et apud Nostrates ex lege, aut moribus antiquissimis requisitum fuisse, ut actus ejusmodi legitimi in ipsa re ac loco, quibus de controversia erat, fierent, ab-

K unde

non plures, quam quae manu capi possunt: immobiles autem, etiam

unde constat. Quicunque rem immobilem ab altero possessam vindicare constituit, ex jure hodierno induci se postulat ab eo, penes quem est jurisdictio, in rem contentiosam, adversarius contra inductum educi petit. *Induci* verbum hoc sensu occurrit apud Paulum *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 1. §. 17. *Immissio* plerumque in jure vocatur. Inmissiones has, sive inductiones in possessionem, aut rem, qua de lis est, eductionesque, Arnhemiae, in civitate mea patria, fieri antiquitus oportuisse coram pleno Senatu, vel minimum coram uno Consule et sex Senatoribus, sive Scabinis, in loco rei litigiosae, ac demum saeculi, quod proxime praecessit, anno duodecimo, die 21. mensis Januarii statutum fuisse inmissiones eductionesque fieri licere coram. Praefecto, quem Judicem nominant, praesentibus uno ex Consulibus, ac duobus Scabinis, aut ambobus Consulibus, unoque ex Scabinis, dein necesse non fore in posterum instituere eas in ipso loco litigioso, verum fieri juste posse in Curia constat ex actis Senatus ejusdem Civitatis Amplissimi. Ut fidem dictis faciam, tum ut consuetudinum antiquarum curiosis velificer, ipsa legis verba adscribam, non omnibus cognita, utpote in publicum nunquam emissa, si discesseris a promulgatione, ante annos centum et quinquaginta, et quod excedit, palam facta. *Alsoo articulo* 51. *det eerste deels deser Stads rechten in 't stuck van gemeine in en uytleydinge tot noch toe zyn gerequireert de gantsche Magistraat, of ten minsten eene Burgemeester in der tyd, en set Schepenen, daar door partbyen in Gerichtskosten grootelykt worden bezwaart, Soo is 't, dat Burgemeesteren, Schepenen, en Raad der Stad eenzamentlyck hebben geresolveert, dat tot verligtinge van partbyen, en vermydinge van onnodige kosten, de gemeine in en uytleydingen zullen geschieden by den Richter, oirkond eenen Burgemeester in der tyd, en twee Schepenen, ofte beyde de Burgemeesteren in der tyd, ende eene Schepen. Zullen ook van nu voortaan deselve in en uytleydingen niet meer op de plaats controvert, maar op den Stads Raadhuyse geschieden. Blyvende dan nog in andere poincten, soo het erfhuysrecht als de servituten betreffende de het capittel van in en uytleydinge in synen weerden en onverandert by deesen.* Innuunt Legislatores in superioribus Jus Civile Arnhemiensium, constitutum 18. Januarii 1602. cujus titulus est: *Reformatie by Richter, Burgemeesteren, Schepenen, ende Raad der Stad Arnhem gemaakt tot bevorderinge van de Justitie, en op forme van procederen voor de Leger bancke aldaar.* Hujus *Tit.* 2. *Art.* 50. haec statuuntur: *Und sal de aanleggende partye, 't zy in den erfhuyze ofte niet, den Richter verzoeken, dat hem believe tot die inleydinge Burgemeesteren, Schepenen, und Raad op zekeren tyd te beroepen.* Dein *Art.* 51. *Die ook volgens mit den gemeynen Schepenen, ofte ten weynigsten mit eenen Burgemeester in der tyd, und ses der Schepenen in loco contentioso erschynen zal.* Idem de eductione Senatus censuit, *Art.* 57. *Waar na den Richter mit Burgemeesteren und Schepenen, als vooren, ter strydiger plaatse erschynen, alwaar de Beklaagde den Richter zyn vermeet voortbringen, und daarop een oordeel verzoeken zal, 't geene by na communicatie mit den aanwezende Schepenen zal bevinden recht te weezen.* Primam item secundamque evacuationem in Curia fieri licere placuit die 16. Decemb. 1617. *Op buyden is by den Richter ende gemeene Schepenen gestatueert, dat benvoorder de eerste ende tweede ruymingen sullen mogen geschieden ter Raatcamere, door den Richter oirkund Schepenen, maar dat de derde ruyminge ende aanberinge zal geschieden ter plaatse van de grond, ofte goederen, daar op geprocedeert word.* Denique idem permissum fuit in addictione rei mobilis et evacuatione tertia, sive ultima immobilis, die 30. Martii 1691. *Dewyl na dezer Stads rechten en observantien altoos de aanberinge aan gerede goederen, en die derde en laatste ruiminge, samt in en aanberinge aan ongerede goederen gedaan zyn daar de gerede goederen te vinden, en de ongerede gelegen zyn, en dat sodane rechten en obser-*

etiam plures simul, et quae diversis locis sunt, mancipari possunt.

§. 7.

servantien niet anders als veele moeiten met zig sleepen, en daarom ook by speciaal statut, ten respecte van de eerste en tweede ruymingen op den 16. *Decemb.* 1617. *afgekeurt zyn, en verstaan op het Stadhuys door den Heere Richter, oircond twee Schepenen te mogen geschieden, Soo hebben Burgemeesteren, Schepenen en Raad gestatueert en goedgevonden, dat voortaan alle aanberingen van 't gerede, ende biedingen van de laatste ruyminge, sampt in, ende aanberinge van 't ongerede, meede zullen geschieden op 't Stadhuys, en niet in loco, daar die goederen te vinden of gelegen zyn etc. Biedinge van ruyminge*, ut hoc obiter notem, vocatur ex eo, quod is, qui petit evacuationem, rogat, ut Praefectus rem ipsi addicat, *dat den Officier hem aan den goeden gebiede, und doe die eerste ruyming*, quae verba sunt *van 't Gereformeerde Landrecht van Veluwen en Veluwenzoom Cap.* 14. *Art.* 7. Si de servitutibus esset controversia Arnhemiae, in loco, de quo lis erat, inductio eductioque, *beleydinge en contraleydinge*, fieri debebat ex *Art.* 59. *sq. Reformationis citatae*; ne quid memorem de inductione in domum mortuariam. Confer *Ordinantie over de Manier van Procederen in Arnhem Art.* 26. Adde *Landrecht van Veluw. l. c. Art.* 19. Denique, ne plura addam, *Stadrecht van Harderwyck Part.* 2. *Cap.* 5. *Art.* 3.

Uti autem in vindicatione obtinuit postea tacito consensu ac moribus, ut non amplius in rem praesentem procedere necesse foret, sed simul profecti litigatores terrae aliquid ex agro litigioso, veluti unam glebam, in jus in urbem ad Praetorem deferrent, et in ea gleba, quasi in toto agro, fieret vindicatio, quae tradit Gellius *d. l.*; ita idem in mancipatione usu venisse quis ambigat? Manifestissima consuetudinis hujus vestigia supersunt in moribus Nostratium antiquioribus. Effestucationem, hoc est rei immobilis mancipationem ab eo dictam certum est, quoniam olim jactu festucae, quasi symbolo quodam, rei suae immobilis proprietatem dominus cedere solebat. Vid. Ictus Inclytus, Aulae Gelricae Consiliarius Fred. a Sande *de Effestucat. in pr.* Fuit autem festuca aliquando culmus stramenti, *een stroohalm*, quem frequentissime, imo plerumque in alienationibus adhibitum a majoribus nostris fuisse novimus. Ex lege Salica venditor, sive is qui mancipio dabat, in apertum emtoris sinum projiciebat festucam. vid. J. G. Hofman in *Jurisprud. Symbol. Vet. Germanor.* §. 15. Festucam manu emittebat venditor, emtor eam accipiebat; hinc descendit notio *per festucam rem werpire*, hoc est repudiare, abjicere, alteri tradere. Inde *den halm schieten.* Denique huc referendum verbum *scotatio*, et *deguerpir* Gallorum. Consule Lamb. Goris, Syndicum quondam Neomagensem, Virum juris patrii peritissimum in *Adversar. Jur. Subsec. Tract.* 3. *Part.* 1. *Cap.* 1. Venditor deinde emtoris manum prendebat, atque ore confitebatur rem mancipatam se cedere emtori, successoribus, heredibusque ejus. Hinc in omnibus fere instrumentis traditionum additur rem cessam manu, festuca, et ore, *vertegen met hand, halm, en mond.* Exemplo sit formula antiqua, qua effestucationem factam olim tradit Juris Gelrici Interpres Optimus, Vir variis ingenii monumentis praeclarus, Jo. Schrassert in *Comment. ad Jus Velav. Cap.* 24. *Art.* 1. Ubi tamen pro *Koper* emtor reponendum omnino *Verkoper* venditor. Notat deinde festuca partem ligni *een splinter*, quam adhibebant potissimum possessionem ac dominium domus transituri; hinc suo tempore cespite, vel januae festuca, excisis in possessionem ire solitum fuisse narrat Hofman *d. l.* §. 19. Dicitur et pars glebae, sive cespes, quem orbis figura exscindere consueverunt, ut fundum qualis optimus maximus esset cedi significarent, ceu scribit Id. §. 14. Cespitis formam quadratam, vel etiam latercularem fuisse memorat Du Cange *in Gloss. v. Investitura.* In Drenta baculum poni testatur Goris *l. c.* Oscula quoque intercessisse, aliquando et per ramos, qui cespiti infigebantur, quod factum credo ut non solum tantummodo, sed et soli superficiem

ficiem

§. 7. Traditio, propria est alienatio rerum nec mancipi. Harum rerum dominia ipsa traditione adprehendimus, scilicet, si ex justa causa traditae sunt nobis.

§. 8. Usucapione dominia adipiscimur, tam mancipi rerum, quam nec mancipi. Usucapio est autem dominii adeptio, per continuationem possessionis anni, vel biennii: rerum mobilium anni, immobilium biennii.

§ 9.

ficiem mancipatam esse constaret, per fustes, lignum, juncum, virgas, wasonem, seu cespitem, cultellum, nummum, biblia, aliaque id genus plura, traditiones factae fuerunt. Adjungebantur autem symbola illa, imo intexebantur aliquando, assuebantur, vel alligabantur libello, sive instrumento cessionis, anxiaque cura asservabantur, penes ipsa aliquando altaria, hinc et plurima hodie supersunt, vid. Ernestus Joachimus de Westphalia in *Monumentis ineditis Rer. German. in Praefat. Tom.* 2. *pag.* 28. Interdum quoque frangi consueverunt. Rationem autem et originem ejusmodi symbolorum, ad id inventorum, ut imperitum vulgus, quod, ubi nudis verbis, aut etiam stipulatione, simplicive instrumento, peregrina saepe lingua conscripto, res foret agenda, quid fieret non intelligebant, admonerent, ac docerent, de re quam peragere proposuerant, veluti, eodem modo quo festucam emtori tradebant, dominium se rei venditae ad alium transferre, ea, inquam, si quis copiosius cognoscere desiderat, adeat is Doctiss. Hofman in *Specim. c.*, nec non Ampl. Ottonem in *Exercit. de Jurispr. Symbol.*, atque in primis Du Cange *l. c.*

§. 7. Paulus in *L.* 31. *pr. D. de Acquir. Rer. Dom. Nunquam* ait *nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur.* Ampl. Bynkersh. in *Obs. Lib.* 5. *Cap.* 25. reponendum censet *alia qua:* demonstravimus in praecedentibus *aliquis* pro *alius quis* saepissime usurpari.

§. 8. De Usucapione, ac praesertim servitutum, et ea, quae pro herede fit, ubere tractat Consultiss. Branchu in *Obs. Dec.* 2. *Cap.* 17. *et* 20. Dubium autem, quod movet Vir. Doctiss. *l. c. p.* 252., facillimo negotio poterit removeri, neque quidquam difficultatis habet quaestio proposita, si quid recte equidem percipio mentem disputantis. Summum, inquit, ex §. hoc 8., et insequenti 9. nascitur dubium; quod *si enim usucapione atque in Jure cessione adquirantur etiam res nec mancipi, quum bis modis adquiratur dominium Quiritarium, futurum, ut sic res nec mancipi fieri mancipi queant*, eoque pacto addit conturbari ac tolli omnino doctrinam et differentiam rerum mancipi et nec mancipi. Respondeo paucissimis. Usucapione et in jure cessione acquiri res mancipi, aeque ac nec mancipi constat ex Ulpiano, certissimum quoque per utramque comparari dominium Quiritarium ex eodem, *Tit.* 1. §. 16., ita tamen futurum, ut res nec mancipi fiant mancipi, nullus adsentior. Exemplo rem illustrabimus. Finge Cajum per annum continuum juste possedisse Camelum, elapso tempore legitimo eum usucapit, atque ita dominium ejus adipiscitur; neque tamen res haec nec mancipi facta est res mancipi; quod si enim Camelum suum alienare vult, tradere potest, atque in jure cedere, mancipare non potest.

In Usucapione requiri bonam fidem defuncti indicat Papinianus in *L. XI. pr. D. de Divers. et Temp. Praescript. Cum heres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit, veluti, cum sciens alienum illum illo vel precario possedit.* Mendosam lectionem varie repurgare conati sunt plurimi, vid. Cl. Voorda in *Interpr. Cap.* 40. Add. Schulting *h. l.* Conjicio in praecedentibus fragmenti illius locutum fuisse Ictum de servo, *illum* itaque intelligo servum, ac, ne pereat vox

§. 9. In jure cessio quoque communis alienatio est, et mancipi rerum, et nec mancipi; quae fit per tres personas, in jure cedentes, vindicantes, addicentes.

§. 10.

vox *illo*, quam pleraeque editiones profcribunt, Florentina tamen fervat, ita repono: *illum vi, clam, vel precario.*

§. 9. Ita Boëtius *in Topic. Cicer. Lib.* 3. *Eaedem vero*, res mancipi et nec mancipi puta, *etiam in jure cedebantur. Cessio vero tali fiebat modo: Apud Magistratum populi Romani, vel apud Praetorem, vel apud Praesidem Provinciae, is, cui res in jure ceditur, rem tenens, ita vindicat*, v. Cajum *in Inst. Lib.* 2. *Tit.* 1. §. 6. *Vel apud Praetorem* expono *veluti*, vel *id est*.

Diversus omnino est a juris cessione et mancipatione nexus. In iis enim res ita traditur, ut transeat dominium statim ad eum, cui res cessa aut mancipata est. In nexu vero res tantummodo obligatur, et manet ejus proprietas penes eum qui nexu dedit. Ita de nexu Varro *de Ling. Lat. Lib.* 6.: *Manilius scribit* (Festus in v. *Nexum* nominat Gallum Aelium, dictus forte is fuit Marcus Gallus Aelius, adeoque refcribendum hic *M. Aelius*) *omne quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipi* (fubintellige *res*, aut lege *mancipia*, hoc est, res mancipi. *Mancipium* enim dicitur, non tantum fervus et persona, fed et quaecunque res, quae mancipatione traditur, eo nomine a veteribus fuit appellata. vid. Vorstius *de Lat. Select. p.* 36. Quafcunque ergo mancipationes, alienationesque, per aes et libram factas, nexus dici Aelius arbitratur) *Mucius Scaevola, quae per aes et libram fiant, ut obligentur, praeterquam quae mancipio dentur.* (Haec enim verius mancipatio, et in jure cessio dicuntur) *Hoc verius esse ipsum verbum ostendit.* (Dicitur enim a nectendo, five a vinculo, quod in obligationibus olim quasi fymbolum intercessisse verosimile est. Hinc descendunt vocabula plurima, quorum significatio rem factam demonstrat, *obligare, constringere, vinculum, nexus, solvere*, reliqua) *Nam idem quod obligatur per libram neque suum fit* (*ni quid suum fit* reponi vult Schulting *ad Paul. Sent. Lib.* 2. *Tit.* 17. §. 3. Vulgatam fic interpretor. Id quod mancipatur et traditur, nexus non est dicendum, fed id folummodo, quod obligatur; argumento est ipsum *nexus* vocabulum, quod obligationem, non cessionem significat. Illud enim, quod obligatur, non traditur, *neque suum fit*, ejus fcilicet, cui obligatur, fed manet obligantis. Pronomina *suum* et *ejus* promifcue poni alibi docui) *inde nexum dictum. Liber* homo, *qui suas operas in servitute*, (non vera, fed imaginaria, ac temporali) *pro pecunia, quam debeat, dum solveret, nexus vocatur*, (a vinculo, five potius nervo, quo necti folebat, nexusque manebat, usque dum folvisset) *ut ab aere obaeratus* vocatur. *Hoc C. Popilio rogante, Sylla Dictatore, sublatum ne fieret, et omnes qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti*, id est, vinculum, quo obligati fuerant, qui rem personamve fuam constringi passi fuerant, dissolutum fuit. Sublatae nexorum, five addictorum fervitutes, non etiam per nexum feu obligationem rem oppignorandi modus fublatus est. De eodem fic Festus *in voce nexum: Nexum, ut ait Gallus Aelius, quodcunque per aes et libram geritur, idque necti dicitur, quo in genere sunt haec:* (intelligo in genere eorum, quae per aes et libram geruntur, non eorum, quae nexu fiunt, nihil enim nexus ad testamenta) *testamenti factio*, ea, quae per aes et libram facta, quae notissima, *nexi danto* (in aliis libris est *datio* quod praeferendum. Accipe obligationem, quae *datio* dicitur, propterea, quia pro momento res obligata tradebatur) *nexi liberatio* (fic pro *liberanto* rectius fubstituunt codices optimi, hoc est, dissolutio; cum enim unumquodque eodem quo colligatur modo debeat dissolvi, fequitur obligationem per aes et libram factam per eadem debere liberari.) *Nexum aes apud antiquos dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur.* Optime distincta *nexus mancipiumque* in Legib. XII. Tabb. v. Festus *in v. Nuncupata.* Suspicor tamen, quia per aes

§. 10. In jure cedit dominus: vindicat is, cui ceditur: addicit Praetor.

§. 11. In jure cedi res etiam incorporales possunt, velut ususfructus, et hereditas, et tutela legitima, et libertas.

§. 12.

aes et libram factus fuit nexus, uti in mancipatione, in testamentis, in filiorum emancipationibus, ita hic quoque in obligationibus intercessisse imaginariam quandam venditionem, reique obligatae traditionem, interposita tamen fiducia de re reddenda remancipandaque, uti fieri solitum fuit in emancipatione filii, ea lege scilicet addita, ut, soluta ad diem pecunia debita, res tradita solvatur ac reddatur. Consule de hac fiducia Interpretes *ad Tit. Pauli de Lege Commissoria.* Proprie itaque, ac speciali sua notione, obligationem designat *nexus* vocabulum; quia tamen res per aes et libram, ut in mancipatione, gerebatur, ac saepissime eveniebat, ut pignus, non repraesentata die constituto summa debita, committeretur, atque ita dominium ejus ad creditorem transiret, inde factum, ut pro ipsa rei traditione ac mancipatione vox usitata fuerit ab iis, qui non admodum observantissimi fuerunt verborum proprietatum. Minus certe accurate Boëtius *in Commentariis ad Topic. Cicer. Lib.* 3. *Mancipi res* inquit *veteres appellabant, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret solemnitatem. Nexus vero est quaedam juris solemnitas* etc. Praepostere dixisse Boëtium puto, rectiusque dicturum fuisse, nexum factum fuisse per mancipationis solennitatem, obligatio enim et pignoris traditio conjunctam habebat mancipationem, non item mancipatio obligationem: deinde abalienatio non nisi certo demum casu, si solutum non fuerit, in nexu locum habet. Nisi ita intelligendum statuas Boëtium, ut respexerit solummodo ad solennitates, idque docere voluerit, easdem eas in mancipatione intercessisse, quae in nexu, quod probo. Cicero in Topic. *Abalienatio est*, ait, ejus rei quae *mancipi est*, *aut traditio alteri nexu*, (intelligo traditionem, quae fit cum fiducia remancipandi, debito soluto) *aut in jure cessio*, hoc est, plena abalienatio, quam continuo sequitur accipientis dominium. Hoc enim in nexu non illico transiisse manifestum est eo, quia evictionem praestare debebat is qui nexu obligabat, v. *Cic. pro Muraena Cap.* 2. *Abalienationem* cum appellet Cicero, generaliore significatione vocabulum *nexus* sumsisse eum apparet. Sufficiant haec de re difficillima, quam attigi potius, quam pertractavi.

§. 10. Hoc itaque modo plenum rei dominium nanciscitur is, cui ceditur. Quid si vero dominus renitatur ac cedere nolit, sententia judicis, aut per contumaciam victus? intercedit Judex, ac rem eo jure transfert, quasi ab domino cessa fuerit. Possessionis symbolum antiquitus fuit pedis positio, vid. Otto *l. c. p.* 231. Hodiernis moribus, ne de inductione dicam, quam ipsum vocabulum demonstrat, in Gelria nostra variis symbolis intercedentibus rei evictae possessionem apprehendere etiam nunc solemus. Is, qui evicit, praesentibus atque auctoribus Villico, Schultetum nominant, virisque duobus, rerum immobilium, in regione rei evictae sitarum, dominis, quales judiciales appellantur, propterea quod ipsorum judicum locum quasi tenent in iis, in quibus causae cognitio necessaria non est, unde et actus plerosque legitimos coram iis instituere jure licet, intrat, aut potius inducitur in domum fundumque evictum, januas ac fenestras aperit, clauditque, sellas, scamna, mensas, aliaque mobilia movet ac trajicit, ansae, armorumque coquinariorum locum mutat, in fundo autem terram ligone fodit, ramos arborum decidit, aliaque peragit, quibus dominum rei se factum significet, vid. Schrassert *d. l. Cap.* 14. *Art.* 20. *Num.* 1.

§. 11. De vero verborum sensu in §. hoc et proxime praecedenti inquisivit, et usumfructum ab usufructuario cedi posse singulari capite demonstravit Ampl. Van

§. 12. Hereditas in jure ceditur, vel antequam adeatur, vel posteaquam adita fuerit.

§. 13. Antequam adeatur, in jure cedi potest a legitimo herede: posteaquam adita est, tam a legitimo, quam ab eo, qui testamento heres scriptus est.

§. 14. Si antequam adeatur hereditas, in jure cessa sit, perinde heres fit cui cessa est, ac si ipse heres legitimus esset. Quod si postea quam adita fuerit, in jure cessa sit, is, qui cessit, permanet he-

Van de Water in *Obs. Lib.* 3. *Cap. XI.* Libertatem cedi posse Ulpianum scripsisse mihi quidem non sit verosimile; dati dicitur, non cedi libertas: dein cessio fit a domino, vindicante eo, cui ceditur. Servientis autem aut dominus est, aut non est: si dominus est, vindicare non potest servus, si non est, vindicare, atque in libertatem se adserere potest, sed desideratur dominus qui cedat. Denique neque in libertate proprie addicit, sed verbis solennibus liberum esse Praetor pronuntiat, vid. §. 9. *et* 10. *b. t.* Emendanda itaque verba: *et libertas*; repono: *ut libertae*, ut intelligatur legitima patronorum tutela in libertas, vid. Schulting *b. l.*, et ad *Tit. XI.* §. 8. Ut verum tamen fatear, neque hoc placet; certiora dent sagaciores. *Ut* et *et* confundi saepissime demonstrarunt Rygerbos in *Obs. Jur. pag.* 12., Best *p.* 28., Drakenb. *ad Sil. Ital.* 2. 521. *et* 5. 217.

§. 14. Ant. Fabri lectionem, *qui cessit* vindicantis, sequitur G. Noodt *de Usufructu Lib.* 2. *Cap.* 10., et *in Probabil. Lib.* 2. *Cap.* 2., quibus locis Ulpiani haec egregie, ut solet Vir Magnus, explicat atque illustrat. Confer Van de Water *l. c.* Heres non est proprie, nisi post aditam hereditatem, si discesseris a legitimo, qui potius ex lege succedit, quam ex voluntate testatoris declarata. Qui autem semel hereditatem adiit, efficere postmodum non potest, quo minus sit heres, multo minus id agere, ut, cessa hereditate alteri, homini forte inopi, hereditatis oneribus se liberet, adeoque suo facto deteriorem faciat conditionem creditorum: quin contra permanet heres is, qui cessit, et defuncti creditoribus manet obligatus. Imo nec debita hereditaria cedere potest alteri, ne forte potentiorem adversarium opponat debitoribus; Cessa itaque hereditate pereunt debita, is enim qui cessit exigere amplius non potest, utpote qui heres non est, sed jus suum universum transtulit in alterum: habet is quod sibi imputet, quod non retinuerit hereditatem. Is, cui cessa est hereditas, agere non potest, quippe qui neque ex testamento heres est, neque defuncti personam sustinet, neque aliquo jure debitores sibi habet obligatos. Secus est in fideicommissariis hereditatibus, in quibus, suggerente aequitate, ac quo magis confirmarentur supremae hominum voluntates, specialiter constitutum est, ut in heredes, heredibusque, quibus restitutum esset fideicommissum, darentur actiones. Ita dicendum credo de cessa universitate bonorum. Hoc placuisse credo antiquitus ex summo strictoque jure. Interpretatio forte Prudentum rigorem hunc temperavit, ita, ut cedi posse etiam quascunque res corporales ab herede responderint, eo jure, ut is, cui cessae eae sunt, possit quasi heres ipse actiones instituere, dummodo cessae sint res singulae corporales, quae manu tangi, addit Theophilus, oculisve usurpati possunt. Hunc itaque colorem invenerunt icti, ut in harum rerum cessione cedens non quasi heres, sed quasi dominus jam factus dominium suum cum omni re transferre posset ad alterum. Vides itaque nil quidquam mutandum in §. 15.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

heres: et ob id creditoribus defuncti manet obligatus: debita vero pereunt, id est, debitores defuncti liberantur.

§. 15. Res autem corporales, quoties singulae in jure cessae sunt, transeunt ad eum, cui cessa est hereditas.

§. 16. Adjudicatione dominia nanciscimur, per formulam familiae erciscundae, quae locum habet inter coheredes: et per formulam communi dividundo, cui locus est inter socios: et per formulam finium regundorum, quae est inter vicinos. Nam si judex uni ex heredibus, aut sociis, aut vicinis rem aliquam adjudicaverit, statim illi adquiritur, sive mancipi, sive nec mancipi sit.

§. 17. Lege nobis adquiritur, velut caducum, vel ereptitium ex lege Papia Poppaea. Item legatum ex lege duodecim Tabularum, sive mancipi res sint, sive nec mancipi.

§. 18. Adquiritur autem nobis etiam per eas personas, quas in potestate, manu, mancipiove habemus. Itaque siquidem (mancipio puta) acceperint, aut traditum eis sit, vel stipulati fuerint, ad nos pertinet.

§. 19. Item si heredes instituti sint, legatumve eis sit, et hereditatem jussu nostro adeuntes, nobis adquirunt, et legatum ad nos pertinet.

§. 20. Si servus alterius in bonis, alterius ex jure Quiritium sit, ex omnibus causis adquiret ei, cujus in bonis est.

§. 21.

§. 17. Ubere de bonis ereptitiis ex *L.* 9. §. 2. *D. de His, quae ut indign. aufer.* disputat Cl. Wieling in *Lect. Jur. Civ. Lib.* 1. *Cap.* 20. Utrumque, caducum scilicet et ereptitium, fisco addici arbitratus, mutavit tamen postea sententiam, v. *ibid. p.* 280.

§. 18. Vocabulum *quidem* sensum turbare viderunt jam alii. Vir Cl. P. Bondam, in *Var. Lect. Lib.* 2. *Cap.* 12. interpretatur *quid etiam*; auctoritatem si addidisset Vir Doctissimus sequerer lubens; *etiam* scio per *e* et *et* notas exaratum, per *em* designatum fuisse non invenio. Malim itaque, retentis litteris omnibus, *quid em*, Magnone duce, exponere *quid ejusmodi*; intellige autem aliquid eorum, quae antea fuere tradita. Quod tria illa conjungit Ulpianus *potestatem*, *manum*, *mancipiumque* hic, et in §. 23. *et* 24. *Tit.* 24., ex frequentissimo ac vulgari usu fecisse videtur. His siglis ea expressa prostant apud Petrum Diaconum: M. M. P. Quod autem exponuntur ea: *malo*, *mancipio*, *potestate* error est scribarum, qui perperam, uti saepissime alias, vocem mox praecedentem repetierunt. Corrigo *manu*, *mancipio*, *potestate*. In manu proprie sunt uxores, in potestate sunt liberi, in mancipio servi. Licet autem concedam non semper ita a veteribus inter haec distingui, intellexisse tamen existumem, tribus his conjunctis, potestatem maritorum, parentum, ac dominorum. Dissentit Ampl. Meerman, qui interpretatur: *in potestate*, *id est*, *manu*, *mancipiove*.

§. 20. Causam pete ex *Tit.* 1. §. 16. supra. §. huic operam adhibuit Constantinaeus *Lib.* 2. *Cap.* 10. *in Thes. Jur. Ott. Tom.* 4. *p.* 563.

§. 21. Is, quem bona fide possidemus, sive liber, sive alienus servus sit, nobis adquirit, ex duabus causis tantum, id est, quod ex re nostra, et quod ex operibus suis adquirit. Extra has autem causas, aut sibi adquirit, si liber sit: aut domino, si alienus servus sit. Eadem sunt et in eo servo, in quo tantum usumfructum habemus.

§. 21. Scriptum fuisse puto *operib*, inde varia lectio, *operis* exhibentibus nonnullis codicibus, aliis *operibus*. Hoc certum est *b* et *s* a librariis saepissime confundi. vid. Sciopp. *de Art. Crit. p.* 42. B autem pro *bus* olim exaratum docent Magno et Petrus Diaconus. Hoc remedio adjuvandam esse *Legem ult. D. de Feriis*, ubi pro *omnis* reponendum est *omnibus*, recte monuit Cl. Best *pag.* 37. Restituendam quoque hac ope arbitror *L.* 1. §. *ult. D. de Aqua Quotid.*, in qua Ulpianus *meminisse autem debemus* inquit *in hoc interdicto totam quaestionem finiri adsignationis.* Auctor *Obs. Jur. Civ. pag.* 83. legendum existimat *jure adsignationis.* Cl. Schroder in *Obs. p.* 274. per Graecismum interpretatur, quasi dictum fuisset *adsignationis ergo*, ἕνεκα. Neque sane negari potest ellipseos illius usum non esse insolitum. Exempla protulit P. Burmannus *in Notis ad Vellej. Paterc. Lib.* 1. *Cap.* 12. *Num.* 5. *p.* 87. *et* 210. Praeplacet Haloandri lectio, qui, incertum utrum ex suo ingenio, an vetustiores Codices secutus, substituit *adsignationibus.*

TITULUS XX.

De Testamentis.

§. 1. Testamentum est mentis nostrae justa contestatio, in id solenniter factum, ut post mortem nostram valeat.

§. 2. Testamentorum genera fuerunt tria, unum, quod calatis comitiis: alterum, quod in procinctu: tertium, quod per aes et li-

§. 1. Contestatio proprie dicitur de testimonio plurium. Quamvis autem non nesciam equidem composita saepissime usurpari pro simplicibus, dubito tamen num ab Ulpiano, verborum, si quisquam alius, observantissimo, ita fuerit profectum. Testamentum mentis testationem solent definire Jurisconsulti, *testatio* quoque in MSS. hic exstare tradit Charondas. Scriptum suspicor *justa quaedam testatio.* Magnonem si consulas, exiguo discrimine inter se differre disces *con* notam et *quaedam.*

§. 2. Testamenta an descendant ex jure naturali, gentium, an civili, quaeri solet inter ICtos; nos nostram non facimus hanc quaestionem: Ita autem existimamus: apud priscos Quirites, sive ex tacito populi consensu, hoc est consuetudine, quae legem imitatur, sive ex speciali jussione supremi Mandantis, hereditates olim delatas fuisse proximis. Permissum fuit postea de bonis suis per testamentum pro lubitu disponere, sic tamen, ut non nisi lege, id est, universi populi consensu et jussu fieri illud licuerit; calatis comitiis condebantur supremae voluntates; vere itaque leges

libram appellatum eſt. Illis duobus teſtamentis abolitis, hodie ſolum in uſu eſt, quod per aes et libram fit, id eſt, per mancipationem imaginariam: in quo teſtamento libripens adhibetur, et familiae emptor, et non minus quam quinque teſtes, cum quibus teſtamenti factio eſt.

§. 3. Qui in poteſtate teſtatoris eſt, aut familiae emptoris, teſtis, aut libripens adhiberi non poteſt: quoniam familiae mancipatio inter teſtatorem, et familiae emptorem fit: et ob id domeſtici teſtes adhibendi non ſunt.

§. 4. Filio familiae emente, pater ejus teſtis eſſe non poteſt.

§. 5. Ex duobus fratribus, qui in eadem patris poteſtate ſunt, alter familiae emptor, alter teſtis eſſe non poteſt: quoniam quod unus ex his mancipium accipit, adquirit patri, cui filius ſuus teſtis eſſe non debet.

§. 6. Pater, et qui in poteſtate ejus eſt conſtitutus: duo fratres, qui in ejusdem patris poteſtate ſunt, teſtes utrique, vel alter teſtis, alter libripens fieri poſſunt, alio familiam emente, quoniam nihil nocet ex una domo plures teſtes alieno negotio adhiberi.

§. 7.

ges erant ac juſſus populi. Succeſſit poſtea modus transferendi hereditatem per aes et libram, cui adeſſe debuerunt Quirites quinque, qui populum quaſi repraeſentarent. Suffecit tandem adhiberi ſeptem teſtes, imaginem populi Romani. Latius de his Ampl. Bynkersh. in *Obſ. Lib.* 2. *Cap.* 2. Confer quae dixi ad *Tit.* 1. §. 20.

§. 3. Uti jure novo teſtes adhiberi non poſſunt, qui in poteſtate ſunt conſtituti teſtatoris aut heredis, ob id, quia totum hoc negotium, quod agitur teſtamenti ordinandi gratia, creditur hodie agi inter teſtatorem et heredem v. §. 9. *et* 10. *J. de Teſtam. Ordin.*, ita nec, eandem propter cauſam, olim adhiberi tales poterant, qui in poteſtate erant teſtatoris, aut familiae emtoris, qui idem erat antiquitus qui heres. Libripendis quoque reprobatum fuit teſtimonium, ſi in alterutrius poteſtate is eſſet. Conſtat enim et illum rogatum teſtimonium praebere debuiſſe. Hinc in legibus XII. Tabularum: *Qui ſe ſinit teſtarier*, (legendum forte *anteſtarier*) *libripenſve fuerit, ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabilisque eſto*, vid. Gell *Lib.* 15. *Cap.* 13. In locum autem quinque teſtium, anteſtati, et libripendis, ſucceſſiſſe poſtea puto ſeptem teſtes, v. §. 2. *J. eod.* Quamvis enim teſtium numero non accenſeantur anteſtatus et libripens, teſtimonium tamen de re, cui interfuerant, detrectare non audebant, adeoque, ſi res ferebat, teſtes vocari poterant. Hinc impubes neque libripens eſſe poteſt, neque anteſtari, vid. Priſcianus *Lib.* 8.

§. 4. Malim cum Schultingio *familiam*. Ita in § 6. eſt: *alio familiam emente.*

§. 5. *Mancipium* pro re mancipi poni oſtendit Iſidor. *Lib.* 9. *Cap.* 4. *Haec enim animalia mancipium eſſe putantur*, et *ea tunc videntur mancipium eſſe.* Idem *Lib.* 5. *Cap.* 25. *eum qui mancipium accepit.* Supra *Tit. XI.* §. 27. *mancipia alienent* exſtat in libris nonnullis. *Debet* accipe *poteſt*, uti contra *poſſe* pro *debere* ſaepiſſime adhibetur. *Ejusdem* pro *eadem* ut reponatur, haud puto neceſſarium, quamvis in §. mox ſequenti ita dixerit Auctor. Eodem modo *Tit.* 22. §. 13. *ſiquidem in ea cauſa permanſerit* inquit, pro quo in §. 11. antecedenti ſcripſerat *in eadem.*

§. 6. In optimis Codicibus eſt: *pariter et.* Quid ſi legamus *pariter pater et*?

§. 7. Mutus, surdus, furiosus, pupillus, femina, neque familiae emptor, neque testis, libripensve fieri potest.

§. 8. Latinus Junianus et familiae emptor, et testis, et libripens fieri potest: quoniam cum eo testamenti factio est.

§. 9. In testamento, quod per aes et libram fit, duae res aguntur, familiae mancipatio, et nuncupatio testamenti. Nuncupatur testamentum in hunc modum: Tabulas testamenti testator tenens ita

§. 7. Mutus arcetur, quia testimonium perhibere non potest, surdus, quia verba solennia audire nequit, furiosus, quia non percipit quae fiunt, pupillus, quia plenum non habet animi judicium, quo recte intelligat quae aguntur, quod sensu percipere necesse est, v. *L.* 20 §. *penult. D. Qui Testam. fac. poss.*, sentire enim debent testes, cui rei intersint. Paul. *Sent. Lib.* 3. *Tit.* 4. §. 13. Femina propter forensium rerum ignorantiam, consiliique infirmitatem, unde ipsae tutela perpetua fuere subjectae, v. *Tit. XI.* §. 1. Hinc neque comitiorum ullam habent communionem, Gell. *Lib.* 5. *Cap.* 19. Quin neque testamentum facere possunt, nisi tutore auctore, v. §. 15. Confer §. 12. *et* 13. *h. t.*

§. 8. Quod de Latinis dicit, restringendum est ad casum propositum *Tit.* 22. §. 3. Caeterum neque activam neque passivam Latini habent testamenti factionem, v. Constantinaeus *l. c. p.* 565.

§. 9. Confer iis quae diximus *pag.* 19. Scrupulum movent Eruditis Ulpiani verba in *L.* 1. §. 3. *D. de Hered. Instit.*, quae desumta esse ex libro ejus primo ad Sabinum indicat inscriptio: *Qui neque legaturus quid est, neque quemquam exheredaturus, quinque verbis potest facere testamentum, ut dicat: LUCIUS TITIUS MIHI HERES ESTO. Haec autem scriptura* (hoc est, id quod modo proposui, aut, si id mavis, adnotatio haec Sabini) *pertinet ad eum, qui non per scripturam testatur, qui poterit etiam tribus verbis testari, ut dicat: LUCIUS HERES ESTO; nam et MIHI et TITIUS abundant.* Vulgatam hanc si retineas lectionem, hoc velle videtur Ictus, eum solummodo dictis verbis testari posse, qui non per scriptum testamentum supremam declarat voluntatem suam, sed per nuncupationem. Cave vero in eam descendas opinionem, certis legibus contrariam, ac juris rationi plane adversam. Viderunt hoc dudum, et demonstrarunt Cl. Best *p.* 117., et Ampl. Bynkersh. in *Obs. Lib.* 5. *Cap.* 1. Existimat uterque modum heredem instituendi tribus verbis referri oportere tam ad heredem scriptum, quam nuncupatum, legendumque propterea: *pertinet et*, itemque pro *qui quin* corrigendum. Hoc amplius Bestius voculam integram inserit, hoc modo: *quin poterit etiam uterque tribus etc.*

Pace Manium Virorum Praestantissimorum dixisse liceat, longe aliam sententiam verborum Ulpiani mihi videri. Quin is, qui per scripturam testatur, quinque, aut tribus verbis possit defungi, nemo sanus temere dubitet: eum vero, qui nuncupativo testamento de rebus suis disponit, aeque paucis verbis testari posse nondum mihi certum videtur. *Nuncupare* proprie significat *nominare*, uti auctor est Varro, hinc *usi lingua nuncupassit*, id est dixerit. Nuncupatur testamentum, hoc est, publice proponitur, ac viva voce palam solenniterque profertur duobus modis: vel per scripturam: hoc ita fiebat: *Tabulas testamenti testator tenens ita dicit etc.*, v. *h. l.*, add. *L.* 21. *pr. D. qui test. fac. poss.*, ubi ita Noster: *Licebit ergo testanti vel nuncupare heredes, vel scribere, sed, si nuncupat, palam debet.* Sufficit, puto, hoc casu in testamento suo clauso scripsisse: *Lucius Titius heres mihi esto*, vel *Lucius heres esto.* Vel denique sine scriptura nuncupatur testamentum, nuncupato, hoc est, palam nominato herede, ita ut exaudiri a testibus possit, v. *d. l.* 21. Postremo hoc casu, praeter quinque illa aut tria verba, quibus heres nuncupatur, requiritur

ita dicit: HAEC UTI IN HIS TABULIS, CERISVE SCRIPTA SUNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR: ITAQUE, VOS QUIRITES, TESTIMONIUM PRAEBITOTE: quae nuncupatio, et testatio vocatur.

§. 10.

tur insuper solennis verborum formula, quibus testimonium praebere rogari debebant Quirites, aliaque fortasse, quae conjecturis facilius quam probationibus locum dant. Adsentientem habebis novae huic opinioni nostrae Ulpianum, si pro *non per scripturam* substituas mecum: *modo per scripturam*. Audacior forsitan videbitur conjectura haec plerisque, quandoquidem communis ea fuit adhucdum sententia, in nuncupativo testamento heredem palam nominari semper necesse fuisse, neque aliter quam viva voce peractum fuisse totum nuncupationis negotium, sed excusabunt, credo, si ipsa, quae ad partes vocavi, loca rite inspexerunt. Neque vero quidquam moror Isidorum, qui *Orig. Lib.* 5. *Cap.* 24. *Nuncupatio* inquit *est*, *quam in tabulis cerisque testator recitat*, *dicens: Haec ut in tabulis his cerisque scripta sunt*, *ita dico*, *ita lego*, *itaque vos cives Romani mihi testimonium perbibete. Et hoc dicitur nuncupatio. Nuncupare enim est in palam nominare et confirmare.* Verba *in tabulis cerisque* intelligo: per tabulas cerasque, sive potius tabulas cerasque tenens, ut ait Noster, quem locum respexisse Isidorum dubium non est. Confer Schulting *h. l.* Locutiones non dissimiles observare licet apud Florum, vide indicem. *In palam* dixit Isidorus pro *palam*, quo modo *insimul*, *insemel* alii, vid. *Notas ad Flor. in Prooem. Num.* 3., et *Lib.* 2. *Cap.* 20. *Num.* 1. Praepositionem hanc abundare saepissime notissimum est.

Quod *modo* pro *non* repofui in *L.* 1. *c.* mutatio levis est, siquidem utriusque vocis siglae exigua admodum differentia inter se distant. Probavit hoc, atque ea ope plus semel laborantibus lectionibus medicinam salubrem praestare studuit Vir praeclaris ingenii singularis ac stupendae eruditionis dotibus instructissimus Gerh. Noodt *ad L. Aquil. Cap.* 9. *et alibi.* Eodem remedio restitui posse puto *L.* 4. *C. de Testam. Tutela. Mater testamento filiis tutores dare non potest*; *nisi eos heredes instituerit. Quando autem eos heredes non instituerit*, *solet ex voluntate defunctae datus tutor a Praesidibus confirmari.* Postremum *non* e textu proscribendum, atque expungendum arbitrantur Cujacius, Eckius *ad D. d. t.* §. 3., ac plerique caeteri. Florentinam lectionem vindicat Bynkershoeck *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 17., atque ita interpretatur Alexandri verba: Mater tutorem dare nequit nisi filiis heredibus institutis, quod si autem dederit etiam non institutis, potest tutor datus a Praesidibus confirmari, si velint, cogi tamen non possunt. Verius puto negationem non convenire huic loci, dicendumque omnino videtur matrem prohiberi tutores dare filiis, nisi et eosdem heredes instituerit, vid. Z. Huber *in Cas. Enucl. Quaest.* 20. *Cap.* 1. *et* 2. Rescribo itaque: *modo instituerit.* Idem forte pronuntiandum de *L.* 39. *D. de Fidej. et Mandat. Ut fidejussor adversus confidejussorem suum agat*, id est, agere possit, *danda*, hoc est, cedenda *actio non est* a creditore cui solvit. Rescribendum *modo est.* Adnues, credo, si sequentia audieris. *Ideoque si ex duobus fidejussoribus ejusdem quantitatis, cum alter electus a creditore totum exsolvet*, *nec ei cessae sint actiones*, *alter nec a creditore nec a confidejussore convenietur.* Nisi malis interpretari dandam non esse actionem a judice, nisi cessa sit ea, sed illud praefero.

Paulo majora aggrediamur, decantatam *L.* 15. *D. de Donationib.*, ad quam plurimi exstant, iique egregii Virorum in arte nostra excellentium commentarii, eadem hac opera restituere tentaturi. *Post contractum capitale crimen* inquit Marcianus *donationes factae non valent ex constitutione Divorum Severi et Antonini*, *nisi condemnatio secuta sit.* Aliorum de loco hoc vexatissimo conjecturas recensent Cl. Toullieu *in Collect. p.* 39., Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 54., Forner. *Lib.* 3. *Rer. Quot. Cap.* 3.,

et

§. 10. Filius familiae testamentum facere non potest: quoniam nihil suum habet, ut testari de eo possit. Sed Divus Augustus Marcus

et Hofman in *Meletem. ad D. Dissert.* 28. *Num.* 10. Iidem demonstrarunt, ac quam clarissime evicerunt valere omnino memoratas donationes, uno casu excepto, secuta scilicet condemnatione. Unam addo Novellam 134. *Cap.* 13., ab aliis praetermissam, qua constituit Justinianus: *qui in criminibus accusantur, in quibus leges mortem aut proscriptionem definiunt, si convincantur, aut condemuentur, eorum substautias uon fieri lucrum judicibus, sed neque secundum veteres leges fisco eas applicari.* Corrigo itaque: *modo valent*, id est, hoc tempore valent; qua eadem significatione, ut unicum modo afferam rei vulgaris exemplum, Imp. in *pr. J. de Rer. Divis. superiore libro* ait *exposuimus, modo videamus.*

Retinebis quoque voculam in *L.* 23. §. 1. *D. de Aedilit. Edict.*, quam Ulpiano tantum non subripuit nimia Laelii Taurelli diligentia dicam, an temeritas, dum uncinulis inclusam *nou* supervacuam sibi videri argueret, si ita emendes: *Jubent Aediles restitui et quod venditioni accessit, et si quas accessiones ipse praestiterit, ut uterque, resoluta emtione, nihil amplius consequatur, quam MODO haberet, si veuditio facta uon esset.* Alio modo succurrere laboravit Consultiss. Duirsema in *Conject. Lib.* 1. *Cap.* 9., qui pro *non* substituit *nuuc.*

Denique, ne major copia nauseam moveat, adjunxisse cum maxime sufficiat *L.* 5. §. 1. *D. de his quae ut ind. Ille qui non jure factum* testamentum *coutendit, uec obtinuit, non repellitur ab eo quod meruit*, hoc est, quod ex testamento accepit. *Ergo qui legatum secutus*, id est, secutus testamenti scripturam legatum accepit, *postea falsum dixit* id testamentum, *amittere debet quod consecutus est.* Negationem sensum turbare videtur certissimum; reponere possis *modo repellitur.* Malim tamen *eo repellitur*, quod *omnino* significare auctor est Magno.

Pro eo, quod *tabulis cerisve* dicit Noster, *tabulis cereisve* scribit Marcianus in *L.* 1. §. 4. *D. de Lege Corn. de Fals.* Abundare visa fuit vox ultima D. Gothofredo, aut certe mutanda, quapropter substituit *ceteris.* Vellem cogitasset non omnes tabulas ex cera fuisse, neque omnes ceras tabulas fuisse. Florentinam lectionem, quam in re dubia sequi malo, defendi satis posse existimo ex usitatissimo more eorum, qui *i* longum per *ei* efferebant, quo de vid. Vossius *de Arte Gramm. Lib.* 2. *Cap.* 4., et Dausq. *de Orthogr. Sect.* 5. *pag.* 50. Scribendi illam consuetudinem diu Romae valuisse indicat Quinctil. *Instit. Orat. Lib.* 1. *Cap.* 7. *Num.* 14. In Columna Rostrata Duilii est *legioueis Cartaginienseis omneis, castreis, claseis* alia. Distinxisse autem suspicor Marcianum tabulas et ceras, non ideo solum, quia praeter cereas, aliae etiam tabulae fuerunt, sed et, quod praeter falsum in tabulas commissum, committitur nonnumquam in solam ceram, tum scilicet, cum cera deturbatur tabularum vinculis imposita, ad id, ut signum recipiat. Caussas plures, quare voces illae, uti hoc loco, ita saepius alibi conjungantur, produxit Bynkersh. *Obs. Libr.* 3. *Cap.* 21.

Loco ejus, quod hic exhibetur, *testatio*, convenientius videtur hoc loco vocabulum *antestatio.* Librarii cum scriptum invenirent *a—testatio*, nomenque illud ignorarent, notiorem sibi vocem *testatio* dederunt. Nolim tamen antestandi ritum ex Horatio aliisque repetere, millies propositum.

§. 10. Multum negotii facessit hic Marcus Interpretibus, quandoquidem certo constat ex *pr. J. Quib. nou est perm. fac. test.*, non Marcum sed Augustum, Nervam, Optimumque Imp. Trajanum, ac plenius postea Adrianum facultatem eam concessisse. Ita enim Imp. *Militibus, qui in potestate parentum sunt, de eo, quod in castris adquisierunt, permissum est ex Constitutionibus Principum testamentum facere. Quod quidem jus iuitio tantum militantibus datum est, tam ex auctoritate Divi Augusti, quam Nervae, nec non optimi Impe-*

cus constituit, ut filius familiae miles de eo peculio, quod in castris adquisivit, testamentum facere possit.

§. 11.

ratoris Trajani, postea vero subscriptione Divi Hadriani etiam dimissis militia, id est veteranis concessum est. Ut loca sibi invicem adversa conciliarent Viri Jurisprudentiae laude clarissimi, varii varia excogitarunt remedia. Sunt qui vocem *Marcus* delendam censent, quos et sequitur Otto ad *J. l. c. Magnus* pro *Marcus* alii substituunt. Vir Nob. C. V. Vonck in *Obs. Misc. Cap.* 18. *p.* 95. loco *Marcus* reponit *Imperator.* Cl. Vryhof in *Obs. Jur. Civ. pag.* 156. libertatem illam, quam impertiti jam fuerant Principes priores repetitam ac confirmatam fuisse a Marco existimat, eamque propter rationem, uti fieri saepissime solet, ipsi Marco Imp. primo constitutionem illam ab Ulpiano adscribi. Verum enimvero, licet negare non sustineam, ita aliquando a Ictis factum observari, haud temere tamen ad id me adduci patiar, ut credam, Auctorem nostrum, antiquitatis et successus temporum in primis studiosissimum interpretem, omissis anterioribus omnibus, unum Marcum fuisse nominaturum, eumque auctorem praedicaturum constitutionis, ab Octaviano Augusto jam proditae. Facillimo negotio rem expedies, ac sibi restitues veram Ulpiani lectionem, si pro *Marcus* emendes *militibus*, quam conjecturam jam olim in mentem venisse video Fratri meo dilectissimo, vide Commentarium ejus ad *Collat. Leg. Mos. et R. p.* 335. Erroris causa haec est, quod iisdem plane notis utraque vox antiquitus fuit designata. Constat enim ex notissimis tribus auctoribus, qui siglas veteribus usitatas tradiderunt, M litteram et *Marcum* et *militem* significasse. Ne quem autem moretur, quod mox vox *miles* repetatur, quandoquidem qui in Ulpiani stilo non omnino est hospes, nescire neutiquam potest, repetitiones ejusmodi, majoris forte perspicuitatis causa institutas, illi in deliciis esse.

Facit materiae affinitas, ut et alii Domitii nostri loco corruptissimo medelam afferre allaborem in fragmento, quod servavit Triboniani diligentia in *L.* 1. *pr. D. de Testam. Milit.*, ubi *militibus* inquit *liberam testamenti factionem primus quidem Divus Julius Caesar concessit, sed ea concessio temporalis erat; postea vero primus Divus Titus dedit; post hoc Domitianus; postea Divus Nerva plenissimam indulgentiam in milites contulit.* Quod de Julio Caesare narrat Ulpianus, omisit Imp. in *J. d. l.*, ob id, quia ea concessio tantum temporalis fuit. Domitianum quoque silentio praetermisit Institutionum architectus, quoniam is forte nihil de suo addidit, verum ea tantum retulit ac revocavit, quae ab Augusto antea fuerant constituta. Id vero scrupulum movet, quod primum Divum Titum jus hoc militibus concessisse affirmat Ulpianus, quum jam ab Augusto iisdem indultum fuisse, ut de eo quod in castris adquisiverunt testari liceret, probatum fuerit ante ex *Instit.* Distinctione facta memoratam difficultatem removeri posse fortassean existimes, et a Divo Tito primo concessum fuisse statuas, ut sine anxia legum observantia liceret militibus testamenta condere, adeoque intelligendam esse *d. l.* 1. de forma testamentorum militarium, Justinianum vero *d. l.* atque Ulpianum *in hoc* §. accipiendos esse de licentia testandi de peculio castrensi. At vero testamenti illius militaris privilegium antiquius omnino videtur, quam ut Tito auctori hoc tribuamus. Novimus quam prona semper fuerit indulgentia Principum in milites; Credendumne itaque neglexisse aut detrectasse Imperatores, jus illud, a Julio Caesare jam, licet pro tempore, datum, militibus concedere? Imo contra probabile fit Augustum, Imperatorem bene cautum ac prudentissimum, ut favorem militum hac arte sibi captaret, operam daturum fuisse, quippe quibus ambitiose consulere soliti fuerunt imperantes. Ne vero in diversum trahat altum hac de re Suetonii silentium, scias velim omisisse videri auctorem alioquin diligentissimum, quia in actis adnotata non fuerat Augusti haec constitutio, utpote cum Trajani demum tempore mandatis insertum fuerit hoc

§. 11. Qui de ſtatu ſuo incertus eſt, (facito, quod patre peregre mortuo, ignorat, ſe ſui juris eſſe) teſtamentum facere non poteſt.

§. 12. Impubes, licet ſui juris ſit, teſtamentum facere non poteſt: quoniam nondum plenum judicium animi habet.

§, 13. Mutus, ſurdus, furioſus, itemque prodigus, cui lege bonis interdictum eſt, teſtamentum facere non poſſunt: mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non poteſt: ſurdus, quoniam verba familiae emptoris exaudire non poteſt: furioſus, quoniam mentem non habet, ut teſtari de ea re poſſit: prodigus, quoniam commercium illi interdictum eſt, et ob id familiam mancipare non poteſt.

§. 14. Latinus Junianus, item is, qui dedititiorum numero eſt, teſtamentum facere non poteſt: Latinus quidem, quoniam nominatim lege Junia prohibitus eſt: is autem, qui dedititiorum numero eſt, quoniam nec quaſi civis Romanus teſtari poteſt, cum ſit pe-

hoc privilegium, auctore Ulpiano in *L.* 1. *D. de Teſt. Mil.* Deinde quoque de licentia teſtandi de peculio caſtrenſi militibus impertita nihil quidquam memoriae tradidit Tranquillus, quam tamen ab Auguſto conceſſam dubium non eſt. Vero quoque ſimile non videtur, Domitianum neceſſe habiturum fuiſſe facultatem a Tito fratre indultam, cui mox, poſtquam per biennium ac tres quaſi menſes imperii gubernacula is tenuerat, ſucceſſit, revocare, quo tempore certe fieri non potuerit, ut jus hoc a Tito datum longo jam uſu eviluerit. Poſtremo tandem nullibi, quantum equidem ſcio, mentio occurrit privilegii illius a Tito conceſſi, quod tamen memoraturos fuiſſe puto Ictos, aliosque, ſi primus ille conſtituiſſet. Notarum opem ſi adhibeas, ita Ulpianum reſtitues, atque Auguſto ſuum reddes: Pro *Divus Titus dedit* reponas *Div.* vel *D A T'T E*, hoc eſt, *Divus Auguſtus teſtamenti factionem dedit.* Poſſis et ita ſcribere: *T'T jus dedit*, hoc eſt, *teſtamenti*, faciendi puta, *jus dedit.* Probo et Magnone teſtibus ſiglae, quas expoſui, ea, quam dixi, notione frequentiſſimo in uſu fuere. E pro *factione* poſuit Ictus, quia, quum in ſuperioribus memoraverat jam *teſtamenti factionem*, ſufficere credidit hic litteram vocis illius primam poſuiſſe. Pro *Divus Titus* legendum conjecit Nob. Vonck *l. c. Divus filius*, intelligendumque filium Julii Caeſaris adoptivum Auguſtum.

§. 11. Qui enim de ſtatu ſuo incertus eſt, certam legem *teſtamento*, praeſtaret forte *in teſtamento*, dicere non poteſt *L.* 14. *D. Qui teſt. fac. poſſ.*, add. *L.* 1. *D. de Legat.* 3.

§. 12. Id eſt, minores XIV. annorum, aut puellae XII. Cajus in *Inſt. Lib.* 2. *Tit.* 3. §. 2. Spadones eo tempore teſtari posſunt, *quo plerique* ſpadones *pubeſcunt*, id eſt, anno decimo octavo. Paul. in *Sentent. Lib.* 3. *Tit.* 4. §. 2.

§. 13. Poteſt furioſus tempore intermiſſi furoris, Paul. *Sent. Lib.* 3. *Tit.* 4. §. 5., per intervalla quibus ſanus eſt, Cajus *Lib.* 2. *J. Tit* 3. §. 3., item prodigus, recepta vitae ſanitate, ad bonos mores reverſus, et teſtamentum facere, et ad teſtamenti ſolennia adhiberi poteſt. Paul. *Sent. Lib.* 3. *Tit* 4. §. 12. Pro τοῖς *ut teſtari de ea re poſſit* malo: *ut teſtari de ea*, mente puta, atque animi ſui ſententia, ac voluntate *recte poſſit.*

§. 14. Offe dit Interpretes vox *ſciens*, nec

peregrinus: nec quasi peregrinus, quoniam nullius certae civitatis sciens, ut adversus leges civitatis suae testetur.

§. 15.

nec immerito, quippe quae, si pro gnaro accipias, neutiquam huc convenit. Cujacius corrigit: *certae civitatis civis est*, vel *certae civitatis sit*, quod postremum Charondas etiam in textum recepit. Schultingius pro *sciens* mallet *civis est*. Nulla quidem, si mihi credas, litterula mutata salva erit lectio vulgata, dummodo, quae per compendium exarata et contracta sunt vocabula, ea significatione resolvas, qua posita ea fuisse antiquis auctores certi prodiderunt, quarum notarum rudes librarii unum vocabulum crediderunt, quod re vera per plura est explicandum. SCT designasse *sicuti* docet Magno, *eti* pro *etiamnunc* scriptum Valerius Probus indicat, S autem *sunt* interpretatur uterque. Plene itaque, servatis omnibus litteris, ita legendum: *civitatis, sicuti etiamnunc sunt*; dedititios intellige, atque eos qui illorum numero sunt.

Exposui notas, et vulgatam lectionem vindicavi. Rem ipsam quod attinet, sensum hunc esse arbitror: Is qui dedititiorum numero est, testamentum facere non potest, quoniam neque quasi civis Romanus potest testari, cum sit peregrinus. *Dedititiorum numero heres institui non potest, quia peregrinus est, cum quo testamenti factio non est*, vid infra *Tit.* 22. §. 2. Novimus dedititios ex lege Aelia Sentia nomen accepisse ad instar peregrinorum, eorum puta, qui victi Romanis sese dediderant, quod egregie pluribus persequitur Theophilus ad *J. Lib.* 1. *Tit.* 5. eos intellige, qui populum suum, urbem, agros, aquas, terminos, delubra, utensilia, denique divina humanaque omnia in Populi Romani ditionem dediderant, ex solenni formula, quam servavit Livius. Confer Commentarios ad *Caji Inst. Lib.* 1. *Tit.* 1. §. 3. Dedititiorum numero qui censeantur tradit Noster *Tit.* 1. §. *XI*. Sed pergo. Neque potest etiam is qui dedititiorum numero est testari quasi peregrinus, quoniam nullius certae sunt civitatis dedititii, sicuti etiam nunc obtinet, licet hodie ex benignissima Antonini Caracallae constitutione communicata sit cum omnibus ingenuis, in orbe Romano degentibus, civitas, eo effectu, ut *adversum*, hoc est, *secundum* leges civitatis suae testetur. Dedititios sane Ulpiani aevo superfuisse, atque antiquo jure fuisse aestimatos certissimum apparet ex quamplurimis ejusdem locis, quae jam produxerunt Schultingius ad Cajum *l. c.*, et Cujacius ad Ulpianum *Tit.* 3. §. 1. Neque sane temere quis animum inducat suum, ut credat, faecem hanc hominum, poenae caussa vinctorum, stigmate notatorum, propter noxam tortorum, imo jam propter maleficia traditorum, ut cum bestiis depugnarent, tales inquam, ut ut a domino manumissos, illis accenseri, quos benevolentia Principis cives esse voluit; licet tamen inficias neutiquam eam, libertatem dedititiam abiville postmodum in desuetudinem, quam denique plane sustulit Justinianus in *L. un. C. de Dedititia libertate tollenda*, et in §. 4. *J. de Success. Libert.*, adde Spanhem. *in Orbe Rom. p.* 154. *sq.* Demonstravimus, ni fallor, id quod cum maxime nobis ostendisse sufficit, ea, qua Ulpianus vixit, aetate, tempore scilicet Alexandri Severi Imp., superfuisse libertatem dedititiam, eamque Caracallae celebratissima constitutione, cujus ipse Domitius meminit in *L.* 17. *D. de Statu Homin.*, sublatam non fuisse.

Quod de peregrinis refert Noster, constat testamenti factionem eos non habuisse, maximam quoque illos inter et cives obtinuisse differentiam. Egregia quae ad vocis *peregrini* significationem itemque jura eorum pertinent, notarunt Consultiss. Noordkerk *de Lege Petronia p.* 15. *sq.*, et Spanheim *l. c.*, adde Freherum in *Thes. Jur. Ott. Tom.* 1. *p.* 927. Novissime ex professo *de Jure Peregrinorum* specimen elaboratissimum scripsit Vir Ampliss., Civitatis patriae Consul optimus, J. N. Van der Hoop, Lugduni Batavorum editum anno 1759., quo quicquid ad elegantissimam hanc materiam pertinet, sive antiqua Romanorum, aliarumque gentium

jura

§. 15. Feminae post duodecimum annum aetatis testamenta facere possunt, tutore auctore, donec in tutela sint.

§. 16. Servus publicus Praetoriani parte dimidia testamenti faciendi habet jus.

jura spectes, sive jus hodiernum consideres, erudite pertractavit.

§. 15. Uxores quae in manu erant atque in potestate, testari omnino prohibebantur, solae itaque possunt, quae sunt suae potestatis uxores, et sui juris feminae; possunt autem hae tutore auctore, donec in tutela sunt, id est, donec capite non fuerunt diminutae, vel in manum convenerunt. Dissentit P. Faber ad *h. l.*, qui interposita auctoritate viri posse eas testari existimat. Rectius Grupen *de Ux. Rom. Cap.* 3. §. 12. *p.* 72.

§. 16. Pro *Praetoriani* alii codices exhibent *Praetorisve*; Cujacius corrigit *Populi Romani*, quem sequitur Schulting. Probat quoque Cujacii emendationem Otto in *Praef. praemissa tom.* 4. *Thes. Jur. pag.* 12. Mira sunt, imo fidem poene superant, quae de ea re narrant Pulvaeus *l. c. p.* 335., et Otto *d. l.* Ut ne quid litterarum pereat, malim *Populi Romani nunc*; scriptum fuisse conjicio *P R nc*, incerti librarii quid illud *nc*, quod per *nunc* exponit Magno, designaret, P R notam, quae exigua admodum differentia et *Populum Romanum* et *Praetorem* exprimebat, accipere maluerunt *Praetorem*, ut ita usitatum vocabulum *Praetoriani* possent efficere. Eundem errorem in *Tit.* 24. §. 28. infra, quo loco Schultingius Charondam secutus *P. Romani* in textum recepit, pari modo corrigo. Fortasse autem servos publicos, civitatesque jus hoc olim non habuisse, eamque causam fuisse statuendum est, quod *nunc* addidit Ulpianus. Quam conjecturam nostram firmare videntur, quod ad civitates attinet, Ulpiani verba, quae adjungit in §. 28. *c.*, a Divo Nerva hoc introductum, Hadriano postea auctore a Senatu diligentius fuisse constitutum. De Servis publicis multis disseruit Pater in *Libello de Nominib. pag.* 45. De testamenti factione servo publico permissa, vide quos citat J. F. De Retes *in Thes. Meerm. tom.* 6. *p.* 72. *num.* 5.

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

TITULUS XXI.

Quemadmodum Heres institui debeat.

Heres institui recte potest his verbis: TITIUS HERES ESTO, TITIUS HERES SIT, TITIUM HEREDEM ESSE JU-

§. 1. Juvat hoc loco, quo de eo inquirit Auctor, quemadmodum heres institui debeat, et nostram conferre symbolam ad celeberrimam *L.* 40. *D. de Hered. Instit.*, ad quam interpretandam, emendandamve, quotquot fere sunt hilarioris famae Jurisconsulti certatim operas suas contulerunt. Ex multo pluribus nominasse sufficiat Cujacium qui pro *alter semis* substituit *as.* Virum hunc Summum secuti fuere plerique, quos inter quoque Geldriae meae decora atque ornamenta egregia Cornelius van Eck in *Princip. D. ad Tit. de Vulg. et Pup. Subst. num. XI.* et A. Schulting. ad *Tit.* 22. §. *ult.* In alia omnia iverunt Steckius in *Thes. Jur. Ott. Tom.* 1. *p.* 525.

JUBEO. Illa autem institutio, HEREDEM INSTITUO, HEREDEM FACIO, plerisque improbata est.

p. 525. *sq.*, Crusius *ibid. p.* 667., et Freher. *ibid. p.* 498., adde Gundling. *Gundlingian. Part.* 30. *Obs.* 3., et, quem primo loco nominare debueram, Corn. Van Bynkershoeck *Lib.* 4. *Obs.* 19., denique Otton. ad §. *ult. J. de Vulg. Subst.* Ne, singulorum opinionibus ad examen revocatis, tempora tua morer, paucis dico, hunc mihi casum legis videri. Cajus paterfamilias in testamento suo ita scripsit: *Titius heres esto: si Titius heres non erit, Sempronius heres esto.* Titius servus, quem ingenuum esse testator crediderat, sibi hereditatem acquirere, neque eam suo nomine adire potest, potest tamen jussu domini sui. Quaeritur autem, qui fiat de hereditate, et quo modo dividi eam oporteat? *In hoc casu* inquit Julianus *semisses fiunt, ita ut alter semis inter eum, qui dominus instituti heredis fuerit, et substitutum aequis portionibus dividatur.* Eodem modo Pomponius refert in *L.* 41. *sequenti*, constituisse Tiberium Caesarem in persona Parthenii; quo casu his verbis fingo dixisse testatorem: *Parthenius heres esto, si heres is non erit, Maevius heres esto.* Parthenius, quem ingenuum esse sibi persuaserat testator, vere autem servus erat Tiberii, hereditatem adiit jussu Imperatoris; divisa est hereditas inter Tiberium, dominum servi, et Maevium aequis portionibus. Ita de re, credo, videbitur certissimum ei, qui totum textum rite intuetur, et cum illo confert §. *ult. J. de Vulg. Subst.*, quibus addo Theophilum, qui expresse τὸ ἡμισυ interpretatur, licet tamen nec desint, qui dissentiunt, plurimi. De verbis major est difficultas. *Alterum* tantummodo semissem nominat Lex 40., quum tamen de utroque dici debuerat. Nisi audaciae in suspicionem me eo nomine perventurum vererer, emendarem per geminationem *alter et alter*, sed cum de eo persuasurum me fore vehementer dubitem, videndum est, an altera possit rem expediendi via excogitari. Per ellipsin locum explicandum fortasse quis existimet, quasi dixerit Ictus: *Alter semis* ... *et* alter inter *substitutum.* Possis et post *substitutum* addere A, quod, Valerio Probo auctore, significat *alius*, (quam vocem post *alter* poni vulgare est.) Sin plenius mavis A. S., hoc est, *alter semis*, quae litterae absorptae forte fuerunt a sequenti *aequis.* Per compendium scripsisse haec Julianum dicas, quia eadem verba praecesserant; quid quod et *semis* per *s* simplex designatum olim constet?

Referendum puto potius fragmentum hoc ad classem eorum, in quibus festinantes Icti aliud scripserunt, quam initio destinaverant. Non insuetum hoc esse in reliquiis Prudentum, caeterorumque Scriptorum antiquorum abunde ostendit G. Noodt *in Probab. Lib.* 1. *Cap.* 9. *sq.* Exemplorum multam copiam a..idit F. Rygerbos in elegantissimis *Observat. Jur. Rom. Cap.* 19. Proposuisse sibi primum scribere Julianum opinor: *ita ut alter semis pertineat ad dominum servi, alter ad substitutum*, mutavit deinceps sermonem, et scripsit *alter semis etc. Alter* itaque exponendum reor ex mente Auctoris *uterque*, quoniam enim duae sunt partes, duo semisses, respectu unius est alter, respectu vero amborum est uterque.

Adferam exemplum huic nostro quam simillimum ex *L. ult.* §. 4. *C. de Testam. Manum.*, quo loco id agit Imp. Justinianus, ut constituat, quid fieri oporteat, si quid humanitus alicui acciderit intestato, aut etiam post conditum testamentum, nemo autem quisquam defuncti hereditatem adire sustineat, propterea quod damnosam eam sibi futuram veretur, aliamve ob causam. Traditurus autem quid juris obtineat, quod attinet ad relictas libertates, narrat primum, quid hac de re sanxerit Divus Marcus, deinde quid ipse illius constitutioni addiderit refert in §. 4. *Bellissimam* inquit *repletionem praefatae constitutioni donantes, sancimus, ut, si non unus veniat hereditatis petitor, sed plures quidem uno momento, uterque vel ampliores, omnibus detur licentia communiter hereditatem adire.* In interpretandis verbis *uterque vel ampliores* desudarunt haud pauci Viri eruditionis fama conspicui. Monstrum

ſtrum eſſe exclamat Deſ. Heraldus in *Obſ. et Emendat. Cap.* 40., et ſic reponit: *ut tres, quatuor, vel ampliores.* Dionyſ. Gothofredus pro *uterque* ſubſtitui mavult *ubique.* Nimium illa a vulgata lectione recedere unusquisque animadvertit, haec nullo ſenſu obtrudi, adeo ut difficulter quem in eam deſcenſurum eſſe opinionem arbitrer, ut a Juſtiniano ita profectum eſſe ſentiat. Sine criſeos ope, puto, lex ſatis commodam explicationem accipiet, ſi hoc modo intelligamus: Sancimus ut omnes poſſint adire hereditatem, eo caſu, non modo ſi unus veniat ſolus, ſed et ſi plures. *Uterque* refertur ad *non unus*, id eſt duo, *ampliores* ad *plures. Tantum* hic, uti ſaepiſſime apud optimos quosque ſcriptores ſubaudiendum omittitur, vide quae de ellipſi hac notavit Vir Doctiſſimus Auctor *Obſ. Jur. Civ. p.* 19. Hoc loco ſane ſubintelligi vocabulum illud adeo eſt certum, quam quod certiſſimum; quod ſi enim plures adeunt, et unum adire negari nequit. Hoc itaque deſignat Imp., ut, ſi non unus veniat tantum, hoc eſt duo, ſed et ſi plures veniant, uterque, id eſt duo illi, vel ampliores, plures, puta quam duo, adire poſſint. De duobus itaque, uti frequentiſſime alias, *uterque* accipiendum eſt. Eodem ſignificatu vox ea occurrit in *L. ult.* §. 5. *C. de Bonis quae liberis. Si inopia ex utraque parte vertitur*; addo Briſſonium in V. *uterque* et *utrosque.* Ne vero moretur quempiam, quod *adire* hic pro *adeundi* poſitum apparet. De vulgatiſſimo hoc loquendi more inſpici poſſunt, qui ſimilium exemplorum copiam affatim exhibent, idem Auctor *pag.* 10. Vechner. in *Hellen. Lib.* 1. *Cap.* 17. *num.* 3. Kortte ad *Cic. Lib.* 1. *Epiſt.* 5. *Num.* 5. Quo de propterea monendum eſſe duxi, quia video eſſe, quod mireris profecto, quos offendit haec a Graecis recepta, ac probatiſſimis ſcriptoribus uſitatiſſima loquendi formula. Denique *ſed*, ſeu uti ſaepiſſime ſcribi ſolebat olim, atque etiamnunc in pandectis Florentinis plurimis in locis ſupereſt, *ſet*, accipiendum hic eſt pro *ſed et.* Conſule de ſignificatione illa Val. Gul. Forſter in *Obſ. Subſec. Lib.* 1. *Cap. ult.* Vechner. *d. l. Cap.* 5. *Num.* 4., add. Cl. Duker *ad Flor. Lib.* 3. *Cap.* 4. *Num.* 4. et dictus Auctor *p.* 18. Referri huc velim quae de verbis directis, et *legandi* vocabulo, quo Decemviri utuntur in Legibus XII. Tabularum, itemque de teſtamentis antiquiſſimis, legum more conditis, alias notavi.

T I T U L U S XXII.

Qui Heredes institui possunt.

§. 1. Heredes inſtitui poſſunt, qui teſtamenti factionem cum teſtatore habent.

§. 2. Dedititiorum numero heres inſtitui non poteſt; quia peregrinus eſt, cum quo teſtamenti factio non eſt.

§. 3. *Latinus Junianus*, ſiquidem mortis teſtatoris tempore, vel intra diem cretionis, civis Romanus ſit, heres eſſe poteſt. Quod ſi La-

§. 3. Verba *Latinus Junianus*, licet eorum veſtigia non exſtent in codicibus ſcriptis, in textum receperunt Editores, auſu forte nimis temerario, quamvis concedam, agi hoc loco de Latino Juniano, videri certiſſimum. *Latini* vocem, quae ſola,

ſi Latinus manſerit, lege Junia capere hereditatem prohibetur. Idem juris eſt in perſona coelibis, propter legem Juliam.

§. 4. Incerta perſona heres inſtitui non poteſt, velut hoc modo: QUISQUIS PRIMUS AD FUNUS MEUM VENERIT, HERES ESTO: quoniam certum conſilium debet eſſe teſtantis.

§. 5. Nec municipia, nec municipes heredes inſtitui poſſunt: quoniam incertum corpus eſt, ut neque cernere univerſi, neque pro libito de herede cernere poſſint, ut heredes fiant. Senatuſconſulto tamen conceſſum eſt, ut a libertis ſuis heredes inſtitui poſſint. Sed fideicommiſſa hereditas municipibus reſtitui poteſt: denique hoc Senatuſconſulto proſpectum eſt.

§. 6.

ſola, credo, excidit, facillimo negotio reſtitues, ſi ante *ſiquidem* L poſitam fuiſſe ſtatuas, quae littera, auctore Probo, *Latinum* denotavit, quod non intelligentes librarii omiſerunt. *Junianus* cur addatur, nullam equidem cauſam perſpicio, quum in ſequentibus legis Juniae meminerit ICtus, neque idcirco opus habuerit, ut hic *Junianus* adjungeret.

§. 4. Ex iis quae diximus antea de antiquiſſimis teſtandi generibus, apparebit, ni fallor, vera ratio, quamobrem incerta perſona heres olim inſtitui non potuerit. In calatis comitiis juſſurum fuiſſe populum, ut hereditates ab eo, cui lege ſanguinis eae competebant, deferrentur ad illum, qui neque ſibi neque teſtatori cognitus erat, quis credat? Nominato herede judicabat populus, juſtane eſſet teſtatori cauſa ſuos proximosve exheredandi, incertae vero ejuſmodi perſonae an recte, ut familiam et ſacra ſua relinquere liceret, rogaret quis, dignoſcere non potuit, quid ergo jubeat? In teſtamentis per aes et libram factis ipſi heredi familiae emtori bona vendebantur: certus ergo is eſſe debuit. Licet autem poſtmodum conceſſum fuerit familiae emtorem ab herede diverſum adſumere, manſit tamen ex jure antiquo regula, certum debere eſſe heredem. Interpretatione Prudentum deinde invaluit, ut certus eſſe videretur, qui certa demonſtratione cognoſci poterat. Juſtinianus demum et hanc juris partem emendavit, vid. §. 25. *et* 27. *J. de Legatis.*

§. 5. Pro τοις *pro libito*, in aliis membranis ſcriptum exſtat *probite.* Cujacius legit *neque pro herede gerere.* Charondas edidit *neque pro libito omnes pro herede gerere poſſint.* Ideo haec referenda duxi, ut librorum MSS. lectionem ſenſu carere, emendationes Interpretum audaciores a ſcriptura vulgata longius recedere animadvertas. Quid ſi ſervatis litteris omnibus hoc modo reſtituamus? *neque pro libito de herb* (ſic enim reponendum putem apud Magnonem eo in loco, ubi *hereditatibus* exponit) *decernere poſſint ut heredes fiant.* Frequentiſſime novimus uſu venire in codicibus antiquis, ſyllabam vocabuli antecedentis male addi voci proxime inſequenti, et contra. Ita in *L. un. C. de Novi Operis Nunt.* ſi pro *denuntiatione miſſa eſt* corrigas *denuntiatio remiſſa eſt*, reddes, opinor, ſenſum ſuum verbis alioquin ineptiſſimis. Eadem medicina ſananda eſſe Horatii verba non dubito *Sermonum Lib.* 2. *Sat.* 7. *in pr.* Servum fingit Poëta domino ſuo malos mores exprobrare geſtientem, libertate Decembri, hoc eſt, Saturnalium feſto die, quae ſervientibus licentiam concedebat Romae quaecunque vellent, vel ipſum contra herum ſuum, effutiendi. Ita autem ſervus, haerens, atque animo ſuo penſitans eloqueretur an ſileret:

Jam dudum auſculto, et, cupiens tibi dicere, ſervus,
Pauca, reformido. Davuſne? ita Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod ſit ſatis, hoc eſt,
Ut vitale putes.

Com-

§. 6. Deos heredes instituere non possumus, praeter eos, quos Senatusconsulto, constitutionibus Principum instituere concessum est: sicuti Jovem Tarpejum, Apollinem Didymaeum, sicuti Martem

Commodam interpretationem non recipere verba postrema vidit jam Cl. Best *p.* 199., ideoque substituit *ut tu id tale putes*; Idem conjecturas aliorum adjungit. Leviore correctione, una litterula mutata, legendum arbitror *ut vita—reputet*. Objurgaturus domini mala facinora petit servus, ut is vitam inconstantem, moresque improbos secum reputet, eoque facto ad meliorem frugem revertatur.

Quam autem ibidem exhibet Bestius emendationem ad ejusdem Lyrici *Lib.* 1. *Od.* 11. non puto necessariam. Interpreter potius *ut melius* (subintellige *est*) *quicquid erit pati?* hoc est, quantum praestat? Nisi mavelis *at melius*.

In viam redeo. Neque possunt, inquit Ulpianus, decernere de petenda hereditate et bonorum possessione, atque ita procurare et efficere, ut heredes fiant pro lubitu suo, actu ipso gerendo se pro herede, et immiscendo se hereditati; possunt tamen eo casu, si heredes instituti fuerint fideicommissarii, quoniam SCtum Apronianum hanc talibus facultatem concessit, vid *L.* 26. *D. ad SCtum Trebell.*, in qua lege vocem *sed*, in fine occurrentem, expono *sed et*. Adde *L. un. D. de Libert. Univers.*, ubi locutione huic nostrae non dissimili ita Ulpianus *in* §. 2. *temporaque* ait *bonorum possessionis cedere municipibus exinde, ex quo decernere de petenda ea potuerunt*. Possidere per se non possunt municipes, *quia uni consentire non possunt*, quam vulgatam lectionem retinere malo, in *L.* 1. §. *ult. D. de Acquir. vel Am. Poss.*, quam cum plerisque contra codicum auctoritatem substituere *universi*. *Uni* accipio singuli, nostra lingua dicimus: *man voor man*, *hoofs voor hoofs*. Quo tempore conditum fuerit SCtum Apronianum, modo memoratum, vehementer inter se disputant multi. Hadriani imperio attribuunt plerique, ad tempora Divi Marci alii referunt, Trajano suo id vindicare adlaborat Bachius. Videsis ejus *Histor. Jurisprud. Rom. Lib.* 3. *Cap.* 1. §. 41. Habet sane, quibus se tueatur Vir Egregius, praesidia satis firma. *Denique* vocabulum recte defendit Schultingius, hoc enim eleganstissime poni, etiam cum uni membro subjungitur, probarunt plures. Vide Indicem in Florum *v. denique*, add. Patrem *in Rescr. Boxhorn. de Cat. p.* 485.

§. 6. Injucunda admodum auribus accidit *τῶ sicuti* absona repetitio. Scripturae mendum latere vix dubito, quod miror non suboluisse Interpretes. Ita ab Ulpiano profectum conjicio: *Deos ... quos Senatusconsulto, aut* (possis tamen voculam postremam subintelligere per ellipsin) *constitutionibus Principum instituere concessum est. Constitutionibus Principum instituere concessum est* (quicunque vel leviter in Auctoris nostri stilo est versatus, novit is familiare esse Ulpiano perspicuitatis causa eadem verba repetere; exempla in hoc ipso Fragmento obvia sunt plurima, vid. *Tit.* 3. *Tit.* 28. §. 1, 2, 3. et reliqua. A librariis autem omissas saepenumero fuisse ejusmodi geminationes tralatitium est) *sicuti* (hoc est, exempli gratia) *Jovem Tarpejum, Apollinem Didymaeum. SC* (explico *Senatusconsulto*. Similitudo notarum, quae *sicuti* et Senatusconsultum designaverunt, in errorem induxit scribas, consule Magnonem et Probum) *Martem* etc. Ad §. hunc notavit nonnulla Fornerius *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *pag.* 168. *sq.* Confer quoque Cl. Wieling in *Lect. Jur. Civ. p.* 241. De Jove Tarpejo, Apolline Didymaeo, Marte Gallorum, et Diana Ephesia non est quod quidquam addamus, utpote quorum Deorum cultus notissimus, atque ubivis obvia est descriptio. Unum adjungo mirum fortasse cuipiam videri, usque adeo indiligentem fuisse Ulpianum in recensendis Numinibus nonnullis, quae hic memorat, ut nomen loci non adjunxerit, in quo culta illa fuerunt, incertumque adeo reliquerit, quemnam Deum heredem instituere licuerit. Apollinem Didymaeum con-

tem in Gallia, a. Minervam Miliensem, b. Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, Matrem Deorum c. Sipelensim, quae d. Smyrnae colitur, et e. Coelestem f. Salinensem g. Carthaginis.

§. 7.

constat a Milesiis adoratum fuisse, nec non in Coloniis illis, quas Milesii deduxerunt, quas poene innumeras exstitisse ex Strabone, aliisque Geographis antiquis est manifestum. Quid dicam de Marte in Gallia? Patentissimam Galliam fuisse novimus, in plures Provincias descriptam, quarum non dico unaquaeque regio, sed civitates forte singulae suum Martem veneratae sunt. Amplissimum Gallorum Martium Catalogum exhibet Auctor Libri inscripti *la Religion des Gaulois*, quibus unum addidit Martem Halamarum, a Gelris olim cultum, Pater meus in Disquisitione *de Gemma Bentinckiana in fine.* Mea quae sit hac de re sententia paucis accipe. Quaecunque hic indicantur Numina, a Quiritibus Romae culta fuisse, eoque, quo hic insigniuntur, nomine Ulpiani aetate satis cognita ibidem fuisse suspicor. Joves, Apollines, Martes, Minervas quamplurimas Romae cultas fuisse notissimum est. Non omnes tamen heredes instituere licuit: Unum concessum est Jovem Tarpejum, solum Apollinem Didymaeum, Martem unice in, sive ex Gallia, hoc est Martem Gallorum, a Gallis adscitum, non aeque alium, Minervam tantummodo Iliensem, non item aliam. Coelestem ipsam ex Africa evocarunt, ac divino honore prosecuti sunt Romani, auctore, puto, Alexandro Severo, Arcaeo, an Arceno, ex Phoenicia oriundo, vid. Schulting. *h. l.* et Berkel. *ad Stephan. v.* ἀρκη. Quid enim? peregrinos Deos heredes instituere permissum fuisse credamus, quum Senatusconsulto, aut Principum constitutionibus opus fuerit, ut liceat Deos Romanos, hoc est, Romae cultos, heredes facere?

a. *Minervam Miliensem.* Praeferam equidem cum aliis *Iliensem*, quo modo exhibet etiam Meerman ex MS. Auredanensi. *M.* adhaesit forte ex praecedenti *Minervam.* Norunt, qui in his litteris operantur, *m*, quae lineola olim notabatur, male saepissime additam, ubi exsulare debuerat, adisis H. Brencman in *Hist. Pand. p.* 109. *et alibi.* Insigne rei hujus exemplum exstat in *Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 1. §. 3., ubi ita libri scripti: *Judex, cui fortem obvenerit quaestio*, quo loco recte substituunt Editores *forte. Ilias, Iliaca, Iliensis* vocatur Minerva. Exempla, itemque denominationis rationem pete ex L. Begeri *Thesauro Elector. Brandenburg. Tom.* 1. *p.* 329. *et* 360., *et Tom.* 3. *p.* 13. Constat autem Romanos Ilienses, quasi consanguineos suos, summa prosecutos fuisse benevolentia, ipsamque Romam, terrarum dominam, Trojanorum coloniam fuisse habitam. Narrat Suetonius in *Claudio Cap.* 25., Imperatorem hunc *Iliensibus, quasi Romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisisse*, ad quem locum vide Doctissimum Commentatorem Torrentium, confer Schulting *h. l.* Nil mirum itaque Iliensium sacra adoptasse Quirites. Is enim mos, id jus fuit veterum, ut deducentium Dii ad colonos deductos transferrentur.

b. *Herculem Gaditanum.* Unaquaeque olim regio Herculem suum venerata fuit. Hinc neque olim de Herculum numero inter veteres ipsos constitit. vid. Pighium in *Hercule Prodicio in Praefat.* Batavi quoque, proavi nostri, Herculi suo Magusano sacra fecerunt, quo de pluribus ex professo tractavit Pater meus in *Hercule Magusano et Deusoniensi*, subjuncto Ejusdem Libro *de Nominibus.*

c. *Sipelensim.* Suspicabar olim, legendumne foret: *Cybelen, Isim.* Isidem certe tanta novimus Romae cultam fuisse veneratione, quanta fere nullum aliud Numen. Hujus sacra ex Aegypto Romam translata constat. Multis de Iside, ejusque cultu, tam Romae quam alibi, nuper egit Pater in Tractatu *de Iside ad Turnacum inventa.* Multa sunt quae me ab hac opinione retrahunt, intelligoque potius Cybelen *Sipylensem*, dictam a Sipylo, quod urbis et montis nomen est. De situ ejus, itemque

de

§. 7. Servos heredes instituere possumus, nostros cum libertate: alienos sine libertate: communes, cum libertate, vel sine libertate.

§. 8. Eum servum, qui tantum in bonis noster est, nec cum libertate heredem instituere possumus, quia Latinitatem consequitur, quod non proficit ad hereditatem capiendam.

§. 9. Alienos servos heredes instituere possumus: eos tamen, quorum cum dominis testamenti factionem habemus.

§. 10.

de foedere, quod inter Magnetes, Magnesiae incolas, et Smyrnaeos intercessit, (quo fortasse et hoc pactum fuit, ut Mater Deorum, Sipylo eversa, Magnesiam translata, Smyrnam transportaretur,) vid. A. Berkelius *ad Stephan. Byzant. in v.* Μαγνησια. Magnesiae ad Sipulum meminit Begerus *Tom.* 1. *p.* 499. Straboni *Geogr. Lib.* 13. *p.* 621. memoratur η Μαγνησια (additur in codicibus scriptis πολις) η υπο Σιπυλω *Magnesia, quae sub Sipylo dicitur,* aut potius *sita est*, aliis προς Σιπυλω dicitur.

d. *Smyrne colitur.* Smyrnam Cybeles cultu nobilem fuisse ostendit Begerus *Tom.* 1. *p.* 496. *sq.* et *Tom.* 3. *p.* 62.

e. *Coelestem.* De Coelesti Afrorum Dea multa habet H. Valesius *ad Ammian. Marcellin. Lib.* 22. *pag.* 226., qui a Phoenicibus Numinis hujus cultum accepisse Carthaginienses demonstravit. Christianorum multos Coelestem post Christum adorasse, aut, quod est pejus multo, ante quam Christum, queritur Salvianus *de Gubern. Dei Lib.* 8. *p.* 164., ubi v. C. Rittershus., qui *Coelestem* et *Coelestum* dici notat, Dei quippe et Deae nomen. Adde insuper quae de Coelesti hac notavit L. Coqueus *ad Augustin. de Civ. Dei Lib.* 2. *Cap.* 4. qui Deam unice, non etiam Deum, Numen hoc veneratos fuisse Afros demonstrat.

f. *Salinensem.* Uti a salinis *Salinensis* dicta fuit Coelestis, ita et *Saxanum* appellatum fuisse Herculem a saxis et lautumiis, ob id quod honoratus praesertim ab iis, qui saxa excidebant ex scopulis, observavit Pater *l. c. p.* 166.

g. *Carthaginis.* In nummo Severi Imp., cujus aversa pars imaginem exhibet Coelestis, insidentis leoni, dextra fulmen jaculantis, sinistra sceptrum tenentis, ita subscriptum exstat: IN CARTH. sculptum fuisse conjicio M. CARTH. hoc est, *Mater Carthaginensis.* Sicuti enim Cybele mater Deorum habita aliis, ita Afris Coelestis credita est. Nummum, quem dixi, repraesentavit Begerus *in Continuatione Thes. c., sive Tom.* 2. *p.* 691. aliique plures, confer Schulting. *h. l.* Pro *Carthaginis* scripsisse puto Ulpianum *Carthagini*, *s* adhaesit ex sequenti *Servos*, aut dicendum librarios, terminationis hujus ignaros dedisse *Carthaginis.* Est autem hic non tertius casus, quemadmodum sibi falso persuaserunt Grammaticorum Veterum pierique, sed ablativus antiquis usitatissimus. *Carthagine* certe et *rure* dictum Auctoribus Romanis exempla prostant paucissima, teste Festo. Adde Vossium *de Construct. Cap.* 46. Rectius tamen per *e* efferri haec existimat Sanctius *in Min, Lib.* 2. *Cap.* 7. *in fine*; veriorem tamen esse contra sententium opinionem ostendit Perizon. *ibid. Lib.* 1. *Cap.* 6. *pag.* 40. *et Lib.* 4. *Cap.* 6. *Num.* 5. Dicitur autem *Carthagini* hoc est, cultam in Carthagine.

§. 8. Ante dixerat Auctor, *Tit.* 1. §. 16., *qui tantum in bonis, non etiam ex jure Quiritium servum habet.* Quis sit servus bonitarius, quis Quiritarius, in vulgus notissimum est. Hoc tantum moneo, malle me juxta cum Schultingio *nostris*, quae usitatior est loquendi formula, imo forte et hic loci praeferenda, ob id quia bonitarius non plane est noster. Credo fefellisse librarios dubiam notae N enodationem, quae et *noster*, et *nostri*, *nostrae*, caeterasque ejusmodi terminationes significavit, teste Valerio Probo.

§. 10. Communis servus cum libertate recte quidem heres instituitur, quasi proprius, pro parte nostra: sine libertate autem, quasi alienus, propter socii partem.

§. 11. Proprius servus cum libertate heres institutus, siquidem in eadem causa permanserit, ex testamento liber, et heres fit, id est, necessarius.

§. 12. Quod si ab ipso testatore vivente manumissus, vel alienatus sit, suo arbitrio, vel jussu emptoris, hereditatem adire potest. Sed si sine libertate sit institutus, omnino non constat institutio.

§. 13.

§. 12. Utrum *constat* legas, an *consistat*, perinde est, quod attinet ad Latinitatem. Exempla prostant apud Brissonium in Lexico.

Quod si non in eadem causa permanserit, sed ab ipso testatore vivente manumissus fuerit servus, cum libertate heres institutus, suo arbitrio potest is adire hereditatem, sin alienatus fuerit, jussu ejus adit, cui alienatus est, hoc est, emtoris, sive novi domini sui, vid. §. 1. *J. de Hered. Instit.* Quod si vero sine libertate heres institutus fuerit servus a domino suo, non valet institutio, etiam si mortis testatoris tempore liber exsistat ille, quoniam quae ab initio nulla est institutio non ita convalescit tractu temporis ex eo quod post accidit. Sin alienatus fuerit talis servus, a libertatis datione destitisse videtur dominus, qui eum alienavit. vid. §. 1. *J. c.* De eo quaeritur, quid juris sit, si testator testamento suo servum proprium heredem necessarium et liberum esse jusserit, in eodem dein testamento aut hereditatem aut libertatem ipsi ademerit. Quod ad libertatem attinet, adimi illa non potest, propter rationem, quam proponit Ulpianus in *L. 6. §. ult. D. de Hered. Instit.*, quae caussa cum valeat aeque in testamento atque in codicillis, idem in utroque jus ut locum habeat necesse est. Quod si hereditatem ademerit testator, observandum est Juliani responsum in *L. 13. §. 1. D. de Liber. et Postum. Regula est juris civilis, qua constitutum est hereditatem adimi non posse*, supple: in eodem testamento, uti manifestum est ex sequentibus, *propter quam* regulam *liber et heres esse jussus, quamvis dominus ademerit eodem testamento libertatem, nihilominus et libertatem et hereditatem habebit.* Emendandam legem censent plerique, substituendumque pro *hereditatem*, *libertatem*, vid. Schulting. *h. l.* Vulgatam lectionem recte vindicat Marcilius ad §. 1. *J. de Hered. Instit.* Aperte Cajus in *L. 17. §. 2. D. de Test. Mil. Si* inquit *eodem testamento miles eundem heredem, deinde exheredem scripserit, adempta videtur hereditas, cum in paganorum testamento sola hereditas exheredatione adimi non possit.* Varias verborum horum interpretationes, lectionesque refert Cl. Marckart *Interpr. Lib. 2. Cap. 5.*, qui ita exponit: in paganorum testamento per exheredationem illam totum corruere testamentum, militis vero testamentum eatenus tantum corruere, quatenus mutata est militis voluntas, adeoque hoc casu teneri heredem ab intestato praestare legata, fideicommissa, et libertates in militari testamento datas. Haec si cui placeant, non equidem invideo. Mihi hic sensus videtur: Singulare est hoc testamenti militaris privilegium, quod possit miles heredem scriptum eodem in testamento valide exheredare, quum secus sit in testamento paganorum, quibus non licet ita adimere hereditatem, in eodem scilicet testamento, sola exheredatione. In hoc enim praeter exheredationem insuper requiritur, ut in locum exheredati instituatur alius, qui succedat in locum instituti primi. Fac testatorem ita dixisse: Stichus heres esto, Stichus exheres esto. Inutilis est exheredatio, propterea, quia hereditas semel data adimi facile non potest. Utilis erit

hoc

§. 13. Alienus servus heres institutus, siquidem in ea causa permanserit, jussu domini debet hereditatem adire. Quod si vivo testatore manumissus, aut alienatus a domino fuerit, aut suo arbitrio, aut jussu emptoris, poterit adire hereditatem.

§. 14. Sui heredes instituendi sunt, vel exheredandi. Sui autem heredes sunt liberi, quos in potestate habemus, tam naturales, quam adoptivi: item uxor, quae in manu est, et nurus, quae in manu est filii, quem in potestate habemus.

§. 15.

hoc casu institutio, et, ne corruat totum testamentum, quod jure antiquo ab heredis institutione pendet, ceu basi ac fundamento totius testamenti, non attenditur adjecta exheredatio, ne sine successore decedat testator, cujus maxime interest defunctorum, *L. 6. D. de Interrog. in jur. fac.* Contra tamen obtinet, si in eodem testamento alius substitutus fuerit: hoc enim casu valebit testamentum, quia heres est in eo institutus. Neque sic tamen ipso jure valet exheredatio, sed, colore quodam adhibito, recte ea facta censetur. En tibi testem idoneum Ulpianum in *L. 1. §. 4. D. de bis, quae in test. del. Et hereditatis portio ademta, vel tota hereditas, si forte sit substitutus, jure facta videbitur, non quasi ademta, quoniam hereditas semel data adimi facile non potest, sed quasi nec data.* Describere non lubet ea, quae ad hanc legem scripsere Ampl. Van de Water *in Obs. Lib. 3. Cap. 2.*, et Vir Doctus *in Obs. Misc. Amstel. vol. 2. p.* 140. Miror equidem vidisse neminem legendum esse: *si forte sit substitut* (hoc est, *substitutio*) *jure facta, videbitur* etc. Casum hunc statuo: fac ita dixisse testatorem: Cajus heres esto, si is heres non erit, Maevius heres esto. Cajus exheres esto. Valet exheredatio, et Maevius habetur pro instituto, Cajo autem nec data hereditas videtur. Intelligenda autem esse haec, quae dixi, de ea solummodo scriptura, quae in eodem testamento facta est, unusquisque perspicit; contra enim obtinere in ea quae fit in diversis, alterisve insequentibus, constat ex Celso in *L. 17. D. de Adim. vel transfer. leg. Nihil prohibet priorem scripturam posteriore corrigere, commutare, rescindere.* Dein de hereditate ac libertate me senisse scias, non de legatis aut fideicommissis. Eodem remedio sanandam puto *L. 2. §. 1. in fine D. de Vulg. et Pup. Subst. Plane si, omissa causa principalis testamenti, ab intestato possideatur hereditas, dicendum est, et pupillo substitutum servandum.* Legendum enim *substitut. f. servandam*, hoc est, *substitutionem factam servandam.*

§. 14. Suo heredi opponi puto heredem alienum in *L. 17. §. 8. D. ad SCtum Trebell. Si alieno herede moriaris, restituas Sejo hereditatem.* Grotius *in Flor. Spars. ad d. l.* corrigendum esse existimat: *si sine herede.* Vulgata lectione servata interpretor: si nullo suo herede relicto moriaris. Confirmare videntur hanc explicationem sequentia: *videri eum de liberis sensisse Divus Pius rescripsit, et ideo, cum quidam sine liberis decederet, . . . exstitisse conditionem fideicommissi rescripsit. Extraneus* alias appellatur, vid. Tit. 21. §. 17. et Tit. 24. §. 21.

Nurum intelligo, quae solennibus farris sacris intervenientibus in manum filii convenit. Haec autem sua heres est. Plane enim ut *uxor, quae in manu* viri *est, is sua heres est, quia filiae loco est*, ita *nurus* quoque, *nam et haec neptis loco est; Sed ita demum erit sua heres, si filius, cujus in manu erit, dum pater moritur, in potestate ejus non sit*, quae sententia est verborum Caji *in Inst. Lib. 2. Tit. 8. in pr.*, quod si enim patrem habet maritus, uxor convenit quidem in manum mariti, sed est in potestate patris illius, cujus juri subjectus est maritus. Hoc modo si accipias Ulpianum, pisce saniora esse verba §. hujus tute animadvertis, neque adeo opus esse emendatione, quam adhibendam cen-

N fuit

§. 15. Postumi quoque liberi, id est, qui in utero sunt, si tales sunt, ut nati in potestate nostra futuri sint, suorum heredum numero sunt.

§. 16.

fuit Vir Celeb. G. D'Arnaud *in Conject. Lib.* 1. *Cap.* 29., qui pro *est* substituit *erit*, pro *habemus* corrigit *habuimus*.

Ad Caji verba, quae modo memoravimus, quae eadem prostant quoque in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 16. §. 2., varii exstant Eruditorum Commentarii, videsis notas utrique loco subjectas, adde Fratrem in saepius allegata Dissertatione *de Vet. Lege Rom. pag.* 30. Non inscite Vir Cl. P. Bondam *in Lect. Var. Lib.* 2. *Cap. XI.* ita per notarum subsidium explicat: *jure suo sua heres est.* Si quid mutandum foret, pro *is* reponerem *et*, aut *sic.* Cl. Bestio si credimus *pag.* 27., utraque vox, *is* puta et *sic*, non raro confunditur. Malim tamen, ipsa, quae in optimis codicibus scriptis apparet, lectione retenta, *is* accipere pro feminino genere obsoleto, pro quo postea voluit usus, qui, uti in caeteris rebus omnibus, in sermone quoque regnare solet, ac libere dominari, ut diceretur *ea*. Nugari me censes, serio ago. Mirari fortasse desines, ubi tecum reputaveris, non easdem, quas cum maxime usurpamus, terminationes antiquis semper fuisse adhibitas, quam rem pluribus antea demonstravi, quo loco et de ipsius hujus vocabuli declinatione veteribus usitata addidi. Analogiam si spectes, *is* procul dubio praestat prae *ea*, quod postremum est adscititium. Dein praesto sunt exempla huic nostro similia, quae suspectura videantur, licet, vel deficientibus illis, negari nequeat, spurium propterea non esse aestimandum, aut Latio protinus excludendum vocabulum, dictionemve, quae semel, aut raro apud scriptorem idoneum occurrit, quod multis docuit Cl. Marckart *in Prob. Lib.* 1. *p.* 60. et *Lib.* 2. *pag.* 3., confer *Interpr. p.* 57. *sq.* Comicorum pater, an princeps, Plautus *in Amphitr. Act.* 1. *Sc.* 1. *qui patera*, pro *qua* bis posuit. Quod si huic auctoritatem deneges, audi, quem ipsa antiquitas Poëtarum praestantissimum venerata est, *Lib.* 10. *Aeneid. v.* 89.

Miseros qui Troas Achivis Objicit.

De Venere loqui Virgilium, ipse, ne quid dubites, Servius notat. *Quis* feminine quoque dici ostendit Pater *ad Avian. Fab.* 20. *v.* 1. Idem de *quisquis* observavit Cl. Jo. Arntzenius *ad Plin. Paneg. p.* 253., quin jam Nonius Marcellus docuit *pag. m.* 197. Uti autem a *qualis* est *quale*, ita et a *quis que* dictum regulariter atque analogice, nullus dubito. Supersunt etiamnum veteris terminationis vestigia haud pauca: *quei* pro *qui*, *qui* pro *quo*, vid. notas ad Livium *Lib.* 1. *Cap.* 43. *ex edit. Drakenb. Queipiam* pro *cuipiam*, *quoi* pro *cui*, alia, de quibus pluribus Insignis Grammaticus G. J. Vossius, confer Aug. Popmam *de Usu Antiq. Loc. Lib.* 1. *Cap.* 10. *Quidque* pro *quidquid* habet Plautus *Amphitr. Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 8. Unicum adhuc afferre lubet exemplum ex jure nostro depromtum, quod servavit Praetor in edicto suo, id quod exhibet Ulpianus in *L.* 3. *in pr. D. de Sepulcbro viol.* *Si quis in sepulcbro dolo malo habitaverit, aedificiumve aliud, quam QUE sepulcbri causa factum sit, habuerit.* Aliorum de verbis illis conjecturas recenset Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 91., qui rescribendum opinatur *quam quo*, quam postremam vocem pro *quod* saepissime adhibitam demonstrat. Nil quidquam mutandum videtur. *Que* positum fuisse existimo pro *quid* vel *quod*: perinde enim est utrum accipias, quum certum sit *quis* et *qui* promiscue olim fuisse usurpata, itemque *aliquis* et *aliqui*. vid. Duker in Opusc. *de Lat. Vet. Jur. p.* 385. et *ad Flor. Lib.* 1. *Cap.* 18. *Num.* 20. add. R. Goclen. *in Probl. Gramm. Lib.* 4. *Cap.* 17. Sed ohe jam satis est. Hoc addo, per pleonasmum a Cajo adpositum videri pronomen *is*, quemadmodum id multoties adhiberi docuit J. Arntzenius *l. c. p.* 29. et 77.

§. 16. Ex suis heredibus filius quidem neque heres institutus, neque nominatim exheredatus, non patitur valere testamentum.

§. 17. Reliquae vero personae liberorum, velut filia, nepos, neptis, si praeteritae sint, valet testamentum. Scriptis heredibus adcrescunt, suis quidem heredibus in partem virilem: extraneis in partem dimidiam.

§. 18. Postumi quoque liberi cujuscunque sexus omissi, quod valuit testamentum, adgnatione rumpitur.

§. 19.

§. 17. Ulpiani esse credo *S. scriptis* hoc est *sed scriptis*, v. Cujacium *b. l.* Vel *scripsis beredibus Adcrescunt* per geminationem reddes: *scriptis beredibus autem adcrescunt.*

§. 18. Corrigendum censent Interpretes *rumpunt*, aut *postumis liberis omissis.* Vindicabis facile lectionem vulgatam, si subintelligas particulam *si*, de qua ellipsi egerunt Vir Magnus Bentlejus *ad Horat. pag.* 520. *et alibi*, et Sciopp. *in Verosim. Lib.* 3. *Cap.* 13., quem propterea jure miteris Symmacho suo vocabulum hoc addere instituisse in *Art. Crit. p.* 80. Jam ante loca nonnulla produximus, in quibus si voculam hanc subaudias, sensus verborum evasurus est optimus, ac facillime conjecturis et crisibus aliorum in iis exercitatis carere te posse intelliges. Addam cum maxime, quae ex majore parte selegi, ex jure desumta exempla paucissima. Bis omissum credo *si* in *L.* 36. *D. ad SCtum Trebell. Stipulationibus, quibus necesse babuit promittere, (omittere) obstrictus manebit. Ergo non alias cogetur restituere, quam ei caveatur.* Ita ex Florentino corpore repraesentavit Laelius Taurellus, quem uncinulorum nota distinxisse novimus vocabula, quae superflua videbantur. Cl. Bestius, ut voci poene proscriptae, quasi postliminii jure, civitatem redderet, pro *omittere*, reponere tentavit *remve mittere*, aut *omni de re, pag.* 273., conjecturane felici aliorum esto judicium: mihi quidem restituendum videtur *omitteret*; hoc sensu: heres fiduciarius *obstrictus manebit*, si fideicommissarius *omitteret* cautionem ante memoratam. *Ergo* fiduciarius *non alias cogetur restituere* fideicommissum, *quam* si *ei caveatur.* Adjungo *L.* 3. *C. Tb. de SCto Claudian.*, qua de vid. V. C. Noordkerk in *Obs. Dec. p.* 74. nec non *L.* 32. §. 1. *D. de Adquir. vel Am. Her.*, et *L.* 3. *D. de Itin. Act. pr.*, de quibus egit Best *p.* 178. et 87., denique *L.* 26. *D. de Probat.*, ad quam v. Bynkersh. *Obs. Lib.* 7. *Cap.* 8. Idem, puto, dicendum de *L.* 19. §. 1. *D. de Off. Praes.*, quam varie tentarunt multi. *Id enim non est constantis et recti judicis, cujus animi motum vultus detegit.* Optime exposuit Vir Eruditissimus in *Obs. Misc. Amstel. Vol.* 1. *p.* 427. qui legit *si cujus.* Malim tamen *si* subaudire per ellipsin Romanis vulgatissimam. Quid tritius rogatione illa solenni? *Velitis jubeatis Quirites.* Nil opus itaque ut cum Vryhofio in *Obs. Cap.* 35. *si* infarciamus in his Juliani in *L.* 5. §. 2. *D. qui et a quib. manum. nam et qui ob aureos quinque Sticbum et Pampbilum pignori dederit, cum uterque eorum quinum aureorum sit, neuter manumitti potest.* Multo minus admittendam, probandamve censeo transpositionem, emendationemve in eadem lege propositam in verbis: *Si Titius... stipulanti Maevio ita promiserit: Sticbum, aut Pampbilum dare spondes?* Resolvendum enim hoc, atque explicandum pro more dicendi ICtis familiari: Si Titius promiserit Maevio stipulanti, hoc est, Maevio, qui interrogaverat his verbis, hoc modo: Stichum aut Pamphilum dare spondes? Eodem modo Ulpianus in *L.* 1. §. 3. *D. de bis, quae in test. del. Sed consulto quidem deleta exceptione petentes repelluntur.* Interpretor: illi qui deleta petunt repelluntur per exceptionem. Huc quoque referendam arbitror *L.* 2. *D. de Accus. et Inscript. Ex lege testimonium publicorum invitae non dicunt;* hoc est, ex lege Julia publicorum judiciorum, invitae non di-

§. 19. Eos, qui in utero sunt, si nati sui heredes nobis futuri sunt, possumus instituere heredes, siquidem post mortem nostram nascantur, ex jure civili: si vero viventibus nobis, ex lege Julia.

§. 20. Filius, qui in potestate est, si non instituatur heres, nominatim exheredari debet: reliqui sui heredes utriusque sexus aut nominatim, aut inter ceteros.

§. 21. Postumus filius nominatim exheredandus est: filia postuma, ceteraeque postumae feminae vel nominatim, vel inter ceteros: dummodo inter ceteros exheredatis aliquid legetur.

§. 22. Nepotes, et pronepotes, ceterique masculi postumi praeter filium, vel nominatim, vel inter ceteros, cum adjectione legati sunt exheredandi: sed tutius est tamen nominatim eos exheredari: et id observatur magis.

§. 23. Mancipatos liberos, cum jure civili neque heredes instituere, neque exheredare necesse sit, tamen Praetor jubet, si non instituantur heredes, exheredari, masculos omnes nominatim, feminas vel inter ceteros; alioqui contra tabulas bonorum possessionem eis pollicetur.

§. 24.

dicunt testimonium. Vide quae dixi *pag.* 31. Errant vero omni via, qui et salutaris hujus particulae *si* additione, aut, quod eodem redit, vocis *quum* per geminationem remedium quaerunt lectioni *L.* 28. *D. de Jure Fisci. Si, qui mihi obligaverat quae habet habiturusve est, cum fisco contraxerit, sciendum est, in re postea adquisita fiscum potiorem esse, ... praevenit enim causam pignoris fiscus.*

Adposui verba, quia video esse, qui juri contrarium sensum applicant. Paucis dico: ita statuit Ulpianus: Si is, qui mihi obligaverat bona sua praesentia ac futura, jam ante cum fisco contraxerit, potior est causa fisci in re adquisita post contractum cum fisco initum, propterea, quia fiscus prior est tempore, quippe qui contraxit, ante quam mihi pignus nasceretur. Confer *L.* 8. *D. qui pot. in pign.*, atque in primis *L.* 21. *pr. D. eod.*, quae crisi nulla indiget. Adde Cujacium in *Obs. Lib.* 10. *Obs.* 22. et Zach. Huberum *de Casib. Enucl. Quaest.* 19. *Cap.* 1.

§. 19. Pro *Julia* cum Schultingio substituendum esse *Junia* videtur certissimum. Error ortus, credo, ex male audientis scribae vitio, aut festinatione nimia. Utri Imperatori, Claudione an Octaviano originem debeat lex Junia Velleja, disputant Eruditi. Augusti temporibus tribuendam eam esse, evicisse videtur Noordkerk *ad L. Petroniam p.* 93.

§. 21. Sententiam hujus §. studiosissime examinat, et Justinianum cum Ulpiano componit Bynkershoeck *Obs. Lib.* 8. *Cap.* 23. Postumorum, suorum et alienorum, institutionem non ex lege XII. Tabularum, sed ex Prudentum ad eam facta interpretatione descendere contendit Ant. Faber *in Conjectur. Lib.* 9. *Cap.* 2.

§. 23. Nil quidquam mutandum hic esse existumo. *Cum*, aut, quod idem est, *quum*, positum apparet pro *quamvis*. Ita Horatius *Lib.* 1. *Od.* 7. *v.* 22.

Teucer Salamina patremque
Quum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur cinxisse corona.

Adde Strauch. *in Lex. Partic. Juris in* *Cum Num.* 9.

§ 24. Inter neceſſarios heredes, id eſt, ſervos cum libertate heredes ſcriptos, et ſuos ſcilicet neceſſarios, id eſt, liberos, qui in poteſtate ſunt, jure civili nihil intereſt: nam utrique etiam inviti heredes ſunt. Sed jure Praetorio ſuis et neceſſariis heredibus abſtinere ſe a parentis hereditate permittitur. Neceſſariis autem tantum heredibus abſtinendi poteſtas non datur.

§. 25. Extraneus heres, ſi quidem cum cretione ſit heres inſtitutus, cernendo fit heres: ſi vero ſine cretione, pro herede gerendo.

§. 26. Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tanquam dominus utitur: velut qui actionem rerum hereditariarum facit: aut ſervis hereditariis cibaria dat.

§. 27. Cretio eſt certorum dierum ſpatium, quod datur inſtituto heredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hereditatem, necne: ve-

§. 24. Offendit admodum Interpretes vox *ſcilicet*, ideoque emendant *ſuos et neceſſarios*. Omnium optima videtur lectio, quam habet editio Pariſienſis, *ſuos ſit neceſſarios*, unde rectiſſime effingas: *ſuos ſcilicet et neceſſarios*, S enim, auctore Probo, *ſcilicet* denotat. *E* autem et *I* litteras permutatas olim inter ſe fuiſſe docuit dudum Parens meus Optimus *in Diſſert. de Brittenburgo p.* 38. Confer Epiſt. Vir. Illuſtr. a Celeb. Burmanno editas *Tom.* 5. *p.* 89. *et* 196. Hoc ex fonte manaſſe credo errorem, quo plus ſemel in Digeſtis *poſſides* perperam exhibetur pro *poſſedit*, vid. Grotius in *Flor. Sparſ. ad L.* 1. §. 45. *D. de vi et vi arm.* Hinc frequens eſt *omnis* pro *omnes*. Gellius *Noct. Attic. Lib.* 3. *Cap.* 1., quo loco de famoſiſſima ſectione debitorum obaeratorum diſputat, haec citat legum Decemviralium verba: *tertiis nundinis partis ſecanto*. In nummis et inſcriptionibus antiquis nihil poene frequentius eſt: *en obſedeoned exemet*, aliaque plurima extant in Columna Roſtrata Duilio poſita. Ex jure exemplorum copiam largam ſuppeditant Otto *in Papin. Cap.* 6. §. 8. Beſt *Cap.* 1. *p.* 13. *et* 16. Schroder *in Obſ. Lib.* 1. *Cap.* 13. Ipſe Ulpianus *Tit.* 3. §. 5. *Viſilliam* nominat, quae ab aliis Viſellia nuncupatur, ac ſupra in §. 6. *h. t. Sipelenſim*, quam *Sipylenſem* proprie appelles. Unum addo Plauti locum in *Mil. Glor. Act.* 1. *Sc.* 1. *v.* 59. *comoediai, rei magnai poplicai.*

Poſſis et pro *ſit* reponere *ſet*, hoc eſt, *ſed et*. Denique ſi vulgatam praeferas lectionem, ſubſtitui queat ſcilicET, hoc eſt, per notiſſimum geminandi morem, *ſcilicet et*. Quomodo autem cumque legas, optime conſtabit ſenſus, atque apparebit intelligere Ictum non ſuos tantum, ſed eos, qui item ſunt neceſſarii.

§. 26. Pro *actionem* ſubſtituendum eſſe *auctionem* adſentior Cujacio. Convenienter admodum Imp. in §. 7. ℐ. *de Hered. qual. et diff. Pro herede autem gerere quis videtur, ſi rebus hereditariis tanquam heres utatur, vel vendendo res hereditarias.... Pro herede enim gerere, eſt pro domino gerere: veteres enim heredes pro dominis appellabant.* Ipſum *heredis* etymon ab *hero* deſcendit. vid. Ottonem ad *l. c.*

Pro *cibaria das* Codex Pariſienſis exhibet *cibariam dat*. Ipſius Ulpiani eſſe credo *cibaria m. dat*, hoc eſt, *cibaria mandat*; quo modo exhibent libri nonnulli. Mandat autem cibaria, qui diſpenſatores ſervos jubet reliquis ſervis hereditariis praeſtare ſtipendia quotidiana, certoſque frumenti modios. Rem plenius tractant Auctores citati a Calvino in *v. Cibaria.*

§. 27. Cretionis tempus ex arbitrio teſtatoris definiebatur. Sexaginta dierum ſpatium Ciceroni heredi ſcripto conceſſit. Clu-

velut TITIUS HERES ESTO, CERNITOQUE IN DIEBUS CENTUM PROXIMIS, QUIBUS SCIERIS, POTERISQUE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO.

§. 28. Cernere eſt verba cretionis dicere ad hunc modum: CUM ME MAEVIUS HEREDEM INSTITUERIT, EAM HEREDITATEM ADEO, CERNOQUE.

§. 29. Sine cretione heres inſtitutus, ſi conſtituerit, nolle ſe heredem eſſe, ſtatim excluditur ab hereditate, et amplius eam adire non poteſt.

§. 30. Cum cretione vero heres inſtitutus, ſicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quam ſi intra diem cretionis non creverit. Ideoque etiam ſi conſtituerit nolle ſe heredem eſſe, tamen ſi ſuperſint dies cretionis, poenitentia actus, cernendo heres fieri poteſt.

§. 31. Cretio autem vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adjiciuntur haec verba: QUIBUS SCIERIS, POTERISQUE. Continua, in qua non adjiciuntur.

§. 32.

Cluvius. Teſtibus praeſentibus facienda cretio, per ipſum quoque heredem inſtituenda, niſi per alium expediri eam poſſe defunctus permiſerit, quo addito *libera* appellabatur cretio, qualis eſt ea, cujus meminit Cicero *in Epiſt. ad Atticum Lib.* 13. *Epiſt.* 45 *et* 46., quo loco mentio fit hereditatis a Pollice cretae, juſſu Ciceronis, qui heres a Cluvio fuerat inſtitutus. Confer Schulting. *b. l. Adeundarum autem hereditatum centeſimus ſtatutus erat dies, quibus non eſſet cretio adjecta.* Verba ſunt Iſidori *Lib.* 4. *Cap.* 24. Cernit hereditatem, qui cognita cauſa conſtituit ac decrevit eam adire, vid. Feſt. *in v. crevi.* Varias vocis *cerno* ſignificationes allegat Nonius *Cap.* 4. De digitorum percuſſione, nudique heredis ſaltatione, quae ex male intellectis veterum locis ſymbola cretionis antiquitus fuiſſe nonnulli crediderunt, itemque de cretionis ritibus, numeroque teſtium in ea adhibito ubere ſatis pertractavit Ampl. Otto *in Juriſpr. Symbol. Cap.* 13.

§. 30. Quamvis quis conſtituerit ſe nolle heredem eſſe, poteſt tamen deinde conſilio mutato cernendo heres fieri, contra *qui ſemel conſtituit ad ſe hereditatem pertinere, ac ſe rebus ejus immiſcuit, repudiare eam non poteſt, etiamſi damnoſa ſit*, teſte Paulo *Sent. Lib.* 3. *Tit.* 4. §. *ult.* Differentiae illius rationem hanc eſſe ſuſpicor, quia, quamdiu elapſus non eſt terminus a teſtatore praeſtitutus, non poteſt ſibi praejudicare heres ex eo quod declaraverit ſe nolle adire; favor ultimarum voluntatum, quibus quaſi legibus obediendum eſſe voluere Romani, hoc induxit, ut neque ipſe heres favori pro ſe introducto renuntiare potuerit. Aliter ſentit P. Faber *b. l.*

§. 31. Simplicem cretionem memorat Cicero *in Epiſt. ad Atticum Lib.* 11. *Ep.* 12. *Galeonis* ſcribit *hereditatem crevi, puto enim cretionem ſimplicem fuiſſe, quoniam ad me nulla miſſa eſt. Simplicis* vocem propius dicas accedere ad notionem *vulgaris.* Malim tamen interpretari *continuam*, quod et probat Faber ad *b. l.* addo et *imperfectam*, de qua v. §. 34. *ſq.* Quod ſi enim vulgaris ea fuiſſet cretio, dubitandum non eſt legatarios, creditores, heredes legitimos, caeteroſque, quorum intererat forte quamprimum aut adiri, aut repudiari hereditatem, ſignificaturos fuiſſe per epiſtolam Ciceroni, hereditatem illam ad eum delatam fuiſſe. Simplicem nominavit Cicero,

§. 32. Ei, qui vulgarem cretionem habet, dies illi dantur computantur, quibus scit se heredem institutum esse, et potuit cernere. Ei vero, qui continuam habet cretionem, etiam illi dies computantur, quibus ignoravit se heredem institutum: aut scivit quidem, sed non potuerit cernere.

§. 33. Heredes aut instituti dicuntur, aut substituti. Instituti, qui primo gradu scripti sunt: Substituti, qui secundo gradu, vel sequentibus heredes scripti sunt: velut, TITIUS HERES ESTO, CERNITOQUE IN DIEBUS PROXIMIS CENTUM, QUIBUS SCIERIS, POTERISQUE: NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO. TUNC MAEVIUS HERES ESTO, CERNITOQUE IN DIEBUS, et reliqua. Similiter et deinceps substitui potest.

§. 34.

cero, quia paucissimis verbis jusserat testator: Marcus Tullius heres esto, cernitoque etc.

§. 32. Scriptum fuisse conjicio *dantu—*, quod explicandum est *tantum*, ignari librarii expresserunt *dantur*. D et T permutata inter se fuisse a veteribus multis demonstrarunt Triumviri Praeclari, Noordkerk in *Obs. Dec. p.* 71. Forner. *Rer. Quot. Lib.* 1. *Cap.* 10. Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 18. Mirum itaque videri non debet in ipso exemplari Florentino confusas aliquando litteras illas conspici. Hac, ni fallor, ratione restituere possis veram lectionem *L.* 21. *pr. D. quando dies legat.*, si pro *scribendi*, substituas *scribenti*. Haloander, eumque secutus Grotius *in Flor. Sparf.* correxerunt *scribendo*.

Singulare est, quod cretionis praescriptio hoc loco currere et locum habere dicitur etiam contra ignorantem, et eum qui agere non potest, siquidem sententia illa adversatur certissimis regulis et probatae juris rationi, quae memoratis casibus praescriptionem neutiquam concedunt. Argumento sint *L.* 1. §. 1. *L.* 15. *L.* 26. §. 9. *D. ex quib. caus. Maj. L.* 1. *in f. C. de Ann. Except. L.* 30. *C. de Jure Dot. L.* 7. §. 4. *C. de Praescr.* 30. *vel* 40. *Annor.* Adde denique *Authent. C. de Bonis Matern.* Repetendum credo privilegium hoc esse ex jure antiquissimo XII. Tabularum, quod patrifamilias liberrimam impertierat facultatem de rebus suis in testamento disponendi. Quando itaque non addidisset testator haec verba: *quibus scieris, poterisque*, ex stricti juris regulis ulterior terminus dari non potuit, supra certum diem, a defuncto praescriptum, verum spatio illo elapso, heres, si non crevisset, exheres erat. Ex causa tamen nonnunquam succurrit Imperator. Notabile est hanc in rem Papiniani responsum in *L.* 86. *pr. D. de Acquir. vel Omitt. Her. Pannonius Avitus, cum in Cilicia procuraret, heres institutus, ante vita decesserat, quam heredem se institutum cognosceret. Quia bonorum possessionem, quam procurator ejus petierat, heredes Aviti ratam habere non potuerant, ex persona defuncti restitutionem in integrum implorabant, quae stricto jure non competit, quia intra diem aditionis Avitus obiisset. Divum tamen Pium contra constituisse Maecianus libro Quaestionum refert, in eo, qui legationis causa Romae erat, et filium, qui matris delatam possessionem absens amiserat, sine respectu ejus distinctionis restitutionem locum habere.* De eadem Antonini constitutione haec memorat Ulpianus in *L.* 30. *pr. D. eod. Cum quidam legationis causa absens filium heredem institutum non potuisset jubere adire in provincia agentem, Divus Pius rescripsit Consulibus, subveniri ei oportere, mortuo filio, eo, quod rei publicae causa aberat.* De sententia ac lectione verborum *L.* 86. *c.* plu-

§. 34. Si sub imperfectam cretionem heres institutus sit, id est, non adjectis his verbis: SI NON CREVERIS, EXHERES ESTO, sed si ita: SI NON CREVERIS, TUNC MAEVIUS HERES ESTO, cernendo quidem superior inferiorem excludit: non cernendo autem, sed pro herede gerendo, in partem admittit substitutum. Sed postea Divus Marcus constituit, ut et gerendo ex asse fiat heres: Quod si neque creverit, neque pro herede gesserit, ipse excluditur, et substitutus ex asse fit heres.

pluribus egit Cl. Voorda *in Interpr. et Emend. Cap.* 43., qui verba corrupta *et filium qui matris .... locum habere* ita restituenda existimat: *filium eique matris.* Glossatoribus quid placuerit, itemque quid visum fuerit Cujacio, Fabro, Bynkershoeckio, Merendae, cognosces, si loca ibidem adlegata inspicere libuerit. Missis caeteris, utpote levioris momenti, quae ad propositas leges notari potuerant, hoc unum dico, videri mihi, si utriusque legis argumentum rite atque attente consideretur, apparere illico, imploratam restitutionem locum non habuisse quoad filium, quippe jam vita defunctum, sed quoad patrem, qui restitutionem petiit *ex persona defuncti* filii. Scriptum itaque fuisse opinor a Papiniano: *et filii n- qui* hoc est, *filii nomine.* N- *nomen* designasse testes sunt Valerius Probus et Diaconus.

§. 34. Post longam fori disputationem ita demum placuisse conjicio, adoptata Jurisconsultorum erciscundorum doctrina. Jus summum si sequaris, si, quum ita dixerit testator: *Maevius heres esto, cernitoque*, non crevit heres, non impleta videtur voluntas defuncti, adeoque heres non erit: Gessit tamen pro herede, atque ita declaravit animi sui destinationem: deinde exheredationis poenam heredi non adjecit testator, si non crevisset, adjecturus certe, si heredem suum eo casu exheredari voluisset. Quanquam itaque verba solennia non dixerit heres, admittendum tamen eum ad hereditatem suadet aequitatis ratio, relicto juris rigore, quam juris scrupulositatem, nimiamque subtilitatem in simili appellat Noster in *L.* 12 *pr. D. de Injust. rupt. irr. f. test. Strictum jus*, aut *stricta ratio* alias nominatur, vid. Noodt *de Usufructu Lib.* 2. *Cap.* 11. Obstat vero substitutio: expresse enim dixit testator: *si non creveris, tunc Maevius heres esto.* Visum fuit mediam viam inire, ac fictione quadam adhibita, ita dubiam quasi testatoris mentem interpretari, ac si dixisset: *tunc Maevius simul heres esto.* Succedent igitur uterque in dimidiam, et aequis portionibus dividetur hereditas inter institutum et substitutum. Idem dicendum de casu *L.* 40. *D. de Hered. Instit.*, qua de ante tractavi.

TITULUS XXIII.

Quemadmodum Testamenta rumpuntur.

§. 1. Testamentum jure factum infirmatur duobus modis: si ruptum, aut irritum factum sit.

§. 2. Rumpitur testamentum mutatione, id est, si postea aliud testamentum jure factum sit. Item adgnatione, id est, si suus heres adgnascatur, qui neque heres institutus, neque, ut oportet, exheredatus sit.

§. 3. Adgnascitur suus heres aut adgnascendo, aut adoptando, aut in manum conveniendo, aut in locum sui heredis succedendo: velut nepos mortuo filio, vel emancipato: aut manumissione, id est, si filius ex prima secundave mancipatione manumissus reversus sit in patris potestatem.

§. 4. Irritum fit testamentum, si testator capite deminutus fuerit, aut si jure facto testamento, nemo exstiterit heres.

§. 4.

§. 1. Nihil hoc loco Ulpianus *de his, quae in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur*, qua de re exstat titulus specialis in corpore Digestorum. Aperte vitiosa sunt verba Auctoris nostri in *L.* 1. *d. tit. id vero, quod non jussu domini scriptum, inductum, deletumve est.* Ex inscriptione mox memorata vides legendum esse *inscriptum.* Levissimo remedio restitues ipsius Icti scripturam, si ita pingas: *dominI scriptum*, hoc est, *domini inscriptum*: I enim pro *in* veteres exarasse docet Magno. Non attigissem haec, nisi viderem esse inter Ictos Criticos, Viros non infimi loci, qui ex his verbis retrogradae, quam vocant, geminationis auctoritatem sat dilucide se demonstrasse, temere sibi persuadent, quae tamen vereor, nisi validioribus argumentis comprobari possit, ut sat firmo fundamento niti videatur.

Addo propter materiae affinitatem *L.* 2. *pr. eod.*, ubi ita Ulpianus: *cancellaverat quis* inquit *testamentum, vel induxerat, etsi propter unum heredem facere dixerat; id postea testamentum signatum est.* Pro *etsi* Haloander exhibet *idque se*, alii praeferunt *et se.* Celeb. J. G. Hofman *in Meletemat. ad D.* mavult *at id se.* Mihi quidem praeplaceat *et sic.* *Si* enim et *sic* saepenumero inter se confunduntur, vid Obs. Miscell. Amstel. *Vol.* 1. *p.* 292., add. Best *p.* 27. *Se* per ellipsin omitti haud raro demonstrarunt Pater *ad Avian. Fab.* 33. *v.* 7. et Vryhof *in Obs. p.* 115. Exempla nonnulla adlegavi supra, addo *L.* 34. §. 3. *D. de Legat.* 2°, ubi ita Modestinus: *Gajus Sejus cum domum suam* hoc est, propriam *haberet, et in praetorio* (ita millies Icti pro *in praetorium*) *uxoris suae* (subIntellige *se*) *transtulisset, quasdam res de domo sua in eodem praetorio transtulit.* Vides perspicua esse omnia, nihilque vitii inesse. Temere itaque Bestius *p.* 175. hoc modo mutari praecipit: *et in praetorium uxoris se suae transtulisset.* Adjungo *L.* 176. *C. Th. de Decurion.* Merito itaque Eruditiss. Putman *in Interpr. Cap.* 6. *Num.* 5. reprehendit istos, qui per geminationem emendationemve pronomen hoc invitis libris scriptis intrudere tentant.

§. 5. Si is, qui testamentum fecit, ab hostibus captus sit, testamentum ejus valet: si quidem reversus fuerit, jure postliminii: si non ibi decesserit, ex lege Corneliana: quae perinde successionem ejus confirmat, atque si in civitate decessisset.

§. 6. Si septem signis testium signatum sit testamentum, licet jure civili ruptum, vel irritum factum sit, Praetor scriptis heredibus juxta tabulas bonorum possessionem dat, si testator et civis Romanus, et suae potestatis cum moreretur fuit: quae bonorum possessio cum re, id est, cum effectu habetur, si nemo alius jure heres sit.

§. 7. Liberis impuberibus in potestate manentibus, tam natis, quam postumis, heredes substituere parentes possunt duplici modo, id est, aut eo, quo extraneis, ut si heredes non exstiterint liberi, substitutus heres fiat: aut proprio jure, id est, si post mortem parentis heredes facti, intra pubertatem decesserint, substitutus heres fiat.

§. 8.

§. 5. Sic corrigo: *sin ibi decesserit, ex lege Cornelia: ea namque perinde. . . .* Librarii *n* notam esse opinati quae per *non* esset explicanda vitium lectionis vulgatae intulcrunt. Ferri tamen possit *Corneliana*, quo modo *Voconiana ratio* dicitur Paulo *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 8. §. 22. *Si autem* exhibet Meerman *ibi decesserit, ex lege Cornelia, quae* et reliqua.

§. 6. Scriptum fuisse suspicor: *si nemo al. jure.* Quanquam ferri possit *alius*, praeferam tamen *alio:* Si nemo quisquam heres sit alio jure, veluti ab intestato jure civili, vel ex jure legitimo, hoc est XII. Tabularum, tum demum datur bonorum possessio cum re ex jure Praetorio: Praetoris enim jurisdictio hanc introduxit, vid. §. 1. *sq. J. de Bonor. Possess.*

§. 7. De substitutione vulgari haec Cajus *Lib.* 2. *Inst. Tit.* 4. §. 1. *Vulgaris dicitur:* ILLE MIHI HERES ESTO, *sive hoc filio, sive extraneo,* (per geminationem litterae F lego *sit filio*) QUOD SI HEREDITATEM MEAM ADIRE NOLUERIS, ILLUM SUBSTITUO, *ad quem hereditas mea debeat pertinere.* Cl. Schroder *in Obs. Lib.* 4. *cap.* 6. Aleandrum secutus, reponit: *dicitur illa: heres mihi esto.* Dubito num placitura sint aliis. Ultima non testatoris, sed Caji verba sic accipio: ad quem substitutum in casu proposito hereditas mea pertinebit.

Pupillarem his verbis describit Idem *l. c.* § 2.: *Pupillaris substitutio filiis tantummodo impuberibus dari potest, quae ita fit:* ILLE FILIUS SI INTRA PUBERTATEM DECESSERIT, ILLUM EI SUBSTITUO. *Sed pupillaris substitutio ita secreta esse debet, ut ad notitiam substituti pervenire non possit, ne vitae pupilli aliquas substitutus insidias moliatur: nam in extrema pagina testamenti fieri debet, ut pars illa, in qua substitutio pupillaris scripta est, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata permaneat, et prior pars testamenti, in qua heres est, refertur. Hoc etiam et de donis fieri potest.* Explicationes, emendationesve Interpretum, quos non sine causa offendunt τα *de donis* vereor ut placeant. Scriptum fuisse conjicio: *hoc etiam et* DD *fieri potest.* Diacono teste, dictae litterae haec duo significant *de donis* et *deinde.* Dubii librarii perperam optaverunt notionem priorem, quum posteriorem debuissent. Substitutio fit aut in ipso testamento, eo, quem Cajus indicat, modo, in extrema scilicet testamenti pagina, aut in codicillis

§. 8. Etiam exheredatis filiis substituere parentibus licet.

§. 9. Non aliter impuberi filio substituere quis heredem potest, quam si sibi quis heredem institueret, vel ipsum filium, vel quemlibet alium.

§. 10. Milites quomodocunque fecerint testamenta, valent, id est, etiam sine legitima observatione: nam Principalibus constitutio-

cillis a testamento separatis, ita tamen, ut mentio eorum fiat in testamento, hoc modo: *quem heredem in codicillis fecero, heres esto.* Primum itaque exposuit Cajus de substitutione in eodem testamento facta, addit dein et fieri eam posse *deinde*, hoc est, post factum testamentum, in alio instrumento, puta codicillis. Inspice *L.* 38. *D. de Condit. et Dem.* et *L.* 77. *D. de Hered. Inst. Quamdiu* pro *donec* ab Aniano positum fuisse jam notavit Schultingius.

§. 8. De liberis exheredatis quoque intelligenda esse haec Ulpiani verba in *L.* 2. §. 7. *D. de Vulg. et Pup. Subst.* censet Cujacius *h. l. Quod igitur dictum est, singulis liberorum substituere licere, ideo adjectum est, ut declaretur, non esse a filii impuberis testamento incipiendum.* Nil quidquam, inquis, de exheredatione. Reperies, si Cujacio credas, ita legendum esse se scire adfirmanti: *Quod igitur dictum est, etiam exheredatis liberis substituere.* . . . . Recedentes alii a crisi ista vehementiori, ac nulla veri specie se commendante, eam adcommodant sententiam, quam ne fidiculis quidem adhibitis ex verbis extorqueas; videsis Schulting. *h. l.* *Ανακολουτον* enim esse, imo homine sano indignam demonstrationem, nemo quisquam inficias iverit docere velle, ideo posse singulis liberis substitui, ut appareat, non esse incipiendum a substitutione. Mihi quae sedeat hac de re opinio, paucis accipe. Scripsisse puto Ulpianum in antecedentibus hujus fragmenti, cujus partem aliquam dedit Tribonianus in *L.* 2. *c.*, licere etiam interdum parentibus substituere *singulis liberis*, vel, quod idem est, *liberorum.* Substitui autem *vel singulis liberis, vel qui eorum novissimus morietur*, discimus ex Florentino in *L.* 37. *D. eod.* Expliciturus itaque, quae supra dixerat, Ulpianus subjungit: *quod igitur dictum est, singulis liberorum substituere licere, INTERDUM adjectum est, ut* . . . . Pro *ideo* substitui *interdum*, adductus auctoritate Magnonis et Petri Diaconi, qui postremam vocem per ID designatam fuisse tradiderunt, cujus significationis ignari librarii, *ideo* exhibuerunt, sensu ineptissimo. Non quomodocunque velit, pater substituere potest, sed prius sibi quis debet heredem scribere, deinde filio substituere: servato ordine scripturae potest, caeterum, si ante filio, deinde sibi testamentum faciat, non valet, vid. *L.* 2. §. 4. *eod.*, add. §. 9. *h. l.*

§. 10. Quod sua demum constitutione introductum fuisse jactat Imperator in *pr. J. de Mil. Test.*, ut tum modo valeret testamenti militaris privilegium, cum in expeditionibus occupati sunt milites, tribuendum esse existimo summae, qua ferebatur Princeps ille, arrogantiae, cujus exempla in jure supersunt manifestissima. Persuadere videntur, ac rei veritatem evincere, si discesseris a *L.* 1. *C. de Testam. Mil.*, itemque verbis initialibus *L.* 15. *C. eod.*, haec ejusdem legis: *ipso tempore, quo in praelio vitae sortem derelinquunt.* Faciamus, ac demus verba illa: *in expeditione occupati, in expeditione degentes*, dictis legibus a Triboniano secundum sui temporis constitutionem Justinianeam esse intermixta, quod volunt Interpretes plerique, haec saltem, quae modo proposui, verba ipsius Constantini esse contextus legis approbat, adeoque jam Constantini aevo jus testandi militare restrictum fuisse ea indicant. Imposuisse opinor illis, qui in contraria castra transgrediuntur, Auctoris nostri dictionem: *quomodocunque vellent, quomodocunque possent*; attamen ea non ad tempus aut locum extendi posse liquido,

tionibus permiſſum eſt illis quomodocunque vellent, quomodocunque poſſent, teſtari: idque teſtamentum, quod miles contra juris regulam fecit, ita demum valet, ſi vel in caſtris mortuus ſit, vel poſt miſſionem intra annum.

quido, niſi me fallunt omnia, exinde adparet, quoniam eo loco, ubi jus novum introduxit, aut revocavit Conſtantinus, in *d. L.* 15., ut ſcilicet privilegium hoc concederetur tantummodo militibus in expeditione degentibus, eadem locutione *quomodo poſſint*, *ac velint* uſus fuit Imperator: ea itaque diſtinctim intelligenda eſſe de *modo* certiſſimum videtur. Confer quae hanc in rem ſcripſit Cl. Schroder in *Obſ. Jur. Civ. Lib.* 4. *Cap.* 2. *p.* 316.

TITULUS XXIV.

De Legatis.

§. 1. Legatum eſt, quod legis modo, id eſt, imperative, teſtamento relinquitur: nam ea, quae precativo modo relinquuntur, fideicommiſſa vocantur.

§. 2.

§. 1. De vocis *legare* etymo et ſignificatione alibi ſententiam noſtram expoſuimus. Paucis de eo videamus in praeſenti, a quo legata ſint praeſtanda. Imperatorem ſi ſequi lubeat, dicendum eſt, eſſe legatum *donationem quandam, a defuncto relictam, ab herede praeſtandam.* Non me fugit quidem ſupereſſe codices quoſdam antiquos, in quibus ultima verba deſiderantur, quam ob cauſam omittenda ea eſſe cenſuere nonnulli: rationi tamen juris et legibus Romanis convenientiſſima illa eſſe adgnoſcunt Interpretes omnes in Commentariis ad §. 1. *J. de Legatis*, ex quo haec deſcripſeram. Id in primis agit Th. Marcilius, ut verba propoſita vindicet, ac reſtituat, atque ab herede praeſtanda eſſe legata oſtendat. Litem hanc noſtram non facimus, neque de eo decertare animus eſt, ab ipſone Juſtiniano profecta fuerint *τα ab herede praeſtanda.* Hoc tamen concedi mihi poſtulo, legata hodie, poſteaquam anxiam iſtam verborum ac formularum neceſſitatem, in ordinandis ſupremis judiciis obſervari olim ſolitam, ſuſtulit Conſtantinus in *L.* 15. *C. de Teſtam.*, ac plenius deinde Juſtinianus, qui differentias quoque legatorum abolevit, ex quo tempore una omnium legatorum vis eſſe coepit, ab herede eſſe praeſtanda. Secus enim fuiſſe olim in legato vindicationis certum eſt, quod hoc habuit ſingulare, quod licuerit legatario ſtatim poſt mortem teſtatoris, non exſpectato herede, rem legatam ſibi praeſumere, vid. Cajus *in J. Lib.* 2. *Tit.* 5. § 1. Idem obtinuit in legato ſinendi modo relicto, v. *ibid.* §. 6. De eo unice cum maxime inquirere conſtitui, utrum, ſi cui uſusfructus omnium bonorum quoad vivat legatus fuerit, uſufructuarius legata caetera, in teſtamento relicta, mox poſt mortem teſtatoris exſolvere teneatur, an demum finito uſufructu ab herede ea peti poſſint. De legatis puris me ſentire intelligis, in annuis enim aliud jus ſequimur. In ea me ſemper opinione verſatum fuiſſe nolo,

§. 2. Legamus autem quatuor modis, per vindicationem, per damnationem, finendi modo, per praeceptionem.

§. 3.

nolo equidem diffiteri, dubium neutiquam esse, exstincto demum usufructu heredem legata solvere teneri. Cedit scio, dies legatorum ex lege Papia Poppaea ex apertis tabulis testamenti, vid. §. 31. *h. t.*, non venit tamen nisi die existente. Deinde legata ejusmodi accensenda sunt iis, quae in certum diem sunt data, scilicet, post mortem usufructuarii. Ususfructus est jus utendi fruendi: quo autem, quaeso, modo utatur fruatur, qui rem alteri tradere cogi potest? Usufructuarius jus habet, uti vocant, quaesitum in rebus hereditariis, quod auferri ei non potest, nisi expressa appareat testatoris voluntas: ea autem est defuncti voluntas expressa, usurum perpetuo ac fruiturum eum usque ad extremum vitae halitum.

Debita atque onera hereditaria non ab usufructuario sed ab herede esse praestanda, manifestum est: vid. Jo. a Sande *in Decis. Fris. Lib.* 5. *Tit.* 3. *Def.* 1. In horum autem numerum referri quoque oportere legata quis dubitet? vid. Voet *ad Tit. D. de Legat.* 1. *Num.* 38. Denique legatum, utpote quae pars est, et delibatio hereditatis, *L.* 116. *D. de Legat.* 1., ab usufructuario tradi non potest, quippe qui, finito usufructu, hereditatem universam ad heredem debet transmittere. Quin et in dubio, ubi non addidit testator a quo legaverit, ab herede legatum praestandum esse tradit Moller *in Semestrib. Lib.* 5. *Differt.* 14. *Num.* 1. Quid quod ne quidem legatario actionem competere existimem contra usufructuarium, ad id ut legatum praestet? quandoquidem actio personalis locum habet solummodo adversus debitorem, eumve qui debitorem refert, *L.* 1. §. 16. *D. ad SCtum Trebell.* non autem usufructuarium, sed heredem unum defunctum repraesentare res est certissima. Postremo, ne moras nectere videar, inspice sis *L.* 3. *L.* 5. §. 1. *D. Quando dies leg. vel fid. ced. L.* 33. *in pr. D. ad Leg.* 2. *L.* 1. *C. si cert. pet. L.* 1. §. 2. *D. quod legator.* Ex quibus omnibus apparet legata ab herede esse praestanda.

Adde *L.* 54. §. 3. *D. de Legat.* 1. *Si pars heredum nominata sit in legando, viriles partes heredes debent, si vero omnes, hereditarias.* Corruptam esse lectionem exhibitam censent plerique. Cujacius ita corrigendam statuit: *si personae heredum nominatae sint.* Ant. Faber *in Conject. Lib.* 2. *C.* 19. *in f.* dissensisse inter se Jctos veteres de argumento legis adlegatae existimat. Copiosissime de eadem egit F. M. Gordonius *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *p.* 841. *sq.* qui ita transponendum arbitratur: *Si pars heredum nominata sit in legando, hereditarias partes heredes debent, si vero omnes, viriles.* Quod ad me attinet, nil quidquam mutandum esse opinor. Rem plenius exponit Neratius in *L.* 124. *D. eod.* his verbis: *Si heredes enumerati dare quid damnati sunt, propius est ut viriles partes debeant: quia personarum enumeratio hunc effectum habet, ut exaequentur in legato praestando, qui, si nominati non essent, hereditarias partes debituri essent.* Casum hunc fingo: ita dixit testator: Sejus, et Cajus, et Titius heredes sunto. Sejus et Cajus Maevio CC danto. Viriles, id est, aequas partes dare debent Sejus et Cajus, adeoque singuli C debent Maevio, vid. *L.* 23. *D. ad SCtum Trebell.* Sin vero hoc modo dixerit: heredes meos dare jubeo, hereditarias partes accipit Maevius, hoc est, ex universis defuncti bonis CC solvuntur Maevio, nulla habita ratione singulorum heredum. Non attenditur hoc casu, quantum debeat unusquisque heres, sed ex rebus hereditariis praestatur legatum. Re vera tamen eodem redit, sive pro virili parte ab heredibus solvatur legatum, sive ex rebus hereditariis, si aequis partibus heredes fuerint instituti: secus est, si diversae partes heredibus fuerint attributae. Quo modo intelligenda esse reor Pauli verba in *L.* 17. *D. de duob. reis const. Sive a certis personis heredum nominatim legatum esset, sive ab omnibus, excepto aliquo, Attilicinus, Sabinus, Cassius pro hereditariis partibus, totum eos legatum debituros ajunt, quia here-*

§. 3. Per vindicationem his verbis legamus: DO, LEGO, CAPITO, SUMITO, SIVE HABETO.

§. 4. Per damnationem his verbis: HERES MEUS DAMNAS ESTO DARE, DATO, FACITO, HEREDEM MEUM DARE JUBEO.

§. 5. Sinendi modo ita: HERES MEUS DAMNAS ESTO SINERE LUCIUM TITIUM SUMERE ILLAM REM, SIBIQUE HABERE.

§. 6. Per praeceptionem sic: LUCIUS TITIUS ILLAM REM PRAECIPITO.

§. 7.

hereditas eos obligat. Idem est, cum omnes heredes nominantur. Paucis rem omnem comprehendo: legata ab heredibus praestanda sunt pro ea parte, qua instituti sunt, sive legatum fuerit a certis, quo casu certi illi pro virili quisque debent, sive ab omnibus, quando omnes debent pro ea parte, quam in hereditate habent. Quomodo autem cunque interpreteris, id certo constat ab heredibus legatum praestari oportere, quam rem pluribus demonstrant Auctores citati a Bernardo Zutphaniensi *in Praxi Belgica Titulo de Usufructu Num.* 8. et Surdo *in Decis.* 149. *Num.* 10.; Van Someren *de Jure Novercarum Cap.* 8. *Num.* 4., ut taceam Carpzovium *in Def. Forens.* Tuscum *in Conclusionibus*, Decium et Koppium *in Consiliis et Decisionibus*, Van Wesel *de Connub. bonorum socies.* aliosque quamplures.

Haec, quae dixi, juris argumenta, Virorumque Praestantissimorum auctoritas me movent, ac merito persuadere videntur, ut credam usufructuarium compelli non posse, ut legata in testamento relicta solvat. Memini tamen cum eadem de re in judicio reum defenderem, praeter spem meam atque exspectationem, vinci eum, ac condemnari usufructuarium legatariis legata praestare. Casum hunc accipe. Titius et Caja conjuges solenniter ac rite condito testamento mutuo, in suprema cera omnium bonorum, quaecunque habebant, habiturive forent, usumfructum optimo jure alter alteri legant, ita ut superstes iis, per omnem suam vitam utatur fruatur ex jure ususfructus. Caja dein ita legat: Maevio do lego centum. In ima denique cera uterque heredem suum nominant. Naturae debitum postquam solvit Caja, Maevius centum sibi a Caja legata a Titio petit, sententia penes Maevium dicta est. Leges municipales, jura que quae in vicis nostris obtinent, ea quae pro reo facere videbantur, aliaque quae ad hanc rem tum temporis contuli praesidia hic loci me memorare nihil attinet, id tantum propositurum, quod ex jure Romano observandum, non de hodierno disputaturum. Hoc unum adjungo in alia omnia ivisse videri JCtum Egregium Jo. Schraffert *in Codice Gelrozutph. Tit. de Usufructu Num.* 7. illiusque sententiam secutos fuisse Auctores legum municipalium Harderovici *Part.* 3. *Cap.* 4. *Art.* 21.

§. 3. Scripsit forte Ulpianus: *sumito, sibi habeto.* Saepissime *sumere*, *sibi habere* conjuguntur: conf. §. 5. *sq.* V. pro B. in MSS. frequentissime positum apparet, et contra, hinc *livabi* pro *libavi*, *ravolas* pro *rabulas. Liveris* pro *liberis*, *aviturus* pro *abiturus. Conjugi bene bibenti. Medicamentum pro beneno vivit* exstat in Codice Florentino *in L.* 23. §. 3. *D. de Aedil. Edict.* Vid. Sciopp. *de Art. Crit. p.* 58. Colv. *ad Apulej. p.* 199. et in primis Otton. *in Praef. Thes. Jur. Tom. I.* E et I item confundi inter se cuivis notissimum est. Vid. P. Faber *Semest. Lib.* 2. *p.* 259. Rutgers *in Var. Lect. Lib.* 6. *Cap. ult.* Aus. Popmam *de Usu Ant. Loc. Lib.* 1. *Cap.* 1. et Funccium *de Leg. XII. Tab. p.* 21. *sq.*

§. 8. 9.

§. 7. Per vindicationem legari possunt res, quae utroque tempore ex jure Quiritium testatoris fuerunt, mortis, et quando testamentum faciebat, praeterquam si pondere, mensura, numero contineantur: in his enim satis est, si vel mortis duntaxat tempore fuerint ex jure Quiritium.

§. 8. Per damnationem omnes res legari possunt, etiam quae non sunt testatoris, dummodo tales sint, quae dari possunt.

§. 9.

§. 8. & 9. De re aliena legata ita Auctor Noster in *L.* 40. *D. de Leg. I. Sed si res aliena*, inquit, *cujus commercium legatarius non habet, ei, cui jus possidendi non est, per fideicommissum relinquatur, puto aestimationem deberi.* Cujacius *non* eliminat, quod plerique sequuntur. Vide an probabilior sit conjectura nostra, pro *non* substituentium *modo*.

Verbo rem illustrabimus. In proxime praecedenti *L.* 39. §. 7. hoc exposuerat Jctus, legari posse res alienas, ita tamen, si parari eae possent: quod si autem legasset quispiam, verbi gratia, hortos Imperatoris, dicendum est legatum illud non valere, quoniam res ea parari non potest, et accipitur legatum ejusmodi quasi datum ab homine mentis non integrae, furiosove, vid. §. 8. *ibid.* Idem est, si campum Martium quis legasset, vid. §. 9. *ibid.* Ea quoque non praestantur legata, imo nec aestimatio eorum debetur, quorum commercium non est, hoc est, quae emi, vendi non solent, vid. §. 10. Sed si res aliena talis, quae quidem in usum legatarii comparari non potest, adeoque ei tradi nequit, ob id puta, quia, qui possidet eam, justo pretio rem illam vendere recusat, per fideicommissum relicta fuerit, hoc casu debetur non ipsa res, quam quippe propter obstinationem domini adquirere non licet, sed aestimatio ejus praestatur fideicommissario, dummodo tamen is sit heres, qui jus habet rem relictam possidendi, hoc est, qui, si minus venditionem detrectaret dominus, rei illius possessionem sibi adquirere potest. Aliud itaque obtinebit, veluti in re furioso relicta, *L.* 1. §. 3. *D. de Acquir. vel Amitt. Poss.* Item in re populi, sacra, aut religiosa legata, vid. §. 8. et 9. *L.* 39. *c.* et §. 10. *h. t.*

Eodem correctionis remedio adjuvandam esse arbitror *L.* 102. *pr. D. de Leg.* 3., ubi haec Scaevola: *His verbis legavit:* (supple *aliquis*, quae non rara est ellipsis, vid. Cl. J. Arntzen *ad Plin. Pan. p.* 199, et Vechner *in Hellenol. Lib.* I. *Cap.* 3.) *Uxori meae lateralia* (scribo, aut potius per geminationem refero *L lateralia*, hoc est, *lego lateralia.* Vulgatissimum est D. L. poni pro *do, lego,*) *mea viatoria, et quicquid in bis conditum erit, quae membranulis mea manu scriptis continebuntur, nec ea sint exacta,* (an eadem geminationis ope forte restituendum N NEC? hoc est, *Nomina, nec.* Interpretor quaecunque nomina continebuntur, si nec ea sint exacta.) *cum moriar, licet in rationes meas translata sint, et cautiones ad actorem meum transtulerim. Hic chirographa debitorum, et pecuniam, cum esset profecturus in urbem, in lateralibus condidit, et chirographis exactis, quam pecunia erogata,* (subaudiendam hic esse particulam *tam* et alii monuerunt, quam omitti saepiuscule observarunt J. Arntzen. *d. l. p.* 337. et Ant. de Rooy *in Conj. Crit. p.* 89.) *reversus in patriam, post biennium alia chirographa praediorum quae postea comparaverat, et pecuniam in lateralia condidit: quaesitum est, an ea tantum videatur nomina ei legasse, quae postea reversus in bisdem lateralibus condidit? respondit, secundum ea quae proponerentur, non deberi quae mortis tempore in bis lateralibus essent, et membranis manu ejus scriptis continerentur.* Locum integrum, quamvis prolixum, adscribere debui, ut emendationis ne-

§. 9. Liber homo, aut res populi, aut facra, aut religiofa, nec per damnationem legari poteft, quoniam dari non poteft.

§. 10.

neceffitas appareret. *Non deberi, nifi quae* fubftituit Jenfius *in Strictur. p.* 266. *fq.* Refcribi malo *MODO deberi.*

Succedat, quae eodem vitio laborat, lex in primis difficillima, de cujus lectione reftauranda follieiti fuerunt Viri fingularis doctrinae gloria florentiffimi non pauci, quorum nomina recenfet Cl. Wieling *in Lect. Jur. Civ. Lib.* 1. *Cap.* 19. adde Jenfium *p.* 423. *Apifcimur* inquit Paulus *in L.* 3. §. 1. *D. de Acquir. vel Amitt. Poff. poffeffionem corpore et animo, neque per fe animo, aut per fe corpore.* Pergit dein in §. 3. *Neratius et Proculus et folo animo non poffe nos adquirere poffeffionem,* (legendum puto: *modo poffe,* hoe eft, eo tantummodo cafu fufficere poffeffionem folo animo adquifitam, caeteris omnibus in caufis requiri poffeffionem animo et corpore fimul adquifitam) *fi non antecedat naturalis poffeffio:* exemplum hoc efto: *Ideoque fi thefaurum in fundo meo pofitum fciam, continuo me poffidere, fimulatque poffidendi affectum habuero, quia, quod defit naturali poffeffioni, id animus implet.* Thefaurum in cafu propofito animo poffideo, non corpore: non anteceffit naturalis poffeffio: neque enim ipfum thefaurum adprehendi, verumtamen, quia poffidendi animum habeo et affectum, fictione juris jam poffidere eum videor. Habes Neratii ac Proculi fententiam, a qua tamen diverfi difcedunt alii. Sunt, quod equidem miror, qui *ajunt,* aut *tradiderunt*, invitis codicibus melioribus hic loci obtrudere conantur. Frequentiffimus eft in Jctorum aeque atque in aliorum probatorum Auctorum feriptis ufus infinitivorum non praecedente finito. Confule Cl. Arntzen. *ad Plin. Pan. p.* 314., et Obf. Mifcell. Amftel. *Vol.* 1. *p.* 222. adde Commentarios VV. DD. *ad Florum Lib.* 4. *Cap.* 4. *Num.* 2. *et alibi.* Pendent infinitivi tales a voce aliqua fubintellecta, pro fubjecta materia aliter hic aliter illic fupplenda. *Coepit* aliquando fubaudiri probat Litteratorum Princeps J. Perizon. *ad Sanct. Min. p.* 658. et 426. *Refpondi* non raro omitti notat Cl. Marekart *in Interpr. p.* 32. *Conftat, palam eft, puto,* hifve fimile verbum faepius defiderari tradit Confultiff. Rygerbos *in Obf. Jur. Rom. p.* 65. *Oportet* nonnunquam deeffe obfervat Cl. D'Arnaudt *in Conject. p.* 243. et 258, exemplo Graecorum, qui δεῖ omittunt. Hiftoriographorum folenne effe infinitivum ponere per ellipfin docet Servius *ad Virgil.* locis quamplurimis. *Dicunt* fubaudiri vult apud Nonium *in V. Nubentes* Frater meus *in Differtatione ad locum illum fcripta p.* 74. Poffis et Triboniano ejusque adjutoribus tribuere loquendi hane formam, qui, cum ea quae pluribus propofuerant Jcti, in compendium coëgerunt, factum alicubi credo, ut feftinantes, oratione mutata, fermonem fupplere neglexerint, licet tamen ipfis Auctoribus familiare hoc effe neutiquam negem. Ipfe Ulpianus infra *Titulo de Injuriis; atrocem aeftimare folere Praetorem.* Idem in *L.* 164. §. 1. *D. de V. S. poffe et vicefimam*, quo loco temere nonnulli *poteft* fubftituunt. Aliorum de lectione illa opiniones exhibet D'Arnaudt *l. c. Lib.* 2. *Cap.* 2.

Quod autem toties in libris antiquis *non* pro *modo* exhibuerunt librarii, nil mirabuntur, qui cogitant facillimum in his lapfum fuiffe. *Non* novimus feriptum fuiffe NO, *modo* autem per MO exaratum auctor eft Magno. Confer quae dixi ad *Tit.* 20. §. 9.

Eodem ex fonte derivandum etiam arbitror errorem fcripturae, quae extat in *L.* 51. *pr. D. Locati. Ea lege* inquit Javolenus *fundum locavi, ut fi non ex lege coleretur, relocare eum mihi liceret, et, quo minoris locaffem, hoc mihi praeftaretur: nec convenit, ut, fi pluris locaffem, hoc tibi praeftaretur: et cum* NEMO: (explico *non ex modo. Modum* fcis fignificare, ubi agitur de conditionibus, moderationem quandam, rei, de qua agitur, adjectam, ut aliquid vel detur, vel fiat: notio ex lexicis petenda. Hoc itaque loco defignant verba: non ex praefcripta conditione) *fundum colebat* conductor,

§. 10. Sinendi modo legari possunt res propriae testatoris, et heredis ejus.

§. 11. Per praeceptionem legari possunt res, quae etiam per vindicationem. Si ea res, quae non fuit utroque tempore testatoris ex jure Quiritium, per vindicationem legata sit, licet jure civili non valeat legatum, tamen Senatusconsulto Neroniano firmatur: quo cautum est, ut quod minus pactis verbis legatum est, perinde sit, ac si optimo jure legatum esset: optimum autem jus legati per damnationem est.

§. 12. Si duobus eadem res per vindicationem legata sit, si quidem disjunctim, singulis in solidum debentur: si vero conjunctim, velut: TITIO ET SEJO HOMINEM STICHUM DO, LEGO, jure

ductor, *pluris tamen locavi: quaero an hoc ipsum praestare debeam? respondit: In hujusmodi obligationibus id maxime spectare debemus, quod inter utramque partem convenit. Videtur autem in hac specie id silentio convenisse, ne quid praestaretur, si ampliore pecunia fundus esset locatus, id est, ut haec* (scilicet *lex*, quae vox repetenda ex principio) *ex conventione pro locatore tantummodo interponeretur.* Hoc est, ut haec conditio secundum dictam conventionem, sive ex tenore contractus illius interponeretur tantum in commodum et favorem locatoris, neque itaque referri extendive possit ad conductorem, addita quippe unice hanc propter caussam, ut cogeretur conductor fundum colere ex dicta lege et conditione. Hoc pacto, vult Jctus, tibi ego locavi fundum meum, ut, si non coleres illum ex lege locationis, mihi liceat relocare illum alteri, tum ut hoc casu tu mihi praestares tantum, quantum damni ego passurus essem ex illa relocatione, si forte minoris locassem fundum: de eo autem, quid fieri debeat, si pluris forte eum locassem, nihil quidquam convenit, aut dictum est in lege locationis. Accidit autem, ut ego, cognito fundum non coli ex lege locationis, faciendum esse putaverim, ut fundum relocarem alii. Evenit praeter spem, ut pluris locaverim, quum tamen fundus deterior fuerit factus: Quaero, an hoc ipsum, quod pluris locavi, cedat lucro meo, an vero tibi illud praestare debeam? Respondit Jctus in hujusmodi obligationibus id prae caeteris esse attendendum, quod convenit inter locatorem et conductorem: videri autem in casu proposito, quanquam mentio expressa facta non fuerit de eo in legibus contractus locationis, tacite tamen convenisse, ut si relocassem fundum ampliore summa, tibi eam praestare non debeam.

Vides clara omnia, ac prono quasi alveo profluere; perspicis quoque, ni fallor, caussam plane nullam apparere, quod glossematis nomine suspecta habeamus verba *nec convenit, ut, si pluris locassem, hoc tibi praestaretur*; animadvertis denique temere posteriora illa: *haec ex conventione* varie tentari a nonnullis, quorum ausus dabit Bestius *p.* 275.

Fecit indignatio, ut in explicanda lege longior fuerim, quo demonstrarem non tolerandam audaciam istorum, qui integras periodos, quasi glossas ineptas, foras esse expellendas statuunt, quod solent, quibus vel sua aliquando incuria atque oscitantia rem illico expediendi non suppetit facultas.

§. 10. Cajus *in J. Lib.* 2. *Tit.* 5. §. 6. *et propriam rem* inquit *testator, et heredis sui, et alienam per sinendi legatum relinquere potest.* Aperte vitiosa esse verba dubitari non potest, quum certum sit rem alienam hoc modo legari non licere, vid. Interpretes *l. c.* Repono *n et alienam*, hoc est, *non et alienam.*

§. 12. Emendationem Cujacii, *singulis partes debentur* sequitur Th. Papillonius *in*

jure civili concursu partes fiebant: non concurrente altero, pars ejus alteri adcrescebat: sed post legem Papiam Poppaeam non capientis pars caduca fit.

§. 13. Si per damnationem eadem res duobus legata sit, si quidem conjunctim, singulis partes debentur, et non capientis pars jure civili in hereditatem remanebat: nunc autem caduca fit: quod si disjunctim, singulis in solidum debetur.

§. 14. Optione autem legati per vindicationem data, legatarii electio

in Thes. Juris Otton. Tom. 4. *p.* 769. Vulgatam lectionem optime vindicat P. Faber *b. l.* Rem sic interpretor ex mente Ulpiani in *L.* 1. §. 3. *D. de Usufr. Adcresc.* Si eadem res per vindicationem legata fuerit duobus, si quidem disjunctim, veluti: Titio domum meam do lego, Sejo domum meam do lego, vid. §. 8. *J. de Legat.* solidum debetur utrique ab initio: quod si itaque alter vindicat, alter repudiat, solidum accipiet is qui vindicat: concurrente vero utroque singuli partem accipiunt. Contra obtinet in legato damnationis, in eo enim, si quidem disjunctim res legata fuerit duobus, utrique debetur solidum, concurrente autem utroque, non partes fiunt, sed alteri pretium, alteri res adsignatur. Sic quidem regulariter: quod si vero manifestissime appareat voluisse testatorem, re duobus, pluribusve disjunctim per vindicationem legata, singulos solidum accipere, singulis debetur solidum, ita ut in legato per damnationem, vid. *L.* 33. *D. de Legato* 1. Hoc modo si rem intelligas conciliabis facile Ulpianum cum Cajo in *l. Lib.* 2. *Tit.* 5. §. 1. *sq.* Conf. Interpretes ad utrumque locum, et ad §. 1. *J. de Legatis.* De jure adcrescendi et conjunctionis singularem librum scripsit Merillius, quem Thesauro suo inseruit Otto *Tom.* 4. *p.* 1753. add. de eodem Papillon. *l. c.* nec non, qui de hodierno etiam jure inquirit, Z. Huber. *in Obs. Rer. Jud. Part.* 1. *Obs.* 70. et in *Cas. Enucl. Quaest.* 18. *Cap.* 1.

De eo quaerit Ulpianus in *L.* 34. §. 10. *D. de Legat.* 1., quid juris sit, si quis in testamento suo legavit mihi rem, quam eandem dein, apertis tabulis pupillaribus, apparet legatam esse alii. *Sed* (hoc est, sed et) inquit *si in pupillari testamento alii eandem legaverit, quam mibi in suo testamento legavit: Julianus scribit, concursu partes nos habere. Interim igitur partem habebit is, cui in suo testamento legavit.* Pro *partem* alii *solidum* substituunt, alii *totum* rescribunt, vid. Cujacium et Fabrum *b. l.* Id certum videtur *interim*, hoc est, usque dum ex pupillari testamento succedatur, totum habere eum, cui res in testamento legata fuit. Neque tamen quidquam mutem, quandoquidem totum huic ipse attribuit Ulpianus, *partem* intelligens ejus, cui in pupillari testamento res legata est. Dimidiam possidet legatarius in testamento scriptus pleno jure ex testamento, alteram partem, ejus puta, qui in pupillari scriptus est, *habebit interim*, hoc est, usque dum legatarius in pupillari testamento scriptus eam accipiat.

§. 14. Ardua est quaestio, cuinam, heredi puta an legatario, competat electio, si genus tantum legatum fuerit, non certa res: veluti, si dixerit testator: *domum lego Sejo*, habeat autem is testator plures domos. Variis sententiarum divortiis hac de re distrahuntur Viri eruditionis laude conspicui, consule Cl. Wieling *in Lect. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 10. *Num.* 3. Mihi quid videatur quam brevissime potero expediam. Praecipuam obscuritatis causam hanc esse arbitror, quia pleraque loca, in quibus de materia illa disputant Jcti veteres, depravata conspiciuntur a librariis notarum imperitis. Existimo autem in quibuscunque casibus, in quibus dubium est, quid senserit testator, nunquam non legatarii esse electionem: sive relictum fuerit legatum per vindicationem, veluti, *do, lego*, vid. §. 3. *b. t.*, sive per damnationem,

electio est: veluti: HOMINEM OPTATO, ELIGITO. Idemque est, et si tacite legaverim, TITIO HOMINEM, AUT DECEM HERES MEUS DATO, hominem dare heredis electio est. . . . velit dare.

§. 15.

nem, *heres dato*, §. 4. *eod.* modo tamen res sint ejusdem valoris ac pretii, nec non modi ejusdem. Quod si vero legatae fuerint res disjunctae, exempli gratia *domus aut centum*, non legatarii sed heredis electionem esse arbitror. Sic puto hac de re sensisse Prudentes antiquos. Conjecturas aliorum de verbis corruptissimis Auctoris nostri in hoc §. exhibent Interpretes *h. l.* quibus adde Virum Nob. M. Röverum in elegantissima Dissertatione *ad loca quaedam Juris Civilis depravata*, Lugduni Batavorum in publicum emissa Anno 1739. *Cap.* 1. Ad me quod attinet hoc modo ab Ulpiano scriptum fuisse suspicor: *Optione autem legati per vindicationem data, legatarii electio est: veluti* HOMINEM OPTATO, ELIGITO. *Idemque est, et si da c ita legaverim.* Litteras DA C explico *damnationis causa*. Si quis legaverit alicui optionem rei per vindicationem, hoc casu indicat Ulpianus legatario competere electionem, exempli causa, si hoc modo dixerit testator: *hominem optato, eligito*: idem quoque jus esse addit legatario, si per damnationem ita legatum fuerit: veluti, *heres dato.* Utroque casu, optione data, legatario conceditur electio. Solet ita Ulpianus primum exponere jus legati per vindicationem, tum deinde tradere, quid dicendum sit de eo, quod legatum est per damnationem sive causa damnationis, confer §. 3 *et* 4, item §. 12 *et* 13 *h. t.* His, quae dixi, pertractatis, ad aliam, eamque diversam materiam transgreditur Auctor, docetque, quid obtineat, si cui disjunctim legata fuerit res aliqua, ut puta hoc modo: *Titio hominem, aut decem heres meus dato: hominem dare heredis electio est, an X velit dare.* Sic lacunam supplendam reor. Festinantes scribae, numeri notam ignorantes, ut sensus cohaereret, *an* etiam omiserunt. Est hoc legatum per damnationem, vid. §. 4. *h. t*: arbitrio itaque heredis relinquitur, utram ex rebus legatis dare velit. Adde *L.* 43. *in f. D. de Legatis* 2. Possis et, si hoc mavelis, ita restituere: *Idemque est, et si damnationis causa*, supple ex praecedentibus: optio legati data est. *Ita legaverim*, vel adde, vel per ellipsin subintellige *si ita legaverim*. Adjuvare videtur eam, quam supra proposui, conjecturam Ulpianus in *L.* 71. *pr. D. de Legat.* 1. *Si domus alicui simpliciter sit legata, neque adjectum, quae domus, cogentur heredes, quam volet domum ex his, quas testator habebat, legatario dare.* Inspice de lectione verborum horum Cl. Wieling. *d. l.* Temere admodum Cons. Duirsema *in Conject. Lib.* 2. *Cap.* 9. *p.* 267. pro *volet*, aut, quod alii libri exhibent, *vellet* corrigendum dicit *vellent*. Pro nobis quoque facere videntur ejusdem JCti verba in *L.* 32. §. 1. *D. de Legat.* 1. *Si quis, plures Stichos habens, Stichum legaverit, si non apparet, de quo Sticho senserit, quem elegeris, debes praestare:* modo, quod necessarium videtur, imo quod sensus et contextus exigunt, ita levissima emendatione restituas: *quem leg. elegerit*, hoc est, *legatarius elegerit*. Errori causam praebuit compendiosa scribendi ratio, quam Magno indicat. Eodem ex fonte profluxit, credo, quod in *L.* 33. *eod. ad secundum legatum* perverse omnino exaratum exstat pro *ad secundum legatarium.* Cons. Jensium *p.* 212. *sq.* Denique causam non dubiam facit Pomponius in *L.* 20. *D. de Legat.* 1. *Qui duos servos haberet, unum ex his legasset, ut non intelligeretur, quem legasset, legatarii est electio.* Majoris perspicuitatis causa possis per geminationem substituere: *haberet, et.* Possis item pro *ut* corrigere *at*: veruntamen si subaudias *si*, crisi nulla opus est. Constat itaque ubivis legatario tribui electionem. Primo rei obtutu contra statuere videtur Ulpianus in *L.* 37. §. 1. *D. eod. Si de certo fundo sensit testator, nec appareat, de quo cogitavit, electio heredis est, quem velit dare.* At vero si penitius inspexeris, intelliges manifeste indicare JCtum proponi eo loco

§. 15. Ante heredis institutionem legari non potest: quoniam et potestas testamenti ab heredis institutione incipit.

§. 16. Post mortem heredis legari non potest, ne ab heredis herede legari videatur, quod juris civilis ratio non patitur. In mortis autem heredis tempus legari potest: velut: CUM HERES MORIATUR.

§. 17. Poenae causa legari non potest. Poenae autem causa legatur,

de casu, in quo apparet *de certo fundo sensisse testatorem.* Heres itaque, quum defuncti factum praestare teneatur, ejusque personam repraesentet, id facere debet, quod defuncti fuerat, ut scilicet in re dubia hic decidat: Id quod caeteris in casibus fieri nequit, in quibus neutiquam probari potest de certa re sensisse testatorem. Quod si enim simpliciter *hominem* dixerit testator, Oedipus praesto esse deberet, qui divinando adsequeretur, quem ex mille forte servis relictis dari voluerit defunctus. Idem dicendum de eo, quod de lance ibidem addit Ulpianus.

Cave tamen existimes, quamvis electio legatario competat, posse tamen eum ex legato genere eligere optimum: verum hoc esse illic observandum scias, ut neque optimus, neque pessimus accipiatur homo *L.* 37. *pr. D. eod.* Imo hoc amplius, si fundus legatus sit, verbi gratia Cornelianus, exstent autem duo ejusdem nominis, major alter, alter minor, legatus videtur minor: nisi demonstrare possit legatarius legatum esse majorem, id est, de majore sensisse testatorem, vid. *L.* 39. §. 6. *eod. L.* 43. §. 1. *D. de Legat. II.* Add. *L.* 75. *D. de Legat. III.*

§. 15. Adeo necessaria fuit heredis institutio, ut sine ea nihil in testamento scriptum valeret. *L.* 1. §. 3. *D. de Vulg. et Pup. substit.* De §. hujus argumento dicere anteverti *pag.* 19.

§. 16. Ita Paulus *Sentent. Lib.* 3. *Tit.* 6. §. 6: *in mortis tempus, tam suae, quam heredis ejus legata confirmari possunt.* Interpretes *suae* accipiunt legatarii, emendant alii. *Confirmari* vocem Aniano tribuo. Interpretor autem: tam in tempus mortis heredis sui, quam sui ipsius legata conferri possunt a testatore. Similiter dixit Noster *Tit.* 22. §. 14: *tam naturales, quam adoptivi*, exempla plura notavit Otto *in Papiniano pag.* 63. *Ejus* et *suus* confundi nullus nescit. Valet autem legatum hoc, quia jam ipse debuit heres, adeoque heres heredis, qui defunctum repraesentat, debitum hoc praestat, non quasi debitum testatoris primi, sed illius, cujus ipse heres est. Secus est in eo, si quis legaverit post mortem heredis sui, vide quae scripsi supra ad *Tit.* 1. §. 20.

§. 17. Plerorumque conjecturas de lectione verborum hujus §. recenset Vir Ampl. C. Van Bynkershoeck in Dissertatione egregia, de materia hac celebratissima composita, quam inscripsit: *de legatis poenae nomine.* Pro *quidem* ex MS. Aured. *quid* exhibuit Ampl. Meerman. Eruditiss. Röver *in Dissert. Inaug. c. p.* 42. corrigit: *quid, aut non faciat, ut legatum non pertineat.* Consultiss. Putman *in Interpr. Cap.* 6. *Sect.* 4. absque crisi interpretatur *non ut legatum pertineat* puta ad legatarium. Fratrem in scholis privatis docere memini malle se *ad eum pertineat.* Dubito an ita possit restitui vera lectio: *ut faciat quid EM*, *aut non faciat, non. ut LG ad Q pertineat.* Auctore Magnone ita explico: *ut faciat quid ejusmodi:* (intelligendum tale quid, quale tractat in sequentibus, ut filiam Titio in matrimonium det) *non ut legatum ad quem pertineat.* Defendi tamen forte possit lectio vulgata. Pertinet ad nos legatum, quando dies venit, aut conditio existit. *L.* 45. §. 1. *D. de Legat. II.* Ita ager ex emtionis causa ad aliquem pertinere dicitur in *L.* 50. *D. de Rei Vind.* Simpliciter quoque aliquando pertinere vox usurpatur: ita

gatur, quod coërcendi heredis causa relinquitur, ut faciat quidem, aut non faciat, non ut legatum pertineat: ut puta hoc modo: SI FI-

ita phrasi huic loco convenientissima *damni infecti stipulatio* inquit Ulpianus in *L.* 30. *D. de damn. infect. pertinet, etiam si etc.* Verum missa ulteriori de verbis disquisitione, ad rem ipsam potius transeo.

Indecens atque a juris ratione alienum esse credidit antiquitas, privatum hominem id sibi sumere in testamento suo, ut poena addita cogat heredem ad faciendum aliquid, aut retineat, quo minus faciat: quippe quae propria magis sunt jus dicentis atque imperantis. Tantopere saltem exosi fuerunt Romani haec legatorum genera, ut ne quidem poenae causa certae vel incertae personae per fideicommissum relinqui quid licere concesserint, vid. *Tit.* 25. §. 13. Imo nec militibus ita legandi potestas data fuit, vid. §. *ult. J. de Legatis.* Animus non est, multis cum maxime disputare de legato poenae nomine relicto: verbo dico, mihi videri poenae causa legari, quod unice relinquitur coërcendi heredis causa, non, quae alioqui legati caussa esse solet ac debet, ut legata res ad legatarium pertineat: exempli gratia: si testator ita dixit: *heres meus, si filiam Maevio in matrimonium collocaverit*, aut: *si non collocaverit, decem millia Sejo dato:* non ideo legavit defunctus, ut lucro sit legatariis, verum unice ut cogantur heredes ad rem iis gravem atque injucundam, quam certe recusare non dubitassent, nisi perceptum haberent, exhaustum iri, si non obtemperarent, majorem sat amplae hereditatis partem. Pluribus de legati hoc genere egit Imperator in §. *ult. J. de Legatis*, egerunt et Jcti in *Tit. D. de his, quae poenae causa relinquuntur*, quae si ad locum hunc conferas, opinioni meae auctoritatem non exiguam accedere, comperies. Verum nolo his immorari diutius: paucis absolvo: non favore legatarii adjectum est, sed *coërcendi heredis* gratia, hoc est, cogendi, ut is aliquid faciat, retinendive ac restringendi heredis causa quo minus faciat: quam vocis *coërcere* notionem exemplis confirmare velle supervacuum videtur, quippe quam lexica suppeditant. Apprime huc convenit Festi illud in Voce *Arcere: Arcere* inquit *est continere. . . . unde et coërcere dicimus. Trahitur autem hoc verbum a Graecorum Magistratu, quem illi Ἄρχοντα vocant, in cujus potestate est cogere vel prohibere.* Continemus vel prohibemus saepenumero poena addita, hinc et pro punire frequentissime adhiberi vocabulum, vulgatissimum est. Unum exempli gratia in medium proferam locum vexatissimum, ut maculam eluam informem. In *L.* 1. §. 4. *D. Depositi* ita Auctor: *Haec autem separatio causarum justam rationem habet: quippe cum quis fidem elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet simplo, cum vero extante necessitate deponat, crescit perfidiae crimen, et publica utilitas coërcenda est, vindicandae rei publicae causa. Est enim inutile in causis hujusmodi fidem frangere.* Corrupta esse verba penultima, nullus dubitat. Frequens Senatus Criticorum ubi ea de re deliberaturi concurrerunt, emendanda esse omnes censuerunt. Summus Cujacius *inutilitas* legendum esse dixit. In alia omnia descendit Joannes Robertus. Gravissimi momenti res visa est Duumviris praestantissimis: Tanto animorum motu utrimque agitata est quaestio, ut parum absuerit, quin de termino moto rei fierent, modestiae fines, quibus circumscribitur ars nostra, excessisse visi. Alii aliter hac de re statuendum arbitrati sunt. Singulorum sententias ordine recenset Vir Ampl. J. Van de Water *Obs. Lib.* 1. *Cap.* 3. Confer Fratrem in *Commentario ad Coll. Leg. M. et R. p.* 248. Unicuique liberum est in his rebus arbitrium. Quo minus equidem pedibus in Virorum Doctissimorum subsellia transeam, facit, quod faciliorem invenisse mihi videar viam, qua levissima, eaque, puto, probabili mutatione, in integrum restitui possit lectio antiqua, ac genuinus suusque sensus verbis depravatis reddi queat. Inutilem esse arbitror, ut de hoc prius admoneam, operam V. C. P. Duirsemae, qui *Lib.* 2. *Conject. Jur. Civ. Cap.* 2. *p.* 178. pro τοῖς *exstante necessitate* reponi jubet *ex tanta*

FILIAM TUAM IN MATRIMONIO TITIO CONLOCAVERIS, DECEM MILLIA SEJO DATO.

§. 18.

tanta necessitate. Quam necessitatem exstantem, hoc est, apparentem, praesentem, intelligat Jctus manifestissimum est ex §. 1, 2 *et* 3. *ejusdem legis.* Nil moror quoque, quae somniavit ad hanc legem Jensius in *Strict. p.* 111., qui *coërcere* hic interpretatur *praesidio esse*, certus nil praesidii in eo reperiri. Consideranti legis hujus contextum, ac cognoscenti in §. 1. doceri, propter depositum, uti hodie loqui solemus, simplex judicium dari in simplum, propter depositum vero miserabile in duplum: in §. 2 et 3. agi de depositi specie posteriore, in §. autem 4. iterum separari hanc causam, ac proponi simplo contentum esse debere eum, qui simpliciter deposuit: mirum inquam videatur necesse est, de duplo nil quidquam addidisse Jctum in subsequentibus, ubi de deposito miserabili agitur, cum tamen in edicto dupli expressa mentio fuerit facta, quodque adeo fieri vix potest, ut silentio praetermiserit Ulpianus edictum interpretaturus. Movit me haec, quam dixi, causa, ut legendum existimem: *Cum vero exstante necessitate deponat, crescit perfidiae crimen, et duplo ea* (ita pro *causa* olim scriptum fuisse auctor est Magno) *utilitatis coërcenda est*, (ista, subintellige, qua de mox locutus fuerat, perfidia) *vindicandae rei publicae causa: est enim inutile in causis bujusmodi fidem frangere. Inutile* pronuntiat, hoc est, perniciosum, (quo sensu vocem frequentissime adhiberi jam demonstravit Calvinus in Lexico) in his causis fidem frangere, ideoque, quum major sit haec, ac gravior perfidia, duplo ea est punienda propter utilitatem communem, quo ita conservetur ac vindicetur res publica, hoc est, salus et commodum publicum. Vulgatae scripturae favent Interpretes Graeci, quae res indicat, vitium id esse antiquissimum. Errori causam dedit imperitia notarum, librarii namque ignorantes, quid sibi vellet *duplo ea*, effecerunt hinc *publica.*

Ut tandem e diverticulo, quo me abduxerat observatio legis elegantissimae, in viam redeam, unum hoc addere non alienum duco, mirum fortasse cuipiam videri posse, qui factum fuerit, ut Jctus exemplum prolaturus legati poenae causa relicti, eam proposuerit conditionem, quae aliam etiam ob causam inutilis censenda est: favore enim matrimonii introductum est, ut conditio haec: *si non nupserit* pro non adjecta habeatur, vid. *L.* 22. *L.* 72. §. 4. *L.* 74. *L.* 77. §. 2. (ad quam scripsit Cl. Rucker *in Interpr. Lib.* 2. *Cap.* 1.) *L.* 100. *D. de Cond. et Dem.*, ne plures memorem. Sed vix est ut credam hac ratione nullam esse conditionem ab Ulpiano allegatam: si heres Titio filiam uxorem dederit, quasi favori matrimonii contraria ea sit: siquidem multum inter se differunt, dixeritne testator: *si filiam in matrimonio collocarit*, an: *si Titio collocaverit:* quod si enim simpliciter dixit: *si collocarit*, filiae nuptiae omnino prohibentur, si vero Titio collocari vetuerit, caeteris omnibus nubere poterit filia, uno excepto Titio. Haec puto sententia est verborum Caji in *L.* 63. *in pr. et* §. 1. *D. de Cond. et Dem.* Prolixiora sunt, quam ut cuncta describam: dabo ea quae medicinam efflagitant. *Si Titio nupserit ... durior baec conditio est, quam illa: si non nupserit; nam et caeteris omnibus nubere probibetur, et Titio, cui inboneste nuptura sit,* [*cum*] *nubere jubetur.* Varia, quibus aegrum locum sanare tentarunt plurimi, remedia exhibent Cl. Marckart *in Interpr. Lib.* 1. *Cap.* 4. Consultiss. Noordkerk *in Obs. Dec. Obs.* 1. *p.* 20. et Doctiss. Putman *in Interpr. p.* 21. Ego servata, quam Taurellus supervacuam existimavit, voce ac strictim secutus ductus litterarum, pro *CUM* substituo *UNI*, sensu commodissimo. Eleganter ita *unus* pro *solo* usurpari exemplis probat J. Vorstius *de Lat. select. p.* 109. *Solus* contra pro *unus* adhibetur. Ita si accipias verba *L.* 4. *C. de Testibus: sola testatione prolatam, nec aliis adminiculis causam approbatam, nullius esse momenti certum est*, hoc est unius testimonio probatam, tute perspicis frustra in eo occupasse operam, quotquot conatu magno de eo laborarunt, ut quae sit testatio sola osten-

§. 18. Incertae personae legari non potest: veluti: QUICUNQUE FILIO MEO FILIAM IN MATRIMONIO CONLOCAVERIT, EI HOMINI TOT MILLIA DATO. Sub certa tamen demonstratione incertae personae legari potest: velut: EX COGNATIS MEIS, QUI NUNC SUNT, QUI PRIMO AD FUNUS MEUM VENERIT, EI HERES MEUS ILLUD DATO.

§. 19. Neque ex falsa demonstratione, neque ex falsa causa legatum infirmatur. Falsa demonstratio est: velut: TITIO FUNDUM, QUEM A TITIO EMI, DO, LEGO, cum is fundus a Titio emptus non sit. Falsa causa est: velut: TITIO, QUONIAM NEGOTIA MEA CURAVIT, FUNDUM DO, LEGO, ut negotia ejus nunquam Titius curasset.

§. 20. A legatario legari non potest.

§. 21. Legatum ei tantum dari potest, qui extraneus est: ideoque

ostenderent, quo de consule D. Gothofr. *ad d. l.* et Catharin. *in Thes. jur. Ott. Tom. I. p.* 498, add. Thes. Meerm. *Tom* 6. *p.* 777 *et* 778. Loco autem *του prolatam* substituendum omnino *probatam*. Nostram interpretationem adjuvant Basilica.

§. 18. Confer quae notavi ad *Tit.* 22. §. 4. Ingeniosam emendationem Schultingii, pro *homini* reponentis *heres meus* probabilem faciunt ipsa hujus §. verba finalia: *heres meus illud dato.* Selectas observationes de legatis incertis scripsit Greg. Majansius, quas videre est subjunctas A. Leyseri *Meditationibus ad D.*

§. 19. Nulli Interpretum, quantum equidem scio, observatum fuit *ανακολουθον* in hoc §. Non sibi respondere haec *negotia mea*, ac dein, ubi de eodem pergit, *negotia ejus*, unusquisque animadvertit. Scio defendi posse, si ita suppleas aut exponas: *velut* si testator dixerit: *Titio, quoniam negotia mea curavit, do*, sequentia autem: *ut negotia ejus* et reliqua accipias Jcti verba explicantis testatoris demonstrationem. Nescio tamen quid contortius ac concisius habet haec sententia. Malim itaque, nulla litterula mutata, pro *mea* substituere *Marci*. Exaratum fuisse conjicio *negotia M.* Littera illa, quae, Valerio Probo teste, et *meus* notat et *Marcus*, fefellit librarios festinantes, indeque factum, ut, cum postremum esset eligendum, prius perperam praetulerint, ad verba minus attenti. Fuit autem *Marci* nomen fictum, quo dicis causa saepissime utebantur Jcti, quando aliquem significabant, qualia sunt, huic similia, *Sejus, Titius*, alia. Consule Auctorem Operis egregii *de Nominibus Pandectarum* in *Thes. Jur. Ott. Tom. I. p.* 399. Praenomen id olim fuisse, postea cognomen factum esse, docet Pater in Libro *de Nominib. pag.* 6.

Pro *ut*, Nob. Röver *l. c. p.* 43. corrigendum esse putat *et*, aliorum crises exhibent Interpretes *h. l.* Si mutandum quid foret, praeferam *at*: Sed magis est, ut adquiescam explicationi Schultingii, qui *ut* accipit *quamvis*, qua significatione sumi vocabulum pueris quoque notum est ex vulgatissimo: *ut desint vires*; nosti caetera.

§. 20. Causa est, quia legatum proprie datur sine onere, estque ipsius hereditatis delibatio. Adde et praestandum id esse ab herede.

§. 21. Contextus loci, si praecedentia ac subsequentia rite inspiciantur, certo demonstrat, sermonem hoc §. incidere non posse de iis, quae alicui legantur, sed tractari de eo, quod ab aliquo legatur. Corrigo itaque *L G ab eo* (hoc est, *legatum ab eo*) *tantum dari potest, qui extraneus est*: (*extraneum* intelligo *caeteros, qui testatoris*

que filiofamiliae heredi instituto, vel servo, neque a patre, neque a domino legari potest.

§. 22. Heredi a semet ipso legari non potest.

§. 23. Ei, qui in potestate, manu, mancipiove est scripti heredis, sub conditione legari potest: sed requiritur, ut quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

§. 24. Ei, cujus in potestate, manu, mancipiove est heres scriptus, legari non potest.

§. 25. Sicut singulae res legari possunt, ita universarum quoque summa legari potest: ut puta: MAEVIUS HERES MEUS CUM TITIO HEREDITATEM MEAM PARTITO, DIVIDITO: quo casu dimidia pars bonorum legata videtur. Potest autem et alia pars, velut tertia, vel quarta, legari: quae species partitio appellatur.

§. 26. Ususfructus jure civili legari potest earum rerum, quarum salva substantia utendi fruendi potest esse facultas: et tam singularum rerum, quam plurium, id est, partis.

§. 57. Senatusconsulto cautum est, ut etiam, si earum rerum, quae in abusu continentur, ut puta vini, olei, tritici, ususfructus legatus sit, legatario res tradantur, cautionibus interpositis de restituendis eis, cum ususfructus ad legatarium pertinere desierit.

§. 28. Civitatibus omnibus, quae sub imperio P. Romani sunt, legari

statoris juri subjecti non sunt, sicuti nominat eos Imp. *in* §. 3. *J. de Hered. qual. et differ.*) *ideoque filiofamiliae* (accipe suum et necessarium) *herede instituto*, *vel servo*, (necessario scilicet) *neque a patre*, *neque a domino legari potest.* Ecquid enim injustius, ecquid iniquius excogitari possit, quam eum, qui necessarius heres est institutus ab obaerato, qui facultates suas suspectas habet, propterea, ut, si creditoribus satis non fiat, ejus potius heredis bona, quam ipsius testatoris a creditoribus possideantur, distrahantur, aut dividantur, legatis etiam velle onerare, ad id, ut heres ejusmodi ex suo peculio exsolvere ea teneatur? non aequitati tantummodo, sed et juri civili adversa foret haec voluntas. Id enim commodum merito praestatur heredi necessario, ut, quae post mortem patroni sui sibi acquisiverit, ipsi reserventur. §. 1. *et* 2. *J. de Hered. qual. et diff.* add. infra *Tit.* 25. §. 10. Conjecturas aliorum quas exhibent Interpretes *h. l.*, nil dubito fore ut a Codicum veterum lectione nimium recedentes rejiciendas existimes. Conferri merentur, quae ad §. hunc et seq. proposuit Constantinaeus *l. c.* *p.* 566. *sq.*

§. 24. Imo vero legari posse constat ex §. 33. *J. de Legatis.* Movit haec causa Cujacium, Schultingium et Meermannum, ut negationem tollendam censuerint, contra librorum antiquorum omnium, si ab uno Auredanensi discesseris, fidem. Ast ea quidem vis est. Leviore crisi ac facillima mutatione pro *non* malim substituere *nob*, quod Magnone teste *nobis* designat: hoc sensu: legari a nobis potest.

§. 25. De partitionis legato materiam ex professo tractavit Vir Cl. Jac. Voorda in Dissertatione singulari.

28. Argumento hujus §. contrariari putat P. Faber Plinii verba *Lib.* 5. *Epist.* 7. *in pr.* *Nec heredem institui*, *nec praecipere posse*

legari poteſt: idque a divo Nerva introductum, poſtea a Senatu, auctore Adriano, diligentius conſtitutum eſt.

§. 29. Legatum, quod datum eſt, adimi poteſt, vel eodem teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis: dum tamen eodem modo adimatur, quo modo datum eſt.

§. 30. Ad heredem legatarii legata non aliter tranſeunt, niſi ſi jam die legatorum cedente legatarius deceſſerit.

§. 31. Legatorum, quae pure, vel in diem certum relicta ſunt, dies cedit, antiquo quidem jure, ex mortis teſtatoris tempore, per legem autem Papiam Poppaeam, ex apertis tabulis teſtamenti. Eorum vero, quae ſub conditione relicta ſunt, cum conditio exſtiterit.

§. 32. Lex Falcidia jubet, non plus, quam dodrantem totius patrimonii legari, ut omnimodo quadrans integer apud heredem remaneat.

poſſe Rempublicam conſtat. Saturninus autem, qui nos reliquit heredes, quadrantem Reip. noſtrae, deinde pro quadrante praeceptionem quadringentorum millium dedit. Hoc, ſi jus adſpicias, irritum, ſi defuncti voluntatem, ratum et firmum eſt. Indicavit ſcrupulum non exemit Vir ſummus, exempturus certe, ſi per fata licuiſſet Auctori opus hoc poſtumum ac tumultuarium conſummare, corrigere, atque ita limatius in lucem producere. Trajani tempore, qui Nervae ſucceſſit, Plinium ſcripſiſſe novimus, ipſeque Faber admonet. Conciliabis autem facillimo negotio Ulpianum cum Plinio, dummodo diſtinguas inter legata et hereditates. Legari poſſe Civitatibus primus Nerva introduxit. Municipia ac Municipes heredes inſtitui poſſe Senatuſconſulto Aproniano demum conſtitutum eſt, rerum potito Adriano, vid. ad *Tit.* 22. §. 5. Heredem autem ſcriptam fuiſſe, aut ſcribi ſaltem debuiſſe Remp., de qua memorat Plinius, exinde manifeſtum eſt, quia *praeceptionem* ei datam fuiſſe addit. *Praeceptionis vero legatum* inquit Cajus in *J. Lib.* 2. *Tit.* 6. §. 7. *non niſi uni ex heredibus dari poteſt, ut aliquid ei ex hereditate praecipuum relinquatur.*

§. 29. Quod de codicillis teſtamento confirmatis ſcribit Auctor, indictam praeterire non ſuſtineo *Legem 7. pr. et* §. 1. *D. de Jur. Codicill.*, quae ingenia Criticorum torſit vehementer. Senſum hunc arbitror: ſi quis in teſtamento ſuo, ante captivitatem facto, caverit hoc modo: quaecunque in codicillis, quos poſt hoc teſtamentum meum ſcribam, placuerint mihi, perinde firma rata ſunto, atque ſi in hoc teſtamento meo ſcripta fuiſſent: quaeritur, ſi captivitatis tempore codicillos ſcripſerit teſtator, an valere poſſint? dicendum omnino, neutiquam eos valere. Idem locum habet, ſi teſtator teſtamenti factionem habere deſierit. *Praeterea in illis; quae non juris, ſed facti ſunt, non eſt perinde habendum, quod codicillis ſcribitur, atque ſi, ubi confirmatio, ſcriptum fuiſſet.* Varios, quibus *confirmatio* vocabulum refingere alii tentarunt, modos tradit Beſt. *p.* 260. Poſſis nulla litterula mutata *O* exponere *olli*, hoc eſt, *illi*. Ita certe Valerius Probus: *O Ollius.* Reſcribendum puto *Ollus* pro *ille.* Quod ſi hoc diſplicceat, repone: *confirmatio F*, id eſt, *fit*, auctore Petro Diacono. Sin Magnonem ſequi malueris, ſic reſtituas: *confirmatio F E*, hoc eſt, *facta eſt.* Praeferam tamen *confirmati S*, quae nota *ſunt* denotavit eodem Magnone teſte, cui opinioni favet non parum vocis ſequentis littera prima. Non perinde habendum quod codicillis ſcribitur, atque ſi in teſtamento, quo codicilli ſunt confirmati, ſcriptum fuiſſet:

§. 33. Legatorum perperam solutorum repetitio non est.

quid enim? si ita codicillis legatum fuerit: *lego vestem meam*, spectandumne putas tempus codicilli scripti, an tempus testamenti illius, quo codicilli sunt confirmati? constat autem spectandum in his esse tempus codicillorum.

§. 33. Auredanensem codicem secutus negationem omisit Meerman. Quod si quis errore juris lapsus legata solverit, repetitio non est: si in facti errore versatus fuerit, competit condictio indebiti: generalem si statuamus regulam, magis placet, ut repetitionem concedi dicamus, atque exceptionem ponamus, si juris ignorantia deceptus quis solverit: hoc certe ei, quem servare solent Jcti, ordini videtur convenientius. Malim itaque hoc loco, secutus Röverum *d. l. p.* 43., pro *non* substituere *nob*, id est, *nobis*, quam cum V. C. J. J. Struchtmeyero *in Animadv. Crit. p.* 78. referre haec Ulpiani ad eum, qui in jure erravit.

TITULUS XXV.

De Fideicommissis.

§. 1. Fideicommissum est, quod non civilibus verbis, sed precative relinquitur: nec ex rigore juris civilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.

§. 2. Verba fideicommissorum in usu fere sunt haec: FIDEICOMMITTO, PETO, VOLO DARI, et similia.

§. 3. Etiam nutu relinquere fideicommissum in usu receptum est.

§. 4. Fideicommissum relinquere possunt, qui testamentum facere possunt, licet non fecerint: nam intestatus quis moriturus fideicommissum relinquere potest.

§. 5.

§. 1. Rigorem hic accipio, non strictum jus, uti alias, sed tenorem, qua de significatione consule Brissonium in V. *Rigor.* Fideicommissa constat non ex XII Tabulis, neque ex legibus, neque ex jure originem cepisse, sed ex sola testantium voluntate profecta fuisse, quam, si vellent, heredes sequebantur, sin nollent, cogi olim non poterant, primis fideicommissorum initiis, vid. §. 1. *et ult. J. de Fid. Her.*

§. 2. *Relinquo* verbum an fideicommissi actionem pariat, dubitatum videtur Jctis veteribus: negat Paulus *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 1. §. 7., adfirmat Scaevola in *L.* 78. §. 8. *D. ad Sctum Treb.* Hoc certum est, neque precarii quid inesse ei, neque imperativi. Strictam ergo juris rationem secutum arbitror Paulum, qui precariis verbis solummodo fideicommissum dari posse censuit; Scaevola, ratione habita laxioris fideicommissorum naturae, quibuscunque verbis fideicommitti posse existimavit, modo constet de voluntate testatoris.

§. 4. Juvat hoc loco inquirere paucissimis in veram verborum scripturam *L.* 88. §. 16. *D. de Legat. II. Matre* inquit Scaevola *et uxore heredibus institutis, ita cavit:* (subintelligendo repetere possis *testator* ex §. 15. praecedenti, liceret et quasi geminationis ope supplere *cavit vir*, verum

§. 5. Res per fideicommissum relinqui possunt, quae etiam per damnationem legari possunt.

§. 6. Fideicommissa dari possunt his, quibus legari potest.

§. 7.

verum magis est ut interpretemur secundum loquendi consuetudinem Jctis familiarissimam, quibus nulla aeque quam ejusmodi ellipsis in usu est vulgatissimo. vid. *L.* 33. *in pr. et* §. 1. *L.* 34. *pr. et* §. 1. *L.* 41. *pr. D. de Legat. III.*) *a te, uxor carissima, peto, ne quid post mortem tuam fratribus tuis relinquas: Habes filios fororum tuarum, quibus relinquas. Scis unum fratrem tuum filium nostrum occidisse, dum ei rapinam fecit: sed et alius mihi deteriora fecit.* Glossatores, et, quod mireris, secuti eos D. Gothofredus et Russardus *rapinam facere* hic explicandum putant *rapas ferere:* risum teneatis amici. Vulgatam lectionem stare non posse unusquisque perspicit. Neque enim fore quemquam existimo adeo rerum omnium ignarum, qui in animum suum inducat, fieri posse, ut pater in testamento suo temere confiteatur filium suum alteri rapinam fecisse, eamque propter causam ab spoliato fuisse occisum, id quod juste sane atque impune fieri licuisset. Quid si levissima mutatione pro EI reponamus E F? Hoc modo, si Valerio Probo credimus, sensum efficiemus commodissimum: tradit enim significare haec: *ejus filius.* Uxoris fidei testator committit, ut ne quid relinquat fratri suo, quem norat ea occidisse filium suum communem, quique propterea indignissimum se praestiterat: occiderat autem frater, *dum ejus* fratris *filius rapinam fecit*, hoc est, eo tempore, dum is filii nostri omnia rapuit, ac detraxit. Pater occidit, filius spoliavit. Aut, si hoc mavis, lege *tum*, hoc est, praeterea *ejus filius rapinam facit*, id est, exercet, ideoque ambo indigni omnino sunt quicquam capere ex hereditate.

Huic quam dixi non absimilis, puto, est error scripturae, significatu tamen longe diverso, quae exstat in *L.* 2. *D. ex quib. caus. maj.*, ubi ita Callistratus: *hoc edictum*, inquit, *quod ad eos pertinet, qui EI continentur, minus in usu frequentatur: hujusmodi enim personis extra ordinem jus dicitur ex Senatusconsultis et Principalibus constitutionibus.* Verba edicti refert Ulpianus in *L.* 1. §. 1. *eod.* Si quis Reip. causa absens, aliamve ob causam ibidem memoratam, damnum passus fuerit, succurrit ei Praetor, atque in integrum talem restituit, etiam majorem, quod si autem alia quae justa causa, praeter eas, quas in edicto enumeravit Praetor, intercesserit, aut obvenerit, propter has etiam idem restitutionem promittit, veluti, si quis legationem functus fuerit pro civitate, quanquam Reip. causa non absit, flagitat tamen aequitatis ratio, ut et is restituatur. *L.* 8. *eod.* Idem dicendum de eo, qui testimonii causa evocatus fuerit, *L.* 2. §. 3. *D. de Re Jud.*, add. *L.* 26. §. *ult. et L.* 28. *pr. D. ex quib. caus. maj.* Innuere Callistratum eas personas, non, quae primo edicti capite specialiter sunt nominatae, verum ejusmodi personas, quibus de in ultima edicti parte mentionem injecit Praetor, extra omnem dubitationis aleam positum esse animadvertes, si quidem contuleris *L.* 1. §. 1. *et L.* 2. *cc.* Pro *ei* alii libri habent *eo*, alii *eis*, neutra lectio probabilis. Rescribo *qui I F*, hoc est, *qui in fine.* I pro *in*, F item pro *fine* poni Magno adnotavit. I pro E saepissime exaratum fuisse nullus dubitat. Huic mori tribuo scripturae vitium quod exstat apud Cajum *in J. Lib.* 2. *Tit.* 7. §. 8. *Per fideicommissum rogare possumus, ut, quum moriatur, alii eam hereditatem vel totam, vel pro parte restituat. ET quia, sicut superius dictum est, etiam post mortem heredis fideicommissum ei, cui relictum est, dari potest.* Alterutrum vocabulum, *et* puta, vel *quia* expungi volunt Interpretes. Facillimam esse hujusmodi crisin nullus nego, eandem tamen violentiorem esse et damnandam propterea statuo. Vide num ita mecum velis rescribere: *restituat* IT; auctore Valerio Probo explico *jure testamenti*; rogare possumus, ut heres scriptus

 vel

§. 7. Latini Juniani fideicommissum capere possunt, licet legatum capere non possint.

§. 8. Fideicommissum et ante heredis institutionem, et post mortem heredis, et codicillis, etiam non confirmatis testamento, dari potest, licet legari non possit.

§. 9. Item Graece fideicommissum scriptum valet; licet legatum Graece scriptum non valeat.

§. 10. Filio, qui in potestate est, servove, heredibus institutis, seu si his legatum sit, patris vel domini fidei committi potest; quamvis ab eo legari non possit.

§. 11. Qui testamento heres institutus est, codicillis etiam non confirmatis rogari potest, vel ut hereditatem totam, vel ex parte alii restituat: quamvis directo heres institui ne quidem confirmatis codicillis possit.

§. 12. Fideicommissa non per formulam petuntur, ut legata: sed cognitio est Romae quidem Consulum, aut Praetoris, qui Fideicommissarius vocatur: in provinciis vero Praesidum provinciarum.

§. 13. Poenae causa certae, vel incertae personae ne quidem fideicommissa dari possunt.

§. 14. Is, qui rogatus est alii restituere hereditatem, lege quidem

vel universa bona restituat vel partem eorum, prout de eo in testamento cavimus. Licentiae illius ratio est, *quia. . . .*

§. 7. Quandoquidem laxior est et pinguior natura fideicommissorum, hinc multa in his permissa fuerunt, quae in legatis prohibebantur. Tota itaque via aberrare apparet istos, qui fideicommissorum naturam arctiorem esse rati, strictissimam interpretationem ea recipere oportere falso sibi persuadent, vid. Cl. Voorda *in Elect. Cap.* 20.

§. 9. Superesse tamen videntur in Pandectis vestigia legatorum Graece in testamento scriptorum, confer Schulting. *b. l.*, ab iis forte qui Latine nesciebant: additam tamen, an ab aliis jussu testatoris adscriptam, putem interpretationem Latinam, exque hac jus dictum.

§. 10. Idem docet Licinius Rufinus in *L.* 62. *D. de Legat. II. Si alienus servus heres institutus fuerit, a domino ejus fideicommissum relinqui potest: sed ita hoc fideicommissum dominus praestare debet, si per servum factus sit heres: quod si, antequam jussu ejus adiretur hereditas, servus manumissus fuerit, et suo arbitrio adierit hereditatem, dominus id debiturus non est, quia heres factus non est, nec servus,* (jam liber factus debiturus est) *quia rogatus est. Itaque utilis actio hoc casu competit...* Rescribo: *servus* Q N, hoc est, *qui*, vel *quia non.* Consule Petrum Diaconum. Aliter verba corrigit Schulting. *b. l.*

§. 11. Ita Plinius Anniano suo *Lib.* 2. *Epist.* 16: *Admones me, codicillos Aciliani, qui me ex parte instituit heredem, pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento: quod jus ne mihi quidem ignotum est, quum sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt.*

§. 14. Sic interpretor: eo casu, quando locum non habet lex Falcidia, hoc est, jus retinendae quartae, ad instar et exemplum

dem Falcidia locum non habente, quoniam non plus, puta, quam dodrantem restituere rogatus est, ex Trebelliano Senatusconsulto restituit, ut ei, et in eum dentur actiones, cui restituta est hereditas. Lege autem Falcidia interveniente, quoniam plus quam dodrantem, vel etiam totam hereditatem restituere rogatus sit, ex Pegasiano Senatusconsulto restituit: vel deducta parte quarta, ipse, qui scriptus est heres, hereditatem restituat, et in ipsum actiones conserventur: is autem, qui recipit hereditatem, legatarii loco habeatur.

§. 15. Ex Pegasiano Senatusconsulto restituta hereditate, commoda et incommoda hereditatis communicantur inter heredem, et eum, cui reliquae partes restitutae sunt, interpositis stipulationibus, ad exemplum partis, et pro parte stipulationum. Partis autem, et pro parte stipulationes proprie dicuntur, quae de lucro, et damno communicando solent interponi inter heredem, et legatarium partiarium, id est, cum quo partitus est heres.

§. 16.

plum legis Falcidiae heredi fideicommissario datum, ob id puta, quoniam non plus quam dodrantem heres restituere est rogatus, restituit ex Trebelliano. Quando autem intervenit Falcidia, hoc est, si de quarta retinenda nil prospexit testator, sed aut totam hereditatem aut plus saltem quam dodrantem jussit restituere, utitur heres beneficio legis pro se introductae, quae, quoniam ad similitudinem Falcidiae inventa est, Falcidia ipsa dici potest, et restituit ex Scto Pegasiano. Eodem, quem hic exposui, modo ablativum, quem absolutum vocare consuevimus, intelligendum esse plerique opinantur in his Diocletiani et Maximiani in *L. 22. C. de Negot. gestis. Negotium gerentes alienum, non interveniente speciali pacto, casum fortuitum praestare non compelluntur.* Elegantissima sunt, quae ad legem illam perscripsit commentaria V. C. C. A. Van Wachendorff *in Specimine Juridico c. Cap.* 2., quo loco quae ad verborum horum interpretationem contulere Eruditi, proposita reperies. Cl. Vryhoff secutus *in Obs. Jur. Cap.* 16. hoc modo accipio. Evidens est, negotiorum gestores casum non praestare, imo nec posse, quia in negotiorum gestione non intervenit, neque potest intervenire regulariter pactum speciale, extra quam caussam casus non praestatur. Hoc unum addo, idem sensisse videri Auctores Basilicorum, qui ita vertunt: *Οι πραγματα διοικουντες αλλοτρια ουκ υποκεινται τοις τυχηροις, ει μη ιδικον περι τουτων γενηται συμφωνον.* Reddo: Aliena negotia gerentes fortuita praestare non tenentur, quia in hujusmodi re non intercedit speciale pactum. *Ει* pro *οτι*, itemque *ει μη* pro *οτι μη* Graecis usurpari ostendit M. Devarius *de Part. Ling. Graecae pag.* 115 *et* 121., add. Viger. *de Idiotism. Gr. p.* 347. Loco των *restituit, ut ei*, per geminationem non inepte quis reponat: *restituit ita ut ei.*

Pro *vel* substituunt Commentatores, secuti notam marginalem Codicis Parisiensis, *ut*, sensu optimo, sed crisi non admodum probabili. Malim equidem *ut* repetere per geminationem ex praecedenti verbo *restituit*, aut potius per ellipsin voculam hanc omissam statuo, quod factum saepissime demonstravit Noodt *in Obs. Lib.* 2. *Cap.* 26. Add. Obs. Miscell. Amstel. *Vol.* 2. *p.* 390. *et Vol.* 3. *p.* 136. Dein pro *vel* lego VL, quae nota eodem Diacono teste significat *videlicet.* Servatis itaque litteris, hunc habes sensum commodissimum: *restituit, ut videlicet.*

§. 16. Si heres damnosam hereditatem dicat, cogetur a Praetore adire, et restituere totam, ita ut ei, et in eum, qui recipit hereditatem, actiones dentur, perinde atque si ex Trebelliano Senatusconsulto restituta fuisset: idque ut ita fiat, Pegasiano Senatusconsulto cautum est.

§. 17.

Caeterum, quod Pegasiani Scti mentionem hic injicit Noster, tacitus praeterire nolim paradoxon Francisci Husmani *ad Legem Falcidiam par.* 10. *in Thes. Jur. Ott. Tom.* 4. *p.* 1701., qui opinatur, praeter unum Ulpianum et Paulum, nullum alium juris auctorem de Pegasiano Scto vel cogitasse quidquam, vel scripsisse, imo ne quidem ipsorum ea esse, quae de Scto hoc memorant, sed supposititia existimanda, Justiniani autem et Theophili commentis fidem non habendam: quin neque exstitisse unquam Sctum ejusmodi adfirmare non dubitat. Vereor equidem ut sententiam suam, mihi profecto minus probabilem, viris eruditioribus possit approbare. Do Pegasiani nomen ab Pandectarum Architectis in Digestis omissum fuisse aliquando, pro licentia illis secundum *constitutionem* 2. *C. de Veteri Jure Enucl.* concessa ab Imp. Justiniano; largior quoque Pegasiani Scti vires in antiquius Trebellianum ab eodem Principe translatas, licet ipsa, qua inductum hoc fuit, lex desideretur, vid. Otto ad §. 7. *J. de Fideic. Hered.* Et hoc addo, hanc unice causam videri, cur Pegasiani mentio fere non incidat apud juris nostri auctores. Nullus tamen adsentior, exinde procedere consequentiam, esse illud figmentum: quin contra manifestum est ex istiusmodi Jctorum fragmentis, quae integra, aut saltem a Triboniani interpolatione libera ad nos transmissa exstant. Quapropter vel ex uno hoc Ulpiani loco, taedet enim plura conferre argumenta rei apertissimae, abunde convinci Husmanum existumem.

Non alienum puto obiter in praesenti agere de quaestione, quam proponit Pomponius in *L.* 21. *D. ad SCtum Trebell. Heres* inquit *cum debuerat quartam retinere, totam hereditatem restituit, nec causa* (aliae editiones exhibent *cavit*, quod sequor) *sibi stipulatione proposita*, (qua de cautione vid. *L.* 1. *pr. D. Si cui plus, quam per leg. Falc. lic., leg. esse dic.*) *Similem eum esse Aristo ait illis, qui retentiones, quas solas habent, omittunt.* (Hi quali jure censeri debeant ita exponit Julianus in *L.* 33. *in f. D. de Condict. Indeb. Constat, si quis, cum existimaret se heredem esse, insulam hereditariam fulsisset, nullo alio modo, quam per retentionem impensas servare posse.* In ea itaque opinione versatus fuit Aristo, nullum heredi fiduciario remedium competere repetendi quartam, postquam jus retentionis, quod concessum ei fuerat, omisisset. Ita, inquam, censet Aristo: attamen plus justo fortasse dedit is juri stricto, quippe in Proculi schola enutritus, vid. Mascov. *de Sectis p.* 88. Rectius procul dubio, benignius certe, Pomponius aequitatis studiosus:) *Sed posse eum rerum hereditariarum possessionem vel repetere, vel nancisci, et adversus agentem doli mali exceptione uti posse eum, et debitoribus denuntiare, ne solveretur*, subintellige *constat, puto*, similevc. Dixi de infinitivis ejusmodi ad *Tit.* 24. §. 8. Vides remedia nonnulla suppeditare Pomponium, quibus quis quartam possit repetere errore facti perperam solutam. Animadvertis dissentire Duumviros juris prudentissimos, alterum herciscundum, vid. Idem *p.* 130, alterum Stoicae philosophiae addictissimum, illum juris summi observantissimum, hunc aequitati multum tribuentem. Simplicissima hac ratione explicandam arbitror legem adeo difficilem visam Ant. Fabro *in Rational. ad h. l.*, ut interserta salutari ista, si Dis placet, particula, reponendum esse scripserit *non similem*, quam tamen crisin, mehercule duriorem, secuti fuere tantum non omnes. Nominasse sufficiat summum Grotium *in Flor. Spars. ad h. l.* et Cl. Eckium,

§. 17. Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodaverit, ut non capienti fideicommissum restituat, nec quadrantem eum deducere Senatus censuit: nec caducum vindicare ex eo testamento, si liberos habeat.

§. 18. Libertas dari potest per fidicommissum.

Eckium, Gelriae decus, *in Princip. juris ad D. Tit. de Cond. Indeb.* §. XI. *et ad h. t.* §. 37.

§. 17. *Si liberos habeat.* Expono *etsi*, qua significatione vox *si* in jure frequenter occurrit. Hac ope vindicandam puto esse lectionem vulgatam in his Javoleni in *L.* 100. §. 3. *D. de Legat. III. Cui Corinthia vasa legata essent, et βασεις . . . . quoque . . . deberi Trebatius respondit: Labeo autem id non probat, si eas βασεις testator numero vasorum habuit.* Pro *si* substituunt plerique *nisi*, vide Bestium *p.* 30. Interpretor *etsi*. Quamvis enim regulariter principali cedat accessorium, ac praecipue attendi soleat in talibus, quo in usu rem habuerit is, qui legavit, Labeo tamen, hac in re stricti juris tenacissimus, fulcra non deberi respondit, utputa quae facillime potuerint separari, ac propterea diversam quodammodo materiam constituere videantur. Eadem, puto, notione particulam adhibuit Labeo in *L.* 28. §. *ult. D. de Contr. Emt. Frumenta*, inquit, *quae in herbis erant, cum vendidisses, dixisti, te, si quid vi aut tempestate factum esset, praestaturum: ea frumenta nives corruperunt: si immoderatae fuerunt, et contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit.* Frustra itaque D. Heraldus *in Obs. Cap.* 30. *etsi* substituendum voluit. Quam *ex emto* appellat, intellige actionem emti venditi: de venditione enim sermonem fieri unusquisque animadvertit. Καταχρηστικως itaque *ex emto* nominat, quam proprie ex vendito dicere debuerat JCtus: verum non infrequens esse novimus in Prudentum scriptis relata inter se permutari. Ita emtum pro vendito, venditum pro emto saepissime collocari videas, inspice sis *L.* 19. *sq. D. de Action. Emt. L.* 13 §. 25. *eod. L.* 26. *et* 66. §. *penult. D. de Evict. L. un. C. Si serv. exter. se em. mand.* Locatio pro conductione usurpatur, v. Forner. *Rer. Quot. Lib.* 4. *Cap.* 9. *et Lib.* 3. *Cap.* 28. Debitor cum creditore confunditur, alia, consule Forster. *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *p.* 947. Festinationi JCtorum non perperam forte quis haec tribuat.

Nescio an et forte *si* pro *etsi* positum appareat in celeberrima *L.* 27. §. 1. *D. de Poenis*, qua de pluribus egerunt Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 57. *et* 64. *sq.* Noodt *in Obs. Lib.* 2. *Cap.* 26, et Rygerbos *in Obs. pag.* 12. Addo *L.* 47. §. 1. *D. de Legat. III.* quo loco verba: *et si ei adsignata non sunt* per geminationem restituo *et etsi*, aut *si* expono *etsi*. Adjungo *L.* 1, §. 8. *in f. D. de mort. inf. Caeterum si in meo solo velis machinam ponere, non teneor interdicto, si jure te non patiar.* Optime verba haec a crisi aliorum vindicavit Vir Cons. C. A. Van Wachendorff *in Specimine saepius laudato cap.* 3. Explicare possis etiamsi non patiar te ponere: magis tamen placet alia significatio, quia *si* haud raro usurpatur pro siquidem, quandoquidem. v. Interpretes ad Caton. *Lib.* 1. *Dist.* 1. Add. Schrassert *in Trifol. p.* 12, et Forster. *in Obs. Subsec. Lib.* 1. *Cap. ult.*

§. 18. De eo quaeritur, si quis servum possidens alienum, (emtum forte, vel usucaptum, vel quacunque demum alia ex causa) eum, quem non ipse, sed alius rogatus fuerat manumittere, mortuus ad heredem, aut bonis publicatis ad creditores suos transmiserit, an hoc casu locus sit constitutionibus, iis puta, quibus cogitur quicunque, ad quem pervenerit servus, cui fideicommissa libertas relicta est, servum talem manumittere? Ita respondet Ulpianus in *L.* 26. *pr. de Fideic. Libert. Cum vero it, qui rogatus non est alienum servum manumittere, mortalitatis necessitate, vel bonorum publicatione, ad alium servum perduxit, magis opinor constitutionibus esse locum.* Conf. ejusdem JCti *L.* 24. §. 21. *eod.* Hoc modo si intelligas, clara esse omnia perspicies, id insuper cognosces, temere fe-

cisse

cisse Taurellum, qui *non*, quasi suspectam vocem, uncinulis inclusit, multo vero minus audiendum Cl. Best., qui *p.* 34. per odiosum transpositionis remedium corrigendum scribit: *qui rogatus est non alienum*, id est proprium.

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

TITULUS XXVI.

De Legitimis Heredibus.

§. 1. Intestatorum [a.] ingenuorum hereditates pertinent primum ad suos heredes, id est, qui in potestate sunt, ceterosque, qui in liberorum loco sunt. Si sui heredes non sunt, ad consanguineos, id est, fratres et sorores ex eodem patre. Si nec hi sunt, ad reliquos adgnatos proximos, id est, cognatos virilis sexus, per mares descendentes, ejusdem familiae: id enim cautum est lege duodecim Tabularum, [b.] AC SI INTESTATUS MORITUR, CUI SUUS HERES NEC EXSTABIT, ADGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO.

* Si adgnatus defuncti non sit, eadem lex duodecim Tabularum gentiles ad hereditatem vocat his verbis: [c.] SI GNATUS NESCIT, [d.] GENTILES FAMILIAM HERES HANC. Nec gentilia jura in usu sunt. *Ex Collatione Mosaicarum et Romanarum Legum Tit. ult.*

§. 2.

§. 1. [a.] *Ingenuorum.* Festinavit, credo, Vir Summus Jac. Gothofredus, cum scripsit in *Fontibus* 4. *Jur. Civilis*, *in Thes. Jur. Ott. Tom.* 3. *p.* 168. *Gentilitiorum* vocem in hanc *ingenuorum* in Ulpiani epitome hic loci ab Aniano fuisse mutatam, quippe qui, ut dixi ad libelli hujus titulum, rectius statuit alibi, neutiquam vero esse simile, Anianum, aut alium quempiam compilatorem, monumento huic manum admovisse, contra vero probabile admodum fieri, purum id putumque esse Ulpiani: In diversum forte an traxit Gothofredum testimonium Jo. Tilii, qui Fragmentum hoc vidisse se, ait, conjunctum caeteris Jurisprudentiae Romanae reliquiis illis, quas Rex olim Alaricus colligi jussit, quae pleraeque ab Aniano delibatae sunt, aut in compendium contractae, quae collectio medio aevo *Legis Romanae* nomine solebat insigniri, vid. Heinecc. in *Hist. Jur. Lib.* 1. §. 410. Verum enimvero argumentum istud, tantum abest, ut quidquam detrahat Opusculi hujus ponderi ac valori, ut contra id unice probet, in Occidente eam fuisse Auctoris Nostri nominis famam, tantamque scriptorum ejus exstitisse auctoritatem, ut jus ab illo traditum

§. 2. Si defunctus sit filius, ex altero filio mortuo jam nepos unus, vel etiam plures, ad omnes hereditas pertinet, non ut in capita dividatur, sed ut in stirpes, id est, ut filius solus mediam partem habeat, et nepotes quotquot sunt, alteram dimidiam: aequum est enim nepotes patris sui loco succedere, et eam partem habere, quam pater eorum, si viveret, habiturus esset.

§. 3. Quamdiu suus heres speratur heres fieri posse, tamdiu locus adgnatis non est: velut si uxor defuncti praegnans sit, aut filius apud hostes sit.

§. 4. Adgnatorum hereditates dividuntur in capita: veluti si sit fratris filius, et alterius fratris duo pluresve liberi, quotquot sunt ab utraque parte personae, tot fiunt portiones, ut singuli singulas capiant.

§. 5. Si plures eodem gradu sunt adgnati, et quidam eorum hereditatem ad se pertinere noluerint, vel, antequam adierint, decesserint, eorum pars adcrescit his, qui adierint. Quod si nemo eorum adierit, ad insequentem gradum ex lege hereditas non transmittitur: quoniam in legitimis hereditatibus successio non est.

§. 6.

ditum juxta cum Caji et Pauli commentariis, ac praecipue Codice Theodosiano sequi oportere voluerint. *Ingenuorum* vocem optime huc convenire sat multis demonstravit Schulting.

[b.] AC SI INTESTATUS. Malim *ast*, vel *at si intestatus*.

[c.] SI GNATUS NESCIT. Scriptum fuisse: *si agnatus n escit* dubium non est. Vide quantum hic auctoritatis accedat nostro, quem in plerisque sequimur, interpretandi modo, hoc est, per notas. Utrum exponas *non*, an *neque*, vel *nec*, eodem res redit. Per simplex N tria haec designata fuisse Magno ac Probus testantur.

[d.] GENTILES FAMILIAM HERES HANC. *Nec.* Hanc fuisse Ulpiani scripturam conjicio: *Gentilis familiam b ba nc nec*, hoc est, *gentilis familiam heres habeto*, vel, quod malo, *hanc habeto. Nunc nec* etc. H H utramque lectionem propositam notare docent Triumviri, qui de siglis scripserunt, NC pro *nunc* positum fuisse Magno probat. Nob. Rover in *Disput. Inaug. p.* 45. substituit *familiam habento.*

§. 2. Ampl. Meerman exhibet ex Charondae editione: *Si ex defuncto sit filius, et ex altero.* Corrigo: *Si defuncti unus sit filius, ex altero. . . Et* cur addatur nulla apparet necessitas, quam quippe particulam per ellipsin saepenumero omitti constat, vid. Schulting. *ad Tit.* 22. §. 26. *supra*, Forner. *Rer. Jur. Lib.* 1. *Cap.* 2. O. Arntzen. *ad Caton. Lib.* 1. *Dist.* 20. Hac ratione explicandam puto *L.* 17. *pr. D. pro Socio. Sed et socius*, ait Paulus, *qui alienaverit, contra pactionem accipit, committit, et tenetur societatis, aut communi dividundo judicio.* Ut verba obscuriora sibi visa restituerent, τα *accipit* et *committit* e textu ejicienda censent Catharinus *in Obs. et Conject. Lib.* 4. *Cap.* 15, et Jensius *p.* 129. Risisse dicas, nisi serio egissent, Basilicorum scilicet fidem advocantes. Optimus reddetur sensus, si post *alienaverit et* excidisse statuas, sive per geminationem velis adjungere, sive malis subaudire. Possis et, quod equidem praeferam, post *alienaverit*, subintelligere *si*. Qui accipit pecuniam, sive summam, qua res alienata sive vendita fuit,

 com-

§. 6. Ad feminas ultra consanguineorum gradum legitima hereditas non pertinet: itaque soror fratri, sororive legitima heres fit.

§. 7. Ad liberos matris intestatae hereditas ex lege duodecim Tabularum non pertinebat: quia feminae suos heredes non habent: sed postea Impp. Antonini et Commodi oratione in Senatu recitata id actum est, ut sine in manu conventione, matrum legitimae hereditates ad filios pertineant, exclusis consanguineis, et reliquis adgnatis.

§. 8. Intestati filii hereditas ad matrem ex lege duodecim Tabularum non pertinet: sed si jus liberorum habeat, ingenua trium, libertina quatuor, legitima heres fit ex Senatusconsulto Tertulliano: si tamen ei filio neque suus heres fit, quive inter suos heredes ad bonorum possessionem a Praetore vocatur: neque pater, ad quem lege hereditas, bonorumve possessio cum re pertinet, neque frater consanguineus. Quod si soror consanguinea sit, ad utrasque pertinere jubetur hereditas.

committit, et fraudem facit legi contractus.

§. 6. Materiam omnem de successione feminarum legitima eruditissime, ut solet, pertractavit, ac juris successum circa eam ubere demonstravit Cl. Wieling *in Lect. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 23. *sq.*

§. 8. De ratione scribendi, quae in hac similibusque vocibus obtinet, vid. Otto *ad Tit. J. de SCto Tertull.* et Menag. in *Amoenit. p.* 74. *sq.* Verius videtur, ne inter ipsos veteres certo constitisse, sed varie fuisse prolatum, *Tertyllianum* a nonnullis, ab aliis *Tertullianum*. Faciendum autem puto cum illis, qui, Imperatorem ducem secuti in §. 2. *J. Tit. c.*, Divi Hadriani temporibus SCtum hoc factum fuisse existimant. Confer Ottonem *ad* §. 2. *c.* et Bachium *in Hist. Jur. p.* 443.

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

TITULUS XXVII.

De Libertorum Successionibus, [a] *vel Bonis.*

§. 1. Libertorum intestatorum hereditas primum ad suos heredes pertinet: deinde ad eos, quorum liberti sunt, velut patronum, patronam, liberosve patroni.

§. 2.

a. *Vel Bonis.* Cum nihil quidquam memoretur hoc Titulo de bonis libertorum, quorum jus specialiter atque ex professo tractat Auctor *Tit.* 29., malim hoc loco rescribere: *in bonis*, ut accipiatur de successionibus in bonis libertorum. Τεχνολογίας ejusmodi novimus optimis quibusque scriptoribus fuisse usitatas.

§. 1. De libertorum testamentis haec Paulus *Sent. Lib.* 3. *Tit.* 2. §. 2. *Libertus*

§. 2. Si sit patronus, et alterius patroni filius, ad solum patronum hereditas pertinet.

§. 3. Item patroni filius patroni nepotibus obstat.

§. 4. Ad liberos patronorum hereditas defuncti pertinet, ut in capita, non in stirpes dividatur.

§. 5. Legitimae hereditatis jus, quod ex lege duodecim Tabularum descendit, capitis minutione amittitur.

tus duos patronos heredes instituit: alter eorum vivo liberto moritur: is, qui superest, contra tabulas testamensi bonorum possessionem recte postulat. Emendanda esse verba arbitrantur interpretes, propterea, quia heredibus institutis non datur contra tabulas possessio, vid. *L.* 13. §. 15. *sq. L.* 19. §. 1. *L.* 50. *pr. D. de Bonis Libert.* Rectius accipit P. Faber de heredibus institutis ex portione minore, quam quae debebatur ex edicto Praetoris. Sic interpretor: Contra tabulas possessio competit, si patronus vel plane non, vel ex minore parte quam oportet heres est institutus, vid. *L.* 3. §. 10. *D. eod.* in casu autem a Paulo proposito, si quidem spectetur tempus facti testamenti, minor portio relicta est: licet itaque ex post facto major facta fuerit ac justa forte portio patroni, ob id, quia alterius patroni defuncti portio ei accrevit, competit tamen ei, qui supervixit, contra tabulas possessio, quia legitimam portionem ex testamento non habet titulo institutionis, vid. *L.* 21. §. 2. *D. de Jure Patronatus.* Confer Anianum *d. l.*

§. 3. Intricatiora sunt Juliani verba in *L.* 13. *D. de Bonis Libert: Filius patroni exheredatus, quamvis* (malo *quando*, vel *quoniam*, rationem disces ex sequentibus) *nepos ex eo heres scriptus fuerit, bonorum possessionem contra tabulas paternorum libertorum accipere non potest*, (ob id quia per *nepotem ex eo*, hoc est filium suum, qui respectu patris est nepos, hereditatem accipit) *licet enim* (possis rescribere *etiam*, quae voces non raro permutantur, vid. Noodt *de Form. Em. Dol. Cap.* 7. et *de Usufr. Lib.* 2. *Cap.* 5. Praeferam tamen *etiamnunc*, quoniam ex Probo et Magnone constat utrumque vocabulum per EN scribi) *necessarius existat patri suo: nam* (corrigendum putat Grotius in Flor. Spars. *Non.* Substituo: *nam non*, id est, non tantum) *per semet ipsum, sed* hoc est, sed et *per alium ad hereditatem admittitur.* Et (forte *id*) *certe constat: si emancipatus filius exheredatus fuerit, et servus ejus heres scriptus, et si jusserit* (malim *is jusserit*) *servo hereditatem adire, et ita patri suo heres extiterit, non habebit contra tabulas paternorum libertorum bonorum possessionem.*

§. 4. Nescio an Ulpiani stilo conveniat magis *pertinet ita, ut*, vel *ut tamen*, per geminationem ita efficias, sic enim signabatur, teste Magnone, TM.

TITULUS XXVIII.

De Possessionibus dandis.

§. 1. Bonorum possessio datur aut contra tabulas testamenti, aut adversus tabulas intestati.

§. 2. Contra tabulas bonorum possessio datur liberis emancipatis, testamento praeteritis, licet legitima ad eos non pertineat hereditas.

§. 3. Bonorum possessio contra tabulas liberis [a.] tam naturalibus,

§. 1. Sic exhibet Meerman ex Charonda: *aut juxta tabulas, aut intestati.* Nec desunt tamen varia, eaque levissima, quibus vulgata scriptura adjuvetur, remedia. *Adversus* hic iterum pro *secundum* posuit Noster, confer quae dixi ad *Tit.* 7. §. 1. adde *Tit.* 20. §. 14. Certum id est ex §. 5. *h. t.* Perinde est, utrum scriptum opinemur *Itestati*, an *intestati*. I nota duo significat, *in* et *jure*, explico: *jure testati.* Malim tamen IN *testati* exponere *jure nostro testati*, aut IR., hoc est, *jure Romano*, signato scilicet testamento septem testium, civium Romanorum, signis, uti est in §. 6. *h. t.* Similis plane librariorum error apparet in §. 2. *l. de Success. Libert.*, ubi perperam legitur *intestatus*, cum exhiberi debuerat *jure*, aut *jure nostro testatus.* Expresse ibidem Theophilus ἐπὶ διαθήκῃ, adde de lectione illa Ampl. Ottonem ad *l. c.* Adjuvare haud parum videtur interpretationem propositam idem Paraphrastes ad *Tit. J. de Bonor. Possess.* §. 1., qui secundum tabulas bonorum possessionem his verbis exponit: ἡ *secundum tabulas*, ἣν χορηγεῖ πᾶσι τοῖς κατὰ νόμον γραφεῖσι κληρονόμοις. *Secundum tabulas* possessio est, *quam dat* Praetor *omnibus*, *qui jure ac legitime heredes scripti sunt.*

Quoniam tamen nominatim pluribus tractat Auctor in §. 7. *h. t.* de bonorum possessione intestati, praeferam equidem *tabulas A intestati*, hoc est, *tab. aut intestati.* Conf. Cujacium *h. l.*

§. 3. [a.] *Tam naturalibus, quam adoptivis.* In *L.* 1. *pr. D. de Bonor. Poss. contra tab.* dixit Auctor: *sive naturales, sive adoptivi.* De ὑστερολογίᾳ pluribus egimus alibi. Eo quoque referendam puto figuram orationis, quam Chiasmum vocant Grammaticorum filii, juris etiam interpretibus familiarem. Unum adferam exemplum ex *L.* 20. *pr. D. de Serv. Praed. Urb.*, ubi Paulus: *Si*, inquit, *moenianum in tuum inmissum habuero, aut stillicidium in tuum projecero.* Cl. D'Arnaudt in *Var. Conject. Lib.* 1. *Cap.* 2. per transpositionis caussam, quo emendandi genere nihil est in tota critices arte incertius, corrigit: *moenianum projecero, aut stillicidium inmissum habuero.* Credent ac sequentur, quibus probabilis fit ejusmodi sermonis permutatio. Eodem modo Pauli haec dicta accipio, quo vulgatissimum illud Imperatoris in *pr. Prooem. Instit. Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed et legibus oportet esse armatam*, ad quem locum plurima similia administrant Interpretes. Cicero *de Oratore Cap.* 32. *Oratorem*, ait, *non exstitisse unquam confirmo, nisi eum, qui tanquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit.* Adde Cujac. *Lib.* 14. *Obs.* 24.

[b.]

bus, quam adoptivis datur; sed naturalibus quidem [b] emancipatis; non tamen et illis, qui in adoptiva familia sunt: adoptivis autem his tantum, qui in potestate manserunt.

§. 4. Emancipatis liberis ex Edicto datur bonorum possessio, si parati sunt cavere fratribus suis, qui in potestate manserunt, bona, quae moriente patre habuerunt, se collaturos.

§. 5. Secundum tabulas bonorum possessio datur scriptis heredibus, scilicet, si eorum, quibus contra tabulas competit, nemo sit, aut petere nolint.

§. 6. Etiamsi jure civili non valeat testamentum, forte quod familiae mancipatio, vel nuncupatio defuit, si signatum testamentum sit non minus quam septem testium, civium Romanorum, signis, bonorum possessio datur.

§. 7. Intestati datur bonorum possessio per septem gradus: primo gradu liberis: secundo legitimis heredibus: tertio proximis cognatis: quarto [a.] familiae patroni: quinto [b] patrono, patronae; item liberis patroni patronaeve: sexto viro, uxori: septimo cognatis manumissoris, quibus per legem Furiam plus mille asses capere licet. Si nemo sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit: aut sit quidem, sed jus suum omiserit, populo bona deferuntur ex lege Julia caducaria.

§. 8.

[b.] *Emancipatis.* Geminata prima vocabuli littera efficies *etiam emancipatis*, quod hic rectius. E pro *etiam* positum fuisse Probus docuit.

§. 7. [a.] *Familiae patroni.* Admonet Schultingius in editionibus antiquissimis, si a paucissimis discesseris, vocem *patroni* desiderari. Omissis iis, quae uberius de eo disputant Commentatores, ita mihi dico videri: scripsisse puto Ulpianum: *quarto familiae*, intellexisse autem arbitror eos, quos eandem rem expliciturus Imp. in §. 3. *J. de Bonor. Possess.* ita describit: *tertio decem personis, quas extraneo manumissori praeferebat. . . . quinto tum quem ex familia.* Hoc modo si accipias optime consentientem habebis Ulpianum cum Imperatore. Quod si contra *patroni* addas, bis idem exponentem audis Ulpianum, qui *septimo* gradu possessionem tribuit *cognatis manumissoris.* Pro τοῖς *tum quem ex familia* substituendum esse censent plerique: *tanquam ex familia.* Codicum fidem secutus nihil muto, praesertim quia video solenne esse Praetoribus verbis illis *tum quem* novam periodum instituere, inspice sis *L.* 1. et 4. *D. Unde Legati*, adde *L.* 1. §. 2. *D. ut ex legib.* Consule de lectione verborum illorum Commentarios ad *h. l.* nec non Otton. *ad J. d. l.* et Fabrottum ad *Theoph. ad J. l. c.* Quod autem in MSS. veteribus superesse testatur Fabrottus *toum quem*, tribuendum credo antiquissimo pronuntiandi, forte et scribendi, mori, quo *u* per *ou* efferre fuerunt soliti, id quod etiamnunc consueverunt Germani.

[b.] *Patrono, patronae; item liberis patroni, patronaeve.* Exaratum fuisse opinor: *liberis patroni, patronae, Pve.* Certum est ex Magnone P designasse *parentem.* Ita de eo Justinianus *l. c. patrono, et patronae, liberisque eorum, et parentibus.*

§. 8. Liberis bonorum possessio datur, tam his, qui in potestatem usque in mortis tempus fuerunt, quam emancipatis: item adoptivis, non tamen etiam in adoptionem datis.

§. 9. Proximi cognati bonorum possessionem accipiunt, non solum per feminini sexus personam cognati, sed etiam adgnati capite deminuti: nam, licet legitimum jus adgnationis capitis minutione amiserint, natura tamen cognati manent.

§. 10. Bonorum possessio datur parentibus, et liberis intra annum, ex quo petere potuerunt: ceteris intra centum dies.

§. 11. Qui omnes intra id tempus si non petierint, ad bonorum possessionem sequens gradus admittitur, perinde ac si superiores non essent: idque per septem gradus fit.

§. 12. Hi, quibus ex Successorio Edicto bonorum possessio datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur, beneficio Praetoris. Ideoque, seu ipsi agant, seu cum his agatur, fictitiis actionibus opus est, in quibus heredes esse finguntur.

§ 13.

§. 8. Utrum legas *potestatem*, an, quod Meerman exhibet, *potestate*, nihilo differt, vid. ad *Tit.* 1. §. 8. *Uxorem in manum relinquere* dicit Noster *Tit. seq.* §. 1.

§. 12. Confer quae de fictitiis his actionibus observavit Schulting in *Exerc. ad Val. Max. Num.* 2. *ad verba: Tabulas testamenti.* Sunt autem Fictiones commenta a Prudentibus per interpretationes ac fori disputationes, aut a Praetoribus, quibus adjuvandi, supplendi, atque emendandi juris civilis potestas erat, mitigandi ac temperandi rigoris juris gratia ex aequitate introducta: Hinc jus commentitium eae appellantur Paulo in *L.* 20. *D. de Poenis. Si*, inquit, *poena alicui irrogatur, receptum est commentitio jure, ne ad heredes* ea *transeat: Cujus rei illa ratio videtur, quod poena constituitur in emendationem hominum, quae* emendatio *mortuo eo, in quem* hoc est, contra quem, cujus causa, *constitui videtur* emendatio, sive poena emendandi rei ergo, *desinit.* Convenientissime Paulus dixit: *constitui videtur*, hoc est, *fingitur.* Quod si enim rem recta reputamus via, non eo solum statuitur poena, ut emendetur delinquens, sed et eam praecipue ob causam, ut deterreantur alii poenae propositae exemplo. Quia tamen iniquum judicavere Jcti, heredes insontes praestare malefacta defunctorum, obtinuit ut poena non transgrederetur ad heredes, eo colore adhibito, quem refert Paulus. Faciendum putavi ut obiter verba exponerem, quo appareat, rectam esse lectionem vulgatam, ac neutiquam admittendas crises, quas instituunt nonnulli, de quibus consule Bynkersh. *in Obs. Lib.* 5. *Cap.* 16. Cicero in *Oratione pro Murena*, *Cap.* 13, quo loco ostentandae suae juris civilis scientiae causa, ultra quam par est, in eam prudentiam invehitur, quasi occupatam prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum, subridens formularum ineptias, quas vocat, *dignitas*, ait, *in ista scientia consularis nunquam fuit, quae tota ex rebus fictis commentitiisque constaret.* Hoc certum est fictionum plenum esse jus nostrum. Postliminii jus, et lex Cornelia nulli ignota. Omnium ore fertur *Lex* 7. *D. de Statu Hom.* Quid memorem traditiones brevis et longae manus? Plures alias fictionum species adsert Noodt in *Probab. Lib.* 3. *Cap.* 12.

§. 13.

§. 13. Bonorum possessio aut cum re datur, aut sine re: cum re, si is, qui accepit, cum effectu bona retineat: sine re, cum alius jure civili evincere hereditatem possit: veluti si suus heres intestato sit, bonorum possessio sine re est, cum suus heres evincere hereditatem jure legitimo possit.

§. 13. Interpretor: exempli gratia, si is, qui suus est, heres sit intestato, ac legitimus: hoc casu bonorum possessio est sine re, quia suum heredem hereditatem evincere posse legibus est comprobatum.

TITULUS XXIX.

De Bonis Libertorum.

§. 1. Civis Romani liberti hereditatem lex duodecim Tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit: ideoque, sive testamento facto decedat, licet suus heres ei non sit; seu intestato, et suus heres ei sit, quamvis non naturalis; sed uxor, puta, quae in manu fuit, vel adoptivus filius, lex patrono nihil praestat: sed ex Edicto Praetoris, si testamento facto libertus moriatur, [a.] aut ut nihil, aut minus quam partem dimidiam bonorum patrono relinquat, contra tabulas testamenti partis dimidiae bonorum possessio illi datur; nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat: sive intestato decedat, et uxorem forte in manum, vel adoptivum filium relinquat, aeque [b.] partis mediae bonorum possessio contra suos heredes patrono datur.

§. 2. In bonis libertae patrono nihil juris ex Edicto datur: itaque si intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet.

§. 3. Licet liberi sint libertae, quoniam non sunt sui heredes matri:

§. 1. [a.] *Aut ut nihil.* Lego: *aut ita ut nihil.*

[b.] *Partis mediae.* Nove a Capitolino *in Anton. Pio Cap.* 4. *medium* dictum putat Casaubonus pro alicujus rei dimidio. Adde *Tit.* 26. §. 2.

§. 2. 3. Hoc modo ex Charonda repraesentat Ampl. Meerman: §. 2. *In bonis liber-*

tri: obſtat patrono lex Papia Poppaea. Poſtea libertas quatuor liberorum jure tutela patronorum liberavit: et cum intulerit, jam poſſe eas ſine auctoritate patronorum teſtari, proſpexit, ut pro numero liberorum libertae ſuperſtitum virilis pars patrono debeatur.

§. 4. Liberi patroni virilis ſexus eadem jura in bonis libertorum parentum ſuorum habent, quae et ipſe patronus. Feminae vero ex lege quidem duodecim Tabularum perinde jus habent, atque masculi patronorum liberi.

§. 5. Contra tabulas autem teſtamenti liberti, aut ab inteſtato contra ſuos heredes non naturalis bonorum poſſeſſio eis non competit. Sed ſi jus trium liberorum habuerunt, etiam haec jura ex lege Papia Poppaea nanciſcuntur.

§. 6. Patronae ex bonis libertorum illud jus tantum habent, quod lex duodecim Tabularum introduxit. Sed poſtea lex Papia patronae ingenuae, duobus liberis honoratae, libertinae tribus, id juris dedit, quod patronus habet ex Edicto.

§. 7. Item liberis ingenuae trium liberorum jure honoratae eadem lex id jus dedit, quod ipſi patronae tribuit.

bertae. . . quoniam non ſunt ſui beredes matri. §. 3. *Obſtat patrono lex Papia Poppaea, . . .* Omiſſis Interpretum conjecturis, verbo dico ita mihi locum explicandum videri, conjuncto utroque §., nulla mutatione adhibita, ſola geminationis ope reſtituendum. *In bonis libertae patrono nihil juris ex Edicto datur:* nihil opus adjuvante Praetore, quum vel ipſis legibus XII. Tabularum deferatur memorata hereditas. *Itaque ſi inteſtata moriatur liberta, ſemper ad eum* patronum puta *bereditas pertinet*, ex jure Decemvirali, quod etiam locum habet, *licet liberi ſint libertae, quoniam* illi *non ſunt ſui beredes matri.* (auctore Probo expono: *matri. Interdum*; vox enim poſtrema per unam I ſcribebatur olim. Sin hoc nolis ſequentem vocem *obſt*AT interpretare *obſtat autem.* Conſule Magnonem.) *Obſtat patrono lex Papia PoppaEA* (id eſt *Poppaea, ea*) *poſtea libertas, quatuor liberorum jure tutela patronorum liberavit.* et reliqua.

§. 5. Reſcribendum, imo vero exponendum potius *naturales*. Confer Cujacium. I pro E in plurimis uſurparunt veteres. Ita *tris* pro *tres*, *pictai veſtis*, et *aulai*, *aquai*, *Druſo Caiſari*, *Antoniai*, ſimiliaque ſexcenta ſuperſunt in exemplaribus et monumentis antiquiſſimis. Vide Quintil. *in Inſt. Orat. Lib.* 1. *Cap.* 7. *Num.* 17. *ſq.* ibidemque Geſnerum.

§. 6. Scriptum fuiſſe ſuſpicor: *Patronae*†, hoc eſt, *patronae in.* Ita †E *in eum* deſignaſſe tradit Diaconus. Ignorantes librarii ut ſupplerent ac vocem effingerent, litterae quam pro *x* acceperunt, ex praecedenti voce addiderunt *e*.

E X

EX TITULO

* *De Injuriis.*

Injuria, si quidem [a.] atrox, i. [b.] gravis rerum, non sine [c.] ju-

Tit. de Injuriis. Pariator in Collatione *d. l.* sic exhibet: *Ulpianus Libro Regularis sub Titulo de Injuriis. Injuria, si quidem atrox, id est gravis rerum* etc. In serie operum a Jctis compositorum, quae Pandectis praemitti solet, memorantur *Ulpiani Regularion* (Graecam flexionem si Latine reddas habes *Regularum*) *libri septem*, itemque *Regularion liber unus*. Hoc loco cum non addatur libri numerus, juxta cum Pithaeo credo descripta esse haec ex Ulpiani libro singulari Regularum, quo nomine citatur is commentarius in inscriptione *L.* 17. *D. de Testib.* et *L.* 25. *D. de Obl. et Action.* Rescribendum itaque hic: *Libro Regularis.* hoc est, *Libro Regularum singulari.* Regularum libri qui dicantur ostendit pluribus Schulting. *in Jurispr. Antej. p.* 560, adde Ottonem *in Papiniano p.* 244. *sq.*

[a.] *Injuria atrox.* Qualis ea sit existimanda pluribus, iisque elegantissimis verbis persequitur Auctor in *L.* 7. §. 7. *et* 8, nec non in *L.* 8. *et* 9. *D. de Injuriis*, et alibi. Adde Paulum *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 4. §. 10.

[b.] *Gravis Rerum.* Gravem rerum injuriam accipio eam, quae plena est negotiorum, in qua conspirant res multae gravissimae, quando concurrunt res injuriosae plurimae: Finge, aliquem pulsasse hominem plebejum, tenetur iste actione levis injuriae; quod si vero ad necem verberaverit Praetorem in jure, est ea atrox et gravis rerum injuria. *Gravis* vocabulum injuriae optime adcommodatum, Ita Plin. *in Paneg. Cap.* 37. *gravissima injuria.* Apprime huc convenit Papiani responsum *Tit.* 5. *Est enim*, inquit, *gravis injuria, quae in publico, vel* (aut dicendum *vel* pro *veluti* positum, aut *veluti* rescribendum est. Facit notarum similitudo, quibus utramque vocem olim perscriptam fuisse Magno testatur, ut facillime permutari eas potuisse fiat manifestum.) *in foro* (addo per geminationem A, hoc est, *aut*, auctore eodem) *ab humiliore persona inlustriori infertur.* Neque vero insolentem dictionem esse suspiceris: *injuria gravis rerum.* Eodem certe modo *gravis morum* dixit Claudianus, exempla plura uberiore copia subministrat Eximius Grammaticus G. J. Vossius. Graecismis forte adnumerari possit, vid. Vechner *in Hellenol. Lib.* 1. *Cap.* 18. *Res* autem cum significet, quidquid poene subjecta materia desiderat, vid. Sanct. *in Min. p.* 806, hoc loco accipienda videtur pro factis atrocibus, aut, si hoc mavis, pro argumentis, qua notione *rei* vocabulum frequentissime venire docet Sclopp. *in Verosim. Lib.* 1. *Cap.* 4. Defendi posse vides lectionem vulgatam: quod si tamen verum fatear, pro eo quod nunc circumfertur: *gravis rerum*, ab Ulpiano credo fuisse exaratum *gravis rerum*, hoc est, auctore Probo, *res ejusmodi*, intelligere autem talem rem, quasi de in sequentibus agit, puta, si quis vulneratus fuerit, similevc. V. C. J. J. Struchtmeyer *in Animadv. Crit. p.* 80. pro *rerum* substituendum esse scribit *certum*, conjectura, ut mihi quidem videtur, non admodum probabili.

[c.] *Judicis arbitrio aestimatur.* Judicis arbitrium, quod intercedere debere hic tradit Jctus, accipiendum esse reor de summa aestimationis, qua condemnandus est reus propter injuriam atrocem. Judicem

S

judicis arbitrio aestimatur. Atrocem autem [d.] aestimare solere Praetorem: [e.] adque colligi ex [f.] facto, ut puta, si [g.]

cem intelligo certa formula a Praetore datum. Quaenam autem formula in injuriis obtinuerit, disces ex Paulo in *Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 2. §. 6. Competiisse autem Judici ejusmodi a Praetore dato facultatem definiendi summam, dubium non est: aperte Noster in *L.* 17. §. 2. *D. de Injuriis: Dandam mihi injuriarum adversus te, in quantum ob eam rem aequum judici videbitur.* Adde Papianum *l. c. Solutio vel vindicta pro facti ipsius qualitate in judicis arbitrio et aestimatione consistat.* Paucis rem omnem comprehendo: Judicis est aestimare summam, illud enim, quantum equidem memini, nullibi in jure Praetori tribuitur. Superioris est Magistratus, Praetorum videlicet, Proconsulum, Praefectorumque Praetorio, dijudicare, pronuntiare, ac jus dicere de eo, sitne injuria atrox, necne, itemque num vere injuriarum teneatur reus. Manifestum hoc ex *L.* 5. *C. ex quib. caus. inf. irrog. Si injuriam te fecisse Proconsul pronuntiaverit.* Add. *L.* 21. *D. de his qui not. infam. Praefectus nullam injuriam Lucium Titium passum esse a Gajo Sejo pronuntiavit.* Dein *certum* quoque, *an incertum dicat, cognitio ipsius Praetoris est*, teste Paulo *l. c.*, quippe qui ex eo formulam suam concipere fuit solitus. Certum autem quis dicat, idem JCtus his verbis exponit: *Certum*, ait, *dicit, qui suo nomine demonstrat injuriam, neque ita, ut per disjunctionem, hoc aut illud accidisse comprehendat, sed ut necesse habeat aut unam nominis suo re destinare, aut plures ita complecti, ut omnes eas accidisse cogatur probare.* Corrigendo loco depravato operam adhibet Idem Struchtmeyer *l. c. p.* 81. reponens: *unam nomine suo rem aestimare.* Propius ad Codicum scripturam accedit, ideoque rectior videtur Pithaei crisis *unam nomine suo rem designare.* Possis et *re* explicare *recte*, quae vox per simplex R. olim efficta fuisse Probo dicitur. *Unam* autem supple injuriam. Egregie Ulpianus in *L.* 7. §. 2. *D. de Injuriis* certum docet eo spectare, ut sciamus qualis injuria sit illata, levis scilicet, an atrox: veluti, si liberto patronus injuriam fecerit, datur injuriarum judicium, *si atrox sit injuria, quam passus est* libertus, *si sua, puta, si servilis.* Pro *sua* ingeniose, uti solet, *summa* substituendum conjecit Vir Magnus G. Noodt *Obs. Lib.* 1. *Cap.* 16. *Saeva* corrigit Ampl. Röver *l. c. p.* 23. Superest tamen quod dubium moveat, ita enim si scripsit Ulpianus, idem bis dixit, perinde enim est dicasne *atrox* an *summa* vel *saeva*. Nescio, an fortasse vindicari possit lectio vulgata: ita interpretor: *sive sua puta, sive servilis*, hoc est, sive a patrono ipso fuerit illata, sive a servis ejus. *Si* voculam hac, quam dixi, significatione aliquando usurpari ostendit Best. *p.* 66. Eo tamen num referri possit vulgatissimum illud *si Deo, si Deae*, quod exhibet Gellius *Lib.* 2. *Cap.* 28. dubito, cum in plerisque libris inveniatur: *sive Deo, sive Deae.* Hoc certum est in MSS. saepe voces illas confundi. Add. Cl. Toullieu *in Collect. p.* 304. *sq.* Evenisse puto exinde, quia exigua admodum differentia distat utriusque scriptura: *sive* enim per SV notatum fuisse Magno docet. *Suam* dixi me intelligere injuriam ab ipso patrono illatam. Pronomina *suus* et *is* promiscue a JCtis usitata fuisse, nulloque fere discrimine habita novimus. Exemplorum copiam largissimam ad nauseam usque suppeditat Jensius *in Stricturis*, apud quem utramque paginam facit haec ejus observatio. Add. Rygerbos *in Obs. Jur. Rom. p.* 17, Vryhof *in Obs. p.* 184, denique Obs. Miscell. Amstel. *Vol.* 1. *p.* 16. *Servilem* accipio, quam servus patroni intulit. Servi factum praestat dominus, nisi malit servum noxae dedere. Injuria autem servilis atrox est: *Quaedam injuriae*, inquit Ulpianus in *L.* 17. §. 3. *D. de Injur., a liberis hominibus factae levis nonnullius momenti videntur, enimvero a servis graves sunt.* Si quem offendat forte vox *nonnullius*, inspiciat is, quae de ea notavit Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 134. *sq.*

[d.] *Aestimare solere.* Subintellige *constat* simileve. Pari modo Paulus in *Coll. Leg.*

[g.] verberatus, vel vulneratus fuerit. *Ex Collatione Mosaicarum et Romanarum Legum Titulo* II.

Leg. Mos. et Rom. Tit. 4. §. 3. *licere interficere.* Usus ejusmodi infinitivi non praecedente finito Latinis Auctoribus est familiarissimus. Vide quos citat Vir Eruditissimus C. A. Van Wachendorff *in Diss. c. p.* 25.

[e.] *Adque.* Reponendum esse *atque* jam vidit Vir Ill. C. V. Vonck *in Spec. Crit. p.* 35. Pari modo in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 1. §. 11. *adque adparebat.* Permutata olim fuisse inter se D et T litteras demonstrarunt Forner. *in Thes. Jur. Ott. Tom.* 2. *p.* 138, Salmas. *ad Flor. Lib.* 1. *Cap.* 18. *Num.* 11, Sciopp. *de Art. Crit. p.* 45, Aus. Popma *de Usu Antiq. Loc. Lib.* 1. *Cap.* 3, aliique sexcenti.

[f.] *Facto.* Factum expono rem factam, circumstantias. Eodem modo Imp. in §. 9. *J. de Injuriis: Atrox*, ait, *injuria aestimatur vel ex facto, veluti, si quis ab alio vulneratus sit.* Adde Papianum *l. c. pro facti qualitate. Rem* alibi appellat Auctor Noster in *L.* 7. §. 8. *D. de Injur. Re atrocem haberi injuriam Labeo ait, ut puta si vulnus illatum, vel os alicui percussum.* Paulus in *L.* 8. *D. eod.* Vulneris magnitudo *atrocitatem facit*: quae omnia loca egregie vides cum hoc nostro conspirare.

[g.] *Verberatus.* Vel de ipso Praetore verberato vulneratoque haec intelligenda sunt, quod malo, vel ellipsis hic statuenda *τοῦ quis, homo*, similisve, qua de vid. Sanct. *in Min. Lib.* 4. *Cap.* 4. *Verberare* verbum Ulpianus in *L.* 5. §. 1. *D. h. t.* interpretatur: *cum dolore caedere*, malim *cum dolone*, quo modo restituendum esse proposuit Frater *ad Collat. Leg. Mos. et R. p.* 106. Sunt autem *dolones*, Isidorum audis *Etym. Lib.* 18. *Cap.* 1, *vaginae ligneae, inter quas latet pugio, sub baculi specie.* Confer Brisson. *de V. S. in v. Dolon.* Hinc descendit nomen teli, nostra lingua *Dolk* appellati. Plures *dolonis* significationes adfert Frater *d. l.*

E X T I T U L O

* *De Actionibus.*

§. 1. Actionum genera sunt duo: in rem, quae dicitur vindicatio: in personam, quae condictio appellatur. In rem actio est, per quam rem nostram, quae ab alio possidetur, petimus: et semper adversus eum est, qui rem possidet. In personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad fa-

§. 1. De Vindicatione supra quaedam notavimus: dicendum verbo de Condictione

faciendum aliquid, vel dandum: et semper adversus eundem locum habet.

§. 2.

ctione. *Condicere* prisca lingua *denuntiare* significasse scribit Imp. in §. 15. *J. de Action.*, indeque descendere notionem condictionis, qua pro actione in personam ponitur. Adsentior, modo accipias non dicam eam, quam scribere solebat actor, sed denuntiationem factam inter litigantes utrosque in diem perendinum, ut ad judicem venirent, quam pluribus exponit Asconius *in Verrem Orat.* 3. Quae a petitore fit denuntiatio *dica* et *dictio* nominari potest, *condictio* dici nequit, est enim condicere, simul dicere, hinc condictus dies Festo est simul dictus; stato eo condictoque die caussae fiebat conjectio, id est, uterque actor et reus conferebant, quae causae suae utile fore judicabant. Est ergo condictio mutua denuntiatio. Deinde etiam ex eo nominatas condictiones puto, quia in actionibus personalibus intercedebant sponsiones mutuae, vid. Sigon. *de Judic. Lib.* 1. *Cap.* 21. *p.* 479. *sq.* quae condictiones recte appellantur. *Dicere* enim non tantum est nude promittere, sed et solenniter stipulari. In jus vocatus, si se constituto tempore judicio sisteret, *sequi*, quod si contra detrectaret, suique copiam judici facere nollet, *fugere* dicebatur. Deducta utraque denominatio ex violento, qui ex jure duodecim tabularum olim obtinuit, in jus rapiendi more. Plinius ad Trajanum suum *in Paneg. Cap.* 36. *Dicitur*, inquit, *actori, atque etiam procuratori tuo: in jus veni, sequere ad tribunal.* Exempla plura suppeditat Brissonius *de Formul. Lib.* 5. *in pr.* Eo quoque referenda arbitror haec Pauli *in Sent. Lib.* 5. *Tit.* 37. §. *un. Quoties injusta appellatio pronuntiatur, sumptus, quos, dum SEQUERETUR, adversarius impendit, reddere cogatur.* Varie emendant Interpretes, temere profecto, ac perperam. Expono: dum sequi cogitur, dum non sua sed appellantis culpa lis protrahitur, dum vocatus sistere se ac respondere compellitur.

Majores nostri in jure inter se litigaturi coram testibus alter alterum ad Praetorem vocare citareque consueverunt, et, data acceptaque festuca vel ramo, mutuo sibi invicem fidem dare, certo se die staturos coram judice. Citatio haec ac solennis sponsio *adramitio* appellabatur. Descendit nomen a verbo *adframiare*, *aframiare*, et *adramire*, quo de pluribus exposuit Herm. Conringius *ad Capitulare Caroli Magni Art.* 31. *Operum Tom.* 6. *p.* 207., et in primis Eccardus ibidem allegatus. Plenissime de vocabuli hujus varia scriptura, etymo, et significatione egit Nob. C. Dufresne *in Gloss. Med. et Inf. Lat.* in v. *Adramire* et *Adramitio.*

Omisit auctor tertium, quod addunt alii, actionum genus, earum puta, quae mixtam causam obtinere videntur, quarum meminit Imp. in §. 20. *J. de Actionib.* Fecit Ulpianus more Jctorum solenni, qui in rerum divisionibus haud raro negligere consueverunt eas species, quae mixtam habent causam, easque cum simplicibus confundere, vid. Noodt *Prob. Lib.* 1. *Cap.* 12. et Otto *ad J. l. c. Num.* 7. Tum deinde non eodem omnes modo generum species distinguere Prudentes alias demonstravi. Neque tamen horum in classem referri oportere arbitror Caji divisionem, qui in *L.* 1. *D. de Jurejur. Juris*, inquit, *jurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiae.* Immerito queruntur Interpretes duarum tantummodo specierum mentionem injecisse Jctum, cum vel ex tituli rubrica triplex esse jurisjurandi genus appareat, vid. Merill. *Obs. Lib.* 13. *Cap.* 13. Quod si enim attente ac rite ipsa verba inspiciamus, dubitare vix possumus, voluntarium memorasse eum jusjurandum, quod ex pactione litigantium descendit, necessarium quoque indicasse, quod probante judice, adeoque auctoritate ejus pars parti in judicio defert, denique judiciale non praetermisisse, quoniam ex auctoritate judicis refert decidi controversias.

§. 2.


§. 2. Actionum autem quaedam ex contractu, quaedam ex facto, quaedam in factum sunt. Ex contractu actio est, quotiens quis sui lucri causa cum aliquo contrahit, veluti emendo, vendendo, locando, conducendo, et ceteris similibus. [a.] Ex facto actio est, quotiens ex eo teneri quis incipit, quod ipse admisit: veluti furtum, vel injuriam commisit, vel damnum dedit. In factum actio dicitur, qualis est (exempli gratia) actio, quae datur patrono adversus libertum, a quo contra Edictum Praetoris in jus vocatus est.

§. 3. Omnes autem actiones aut civiles dicuntur, aut honorariae. *Lex est* XXV. *D. de Obligationib. et Actionib.*

§. 2. [a.] *Ex facto. Ex maleficio* appellat Imp. in §. 1. *Inst. de Actionib. Ex peccato* nominat Modestinus in *L.* 52. *pr. et* §. 8. *D. de Obl. et Action. ex peccato*, inquit, *obligamur, cum in facto quaestionis summa consistit.* Movit haec causa Haloandrum, ut et hic *ex peccato* corrigendum esse statuerit, ausu nimis temerario et damnando. Interpretes Graeci, ne de lectionis veritate dubites, exhibent *απο φακτου*. Confer Gothofr. *h. t.* Caeterum post *veluti* in hoc §. subintellige *si.*

TITULORUM EX CORPORE ULPIANI

F I N I S.



INDEX

TITULORUM EX CORPORE ULPIANI.

INDEX

RERUM ET VERBORUM

IN CONTEXTUM

FRAGMENTI ULPIANI.

Numerus primus Titulum, secundus Paragraphum designat.

E.

Fraus.

Ita-

Lex

N.

Q.

R.

T.

—— de



COLLATIO
LEGUM MOSAICARUM
ET
ROMANARUM,

descripta ex Libris Moysis, et Commentariis variorum veterum Juris Auctorum, qui ante tempora Justiniani Imp. floruerunt,

Cum Notis

JOANNIS CANNEGIETERI.

„ Cum eſſe audio, qui egregiam illam, ſive Criticam, ſive
„ Grammaticam, aut ſi qua viliori appellatione iſti denotant, in
„ eluendis librorum turpibus maculis, rectaque Auctorum con-
„ ſtituenda lectione, operam vel damnant prorſus, vel ſaltem
„ elevant, quae a praeclariſſimis aevi hujus ingeniis ubique gen-
„ tium (humanitatem certe colentium) permagno litterarum
„ omnium bono impenditur, equidem harum peritos (qui pauci
„ ſunt, quamvis huic ſe numero inſerant plurimi) nimium quan-
„ tum demiror, indoctorum ac rudium vicem tacitus apud me
„ partim rideo, partim etiam, atque adeo ſaepius, doleo. Nec ceſſo
„ tamen interea, cum otium ſuppetit, in eo, cui me dudum ad-
„ dixi, caſtigationum ſtudio, tanquam ſtadio ad laudem aliquam,
„ cum voluptate animi non modica decurrere. Nam, uti ſum re
„ ipſa expertus, non improſpere, (quemadmodum ſentio) quam
„ ſit ille non modo non vanus atque inutilis, verum etiam com-
„ modus et felix ad Juriſconſultorum, aliorumque Auctorum ſen-
„ ſus intimos adipiſcendos labor, qui in librorum lectionis veritate,
„ qua ex vetuſtis membranis, qua ex ingenioſis atque ſubtilibus
„ conjecturis conſtituenda capitur, ita inſumi hunc ſolitum a ve-
„ tuſtis quibusque Doctoribus optimis, etiam Eccleſiaſticis . . . .
„ comperi. . . . .

Petr. Faber in Semeſtrib. Lib. 3. Cap. 12. in pr.

(a) COLLATIO LEGUM MOSAICARUM ET ROMANARUM.

TITULUS I.

De Sicariis, et Homicidis, casu, vel voluntate.

(a) COLLATIO. De Libelli hujus auctore, aut aetate, qua is vixit, nihil equidem habeo, quod promittam, certi: ab aliis dicta non est quod referam. Primus Collationem hanc ex Mandubiorum bibliotheca in publicum protraxit JCtus Egregius Petrus Pithoeus, Magni Cujacii discipulus. Denuo reddidit eam ex bibliotheca Pithoei, cujus etiam notas emendatiores adjectas esse prae se fert titulus, Samuel Broun, Bibliopola Anglus, Heidelbergae a se impressam anno 1656, cujus ex Praefatione, opusculo illi praemissa, vivo Pithoeo prodiisse editionem eam existumes, cum tamen constet jam anno 1596 eo abiisse Virum Praestantissimum, unde negant redire quemquam: vid. D. Nettelbladt *Histor. Litter. Jurid. p.* 91. Secutum in plerisque fuisse Editorem incertum a Pithoeo propositum exemplum, aut in notis ab eo exhibitas conjecturas manifestum est. Non pauca tamen sunt, in quibus ab utroque recedit. Quin novas aliquando ac caeteris libris non expressas lectiones subministrat: quas utrum ex suo ingenio depromserit, an ex exemplari, suo aevo reliquo, alioque ab eo, quo usus fuit Pithoeus, codice, descripserit, non constat. Schultingium, si inspiciendi illius copia fuisset Viro diligentissimo, dubitari non potest, fuisse additurum varias ab iis, quas ipse profert, membranis diversas lectiones. Hoc itaque negotium mihi datum esse existimavi, ut eas, quoties a communi divertunt, adjungerem. Secundam Parisiensem, itemque Leidensem editiones memorat Vir Celeb. Ant. Schultingius, qui, Pithoeum secutus, Fragmenta haec *Jurisprudentiae* suae *Ante-Justinianeae* inseruit *pag.* 719. Utriusque praeclarum ingenium ac singularem juris doctrinam approbant notae, quas addiderunt, eruditione solida commendatissimae. Novissime reliquiis his explicandis, illustrandis, emendandis operam suam adhibuit Franequeranae scholae Antecessor Hermannus Cannegieter, Frater meus dilectissimus, idemque Praeceptor meus summa pietate colendus, cui quidquid in juris arte profeci, quantulum illud cunque sit, si a Patre meo discesseris, uni me debere gratissimus profiteor, luci exposito *Commentario ad Fragmenta Veteris Jurisprudentiae, quae exstant in Collatione Legum Mosaicarum et Romanarum*, qui editus est Franequerae anno praecedenti. Sunt praeter hos plurimi, qui varia libelli hujus loca commaculata purgare, obscuriora expo-

§. 2. *PAULUS quoque libro quinto sententiarum, sub titulo ad Legem Corneliam de sicariis et veneficis, dicit:* Lex Cornelia poenam deportationis infligit ei, qui hominem occiderit, ejusque rei causa, furtive faciendi, cum telo fuerit: et qui venenum hominis ne-

vitio liberem Isidorum. *Presbyter*, inquit, *Hieronymus, trium linguarum peritus, ex Hebraeo in Latinum eloquium easdem scripturas convertit, eloquenterque transfudit: cujus interpretatio merito caeteris antefertur: nam est et verborum tenacior, et perspicuitate sententiae clarior, atque, utpote Christiana*, (hoc est, ab homine Christiano profecta) *interpretatione* (editio Basileënsis habet *interpretatio*, quod praeferam) *verior*. Pleraque, quae dicto capite tradit Isidorus, descripsit pro more suo plagiarius ex Augustini *l. c. Cap.* 15., et ex opere Ejusdem *de Civit. Dei Lib.* 18. *Cap.* 43. In errorem induxit compilatorem vox *Itala*, qua denotari opinatus versionem ab Hieronymo compositam, Augustini verba ad eam male transtulit, quem tamen Interpretis hujus operam, memoratae versioni adhibitam, non tanto pretio aestimavisse discere poterat ex ejusdem Auctoris commentariis *de C. D. l. c.* Unum addo, pro iis, qui in vulgatis Isidori editionibus ibidem exhibentur: *siquidem singuli in singulis separati*, plenius, rectiusque habere librum Basileënsem: *siquidem singuli in singulis cellulis separatim*: quam veram esse lectionem ostendunt Augustini verba, unde sua desumsisse Isidorum demonstravi.

§. 2. Ita Paulus de Poena Sicariorum et Veneficorum *in Sentent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. 1., itemque hoc §: *humiliores vero aut in crucem tolluntur, aut bestiis objiciuntur*, vel, quod perinde est, *subjiciuntur*. De iisdem tractaturus Marcianus in *L.* 3. §. 5. *ad L. Corn. de Sicar. humiliores enim*, inquit, *solent vel bestiis subjici, altiores vero deportantur in insulam.* Putant Raevardus et Schultingius Tribonianum expunxisse verba *in crucem tolluntur*, relicta tamen vocula *vel.* Vryhof in *Obs. Cap. ult. vel* exponit *etiam* Utriusque loci sententiam pluribus exposuit Frater in *Comm. Cap.* 2. Scriptum fuisse conjicio: *solent* A *bestiis subjici*, hoc est, *aliquando.* Accipe causam erroris. *Vel* per simplex V exaratum olim fuisse Magno docuit. *aliquando* per A designatum Valerius Probus testatur. Constat autem ex exemplis a Scioppio adlatis in *Art. Crit. p.* 57. haud raro in Codicibus MSS. confusas conspici litteras V et A.

Rationem haberi in poenis conditionis reorum notissimum est. Difficillimum est hac de re Modestini responsum in *L.* 16. *D. ad L. Corn. de Sic. Qui caedem admiserunt sponte, dolove malo, in honore aliquo positi, deportari solent, qui secundo gradu sunt, capite puniuntur. Facilius hoc in decuriones fieri potest, sic tamen, ut consulto prius Principe et jubente id fiat, nisi tamen tumultus aliter sedari non possit.* Aliorum explicationes proferunt Schulting. *ad Paulum in Sent. l. c.* et Voorda *in Elect. Cap.* 6. Qui mentio hic fiat specialiter de Decurionibus plectendis non video. Quum sermo sit in posterioribus de tumultu, certissimum videtur locutum hic fuisse Jctum de seditiosis. Quid si pro *Decuriones* substituamus *defectores*? Ita sane si rescribas, sensum habebis commodiorem, ac rei, qua de agitur, verbum convenientius.

§. 3. (a) *Praetor, Judexve quaestionis.* Missis aliorum sententiis, quorum amplissima de verbis his commentaria ad locum hunc scripta prostant, opinionem meam, quam potero brevissime, exponam, a caeteris longe diversam. Judicis appellationem novimus generaliter sumtam comprehendere ipsum quoque Praetorem, omnemque Magistratum superiorem, qui jurisdictionem habet, hoc est, quibus vi ac potestate juris sui de causis quibusque judicandi ac decidendi facultas competit, speciali vero notione Judices appellari, a Praetore, Magistratuve superiore datos, pedaneos, delegatos, quibus mandata est judicandi potestas, sorte electos. Hi

postea-

necandi causa habuerit, vendiderit, paraverit, falsumve testimonium dixerit, quo quis perisset, mortisve causam praestiterit. Quae omnia facinora in honestiores poena capitis vindicari placuit: humiliores vero aut in crucem tolluntur, aut bestiis subjiciuntur.

§. 3.

postea quam in legem jurassent ex certa quadam formula, rei adcommodata, de negotio dubio cognoscere fuerunt soliti, quarum formularum frequentiores fuerunt: *Si paret dari oportere*, *si justa causa esse videbitur*, alia. Huc puto respici in Edicto, quod exhibetur in *L. 7. pr. D. de Jur. Delib*: *Si pupilli pupillae nomine postulabitur tempus ad deliberandum, an expediat eum hereditatem retinere, et hoc datum sit: SI JUSTA CAUSA ESSE VIDEBITUR, bona interea diminui, nisi si causa cognita boni viri arbitratu, vetabo.* Per transpositionis remedium adjuvanda verba censet Cl. Voorda *in Interpr. Cap.* 23. *pr.*, ejecto insuper postremo *si.* Interpretor: si a Praetore postulabitur tempus ad deliberandum, isque Praetor judicem dederit ei causae, ut judex ille concedat tempus, *si justa causa esse videbitur*, judex autem datus justam causam esse pronuntiaverit, eo casu vetabit Praetor bona interea, hoc est, intra illud temporis spatium, quod ad deliberandum impertitus est judex, diminui, *nisi si causa cognita*, subintellige, quod passim omittitur, *sit*, aut, si id nolis, pro *si* repone *sit*, boni viri arbitratu. Vel tum itaque permittit demum bona diminui, etiam si causa fuerit cognita, si intercedat boni viri arbitrium. Judicis quale fuerit officium in cognoscenda causa vid. *L. 9. C. de Judiciis*, adde *L. 1. C. Th. eod.* et G. Noodt *de Jurisd. et Imp. Lib. 1. Cap.* 13 et 15. Selectorum judicum, hoc est, qui in album erant relati, quorum erat de rebus privatis secundum jus civile et propositam actionis formulam cognoscere et sententiam ferre, variae constitutae fuerunt decuriae. Vide Gell. *Lib.* 14. *Cap.* 2. ibique commentarios. Singulare est ac proprium quasi in lege Cornelia, voluisse Syllam, non quaesituros tantum Praetores, aut solos Judices, quibus forte quaestio obvenerat, sed cognituros simul conjuncta opera, et Praetorem, et Judices. Verba itaque §. hujus *ut is Praetor Judexve quaestionis . . . . . uti quaerat cum Judicibus*, sic expono, quasi dictum fuisset *judexque*, ita sc. ut omnes simul quaerant. Ταυτολογίας istiusmodi, sive repetitiones, in legibus antiquis non infrequentes esse sciunt quotquot vel oculo fugitivo eas unquam inspexerunt. Ita *Tit.* 4. *infr.* §. 2. *permittit pater . . . . ut is pater. . . .* Quod disjunctivam particulam pro conjunctiva positam apparet, novum non est. *Saepe* inquit Paulus in *L.* 53. *D. de Verb. sign. ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis.* Hac ratione explicanda puto loca juris varia, interpretibus difficilia ac corrupta visa. Unum adferam exemplum elegantissimum. *Si quis eum, de quo noxalis actio est, judicio sisti promiserit, Praetor ait, in eadem causa eum qui promisit exhibere*, (utrum legas *exhibere*, an *exhiberi* perinde est, subintellige autem *jubebo*, aut *ait* explica *jubet*,) *in qua tunc est, donec judicium accipiatur. In eadem causa sistere quid sit videamus: et puto verius, eum videri in eadem causa* (*sistere* revoca ex praecedentibus, modo loquendi vulgatissimo) *qui ad experiendum non facit jus actoris deterius.* Sponte fluere haec omnia animadvertis, ideoque opus non esse durissimo transpositionis remedio, quod adhiberi voluit Cl. D'Arnaudt *Conject. Lib.* 2. *Cap.* 6., neque etiam necessarium esse ellipsin hic statuere verti *oportet*. Vide *L. 1. pr. et* §. 1. *D. Si ex nox. caus. ag.* Quid *si servum in eadem causa sistere* (hoc est statuرum se. Praesens tempus pro futuro saepissime adhibetur in jure, more Graecorum, vid. Obs. Misc. Amstel. *Vol.* 3. *p.* 150. *se* pronomen omitti notissimum est. Consule Mollerum in *Dissertat. p.* 41.) *quidam promiserit, et liber factus sistatur?* Quaestionem ita decidit Ulpianus in *L.* 5. *D. eod.*:

§. 3. *ULPIANUS libro VII. de Officio Proconsulis, sub titulo de Sicariis et Veneficis:* Capite primo legis Corneliae de Sicariis cavetur, ut is [a] Praetor, Judexve quaestionis, cui [b] forte obvenit quaestio de Sicariis, ejus, quod in urbe [c] Roma propius mille passus factum sit, ut quaerat cum judicibus, qui ei ex lege sorte obvenerint, de capite ejus, qui cum telo ambulaverit, hominis necandi, furtive faciendi causa, hominemve occiderit, [d] cujus id dolo malo factum fuerit. *Et reliqua. Relatis verbis legis modo ipse loquitur Ulpianus:* Haec lex non omnem, qui cum telo ambulaverit, punit: sed eum tantum, qui hominis necandi furtive faciendi causa telum gerit, [e] coërcit, compescit. Item eum, qui hominem occidit, coërcit: nec adjecit cujus conditionis hominem, ut et ad servum, et peregrinum pertinere haec lex videatur.

§. 4. *Item PAULUS libro quo supra, et titulo, dicit:* Homicida est, qui aliquo genere teli hominem occidit, mortisve causam praestitit.

§. 5.

D. eod.: Si de ipso controversia est capitalium actionum, injuriarumque nomine, non recte sistitur, quia aliter de servo supplicium, et verberibus de injuria satisfit, aliter de libero vindicta sumitur, vel condemnatio pecuniaria. Pro *supplicium* rescribendum esse *supplicio* contendunt plerique, verba dein *de injuria* ejicienda arbitrantur. Sententias aliorum proposuit Cl. Vryhof in *Obs. Jur. Civ. Cap.* 6, qui ipse id operam dat ut Florentinam lectionem defendat. *Injuriarumque* accipio quasi dictum fuisset *injuriarumve.* Caetera sic restituo: *aliter de servo supplicium*, N *et* (hoc est, *aliter de servo supplicium* subaudi *sumitur*, quod mox sequitur. *Nam* et) *verberibus de injuria* (puta, si a servo ea fuerit commissa,) *satisfit, aliter de libero vindicta sumitur, vel* (hoc est *veluti*) *condemnatio pecuniaria*, aut, si hoc mavis, *condemnatioe pec.*, id est *condemnatione.* Servos, qui injuriam aut contumeliam fecerant, flagellis caesos, domino suo restitutos fuisse docet Cujacius *ad Paul. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 4. §. 22. Eadem, quam modo dixi, notione, *vel* particulam accipi forte oportet in his Modestini in *L.* 11. *D. de Pollicitat: Si quis ob honorem, vel:* hoc est, veluti: *sacerdotium, pecuniam promiserit, et ante quam honorem vel Magistratum ineat, decedet. Honoris* vocabuli significatio amplissime patet, ac tam sacerdotium complectitur, quam magistratum. Interpretor itaque: Si quis ob honorem aliquem, quisquis demum ille sit, pecuniam promiserit, exempli gratia, ob sacerdotium, et ante quam honorem sacerdotii vel magistratum ineat, decedat. Aliis quid visum fuerit consule Vryhof *l. c. Cap.* 24.

§. 3. (b) *Sorte* Quod legitur in Codicibus nonnullis, *fortem*, interpretatur Bynkershoek *Lib.* 4. *Obs. Cap.* 16. *per fortem.* Dixi ante *m* litteram perperam saepissime vocibus fuisse adjunctam. In sequentibus *qui ei ex lege*, *τὸ ei* omittit liber Heidelb.

(c) *Roma propius.* Malo per geminationem: *Roma a*, id est, *aut propius.* Jurisdictio Praefecti Urbi pertinuit usque ad centesimum lapidem, seu miliare, vid. *L.* 1. §. 4. *D. de Off. Praef. Urb.* Add. *Tit.* 14. §. 3. *infra.*

(d) *Cujus id dolo.* Reponi vult Schulting. *cujusve:* nihil muto, ante *cujus* subintelligo *si.*

(e) *Coërcit, compescit.* Aut dicendum subintelligi *et*, aut vox ultima explicationis

§. 5. *Item de casualibus homicidiis MOYSES legaliter dicit:* Si autem per inimicitias inmiserit super eum aliquod vas, non insidians, vel lapidem, quo moriatur, non per dolum, et ceciderit super eum, et mortuus fuerit, si neque inimicus ejus, neque quaesierit malefacere ei, judicabitis inter eum, qui percusserit, et proximum mortui, secundum judicia haec, et liberabitis percussorem.

§. 6. ULPIANUS *libro et titulo, qui supra relati:* Distinctionem casus et voluntatis in homicidio servari, rescripto Hadriani confirmatur. Verba rescripti: „ Et qui hominem occidit, absolvi „ solet, scilicet, si non occidendi animo id admisit: et qui non „ occidit, sed voluit occidere, pro homicida damnatur. E re „ itaque constituendum est * ex quo ferro percussit ipsa funditus: „ Nam si gladium [a] instrinxit, aut telo percussit, quid dubium „ est,

his gratia a Pariatore addita censenda est. Pro *coërcit*, nisi malis verbum hoc in secunda aeque ac tertia conjugatione fuisse usitatum, quo modo scriptum olim *cavet* et *cavit*, *fervet* et *fervit*, *possidet* et *possidit*, quod pluribus demonstrat Aus. Popma *de Usu Antiq. Loc. Lib.* 2. *Cap.* 11, facile reponi possit *coërcet*.

§. 5. Inspice Num. *Cap.* 35.

§. 6. Depravatissimam Codicum scripturam ita restituo: *E re itaque constituendum est*, (hoc est, poena decernenda, sententia reus absolvendus vel condemnandus est, pro re nata, ex rei circumstantiis decidendum est) *et* (hoc malo pro *ex*, quod hic non convenit: subaudi: constituendum est) *quo ferro percussit, ictu, fundisve:* (probabilem, nisi fallor, facit conjecturam hanc nostram, quod singulas species in sequentibus refert Ulpianus: *gladius* ad *ferrum* respicit, *telum* ad *ictum*, confer. §. 7. *sq. qui casu teli ferierit, ictus contemplari oportet.* Denique *lapis* ad *fundos* referendus est.) *Nam si gladium instrinxit, ant telo percussit, quid dubium est, quin occidendi animo percusserit? Si cum* (C litteram *cum* denotare auctor est Valerius Probus) *lapide percussit, aut cucuma, aut, cum forte rixaretur, ferro, percussit, sed non occidendi mente.* (Hoc modo distinguendum puto, confer. Noodt. *Prob. Lib.* 4. *Cap.* 7. Percussit quidem, vult Ulpianus, et occidit, eventum si spectes, animus tamen occidendi defuit.) *Ergo hoc exquirite, et, si voluntas occidendi fuit, ut homicidam ac servum supplicio eum jubete affici.* Interpretor: ut homicidam, atque ut eum, qui ex antiquo jure in servitutem redactus tum demum mortis supplicio puniri poterat.

(a) *Instrinxit, aut telo percussit.* In *L.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de Sic.* est: *strixeris, et in eo percusserit.* Pro *strixerit* Haloander substituit *strinxerit.* Aliis quid placuerit notant Interpretes *h. l.* Dubitari non potest non constitisse olim inter omnes unam eandemque temporis perfecti formationem. A *rumpo rumpi*, a *corrumpo corrumpi* deduxere JCti veteres. *Canui* pro *cecini* dixit Sallustius. Plura memorat Popma *de Ant. Loc. Lib.* 1. *Cap.* 12. *ta in eo* varie emendant nonnulli. Quid si accipiamus *in eo* homine puta, quae vox praecesserat. Percutere gladium vel gladio in aliquo, est, perfodere aliquem, capulo tenus abdere ensem in corpore hominis. Exempla non dissimilia cognoscere poteris ex Fabri Lexico v. *in.* Plerique Graeco loquendi mori tribuunt, quasi *in gladio percutere* idem significet quod *cum gladio.* Quod autem hac ratione *in* intelligendum censent in his Plauti *Aul. Act.* 3. *Sc.* 5. *v.* 12.

In pauciores avidos altercatio est.

non persuadent, siquidem ibi potius pro adversus vel contra vocula posita fuisse videtur. Hoc tamen certum est, praepositionem illam haud raro abundare. Ita Cicero *in Orat. pro Mil. Cap.* 5. *in caede occisus.* Adde Pomp. Melam *in Praef. Num.* 20. Vopisc. *in Aurel. Cap.* 36. *filiam.*

„ est, quin occidendi animo percusserit? Sic lapide percussit, „ aut cucuma, aut cum forte rixaretur, ferro percussit, sed non „ occidendi mente. Ergo hoc exquirite: et si voluntas occidendi „ fuit, ut homicidam servum supplicio * cum jure jubete affici.

§. 7. *PAULUS libro quinto, titulo quo supra:* Qui hominem occidit aliquando absolvitur: et qui non occidit, ut homicida damnatur: consilium enim uniuscujusque, non factum puniendum est. Ideoque qui cum vellet occidere, casu aliquo perpetrare non potuit, ut homicida punitur: et is, [a] qui casu teli ho-

liam occidit non in magna causa. Alia observarunt Heraldus *ad Arnob. p.* 37. *et* 67. Duker in *Opusc. de Lat. Vet. Jctor. p.* 360. Sciopp. *in Verosim. Lib.* 1. *Cap.* 4. Adde P. Paraeum *in Lex Crit.* Hac forte ratione vindicari, atque exponi possit Tusci Codicis lectio in *L.* 22. §. 5. *D. Fam. ercisc. Papinianus de re, quae apud hostes est, Marcellum reprehendit, quod non putat IN PRAESTATIONES ejus rei venire in familiae erciscundae judicium, quae apud hostes est: quid enim impedimentum est, rei praestationem venire, cum et ipsa veniat?* Textu eliminandum *τo in* existimant plerique. Modestius egit Vir Egregius in *Obs. Jur. Civ. p.* 124, qui *in* explicat *inter*, quo sensu vocem saepenumero adhibitam fuisse constat, sive usui id tribuas, sive notis adscribas. Vide Serv. *ad Virgil. Aen.* 4. v. 102. Adde Best *p.* 38. et H. J. Arntzenium *in Differt. ad L.* 2. *D. de in Jus voc. p.* 21. Pro *interea* vocabulum positum fuisse conjicio in *L.* 11. *pr. D. ut in poss. leg. Si mihi sub conditione legatum est, et tu medio tempore in possessionem ejus factus fueris.* Substituunt alii pro *factus*, *missus*. Lego *IA possessionem ejus nactus fueris*, hoc est, *interea poss.*, adstipulante Diacono, confer Magnonem et Probum. Quod si tamen neque haec placeant, pro *in* in *L.* 22. *c.* corrige *is*, scilicet Marcellus.

Revertor ad Ulpianum: *qui gladium instrinxit, aut percussit*, manifestare eum occidendi animum innuit. Itane ergo is, qui ensem nudavit, quod fit saepissime joci ludique causa, idem fecisse percutienti censendus est? Interpretor gladium in corpus inmisit, atque ita vulneravit, ut ferrum in corpus penetraverit. *Stringere* enim verbum, quod varias habet significationes pro vulnerare etiam usurpatum antiquis fuisse ex Virgilio ostendit Nonius *Cap.* 4. *Num.* 442.

§ 7. (a) *Qui casu teli.* Praeferam: *qui casu telo. Jctus* intelligo conatum feriendi, vulnerandique. Pro *ideo*, quod hoc loco vix quadrat, malim *interdum*, quod per ID notatum fuisse Diaconus scribit.

Et rei, et verborum pondere gravis est, huc autem loci convenientissima Saturnini sententia in *L.* 16. §. 8. *D. de Poenis. Eventus spectetur, ut a clementissimo quoquo facta: quanquam lex non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat.* Severe nimis egisse videtur Des. Heraldus *in Obs. et Emendat. Cap.* 1. *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *p.* 1313, qui duo verba foras ejicienda pronuntiat, substituendumque scribit: *eventus spectantur a clementissimo quoque*, *τo facta* ab alio in margine adscriptum textui postea male intersertum fuisse opinatus. Grotius *in Flor. spars.* corrigendum judicat: *ut aestimentur animo quoquo facta.* Aliorum conjecturas ne necesse habeam proferre fecit diligentia V. C. H. Noordkerk *in Obs. Dec. Cap. ult.*, qui singulorum opiniones optime examinavit ac discussit. In medio relictis Interpretum sententiis, quid mihi hac de re videatur brevibus proponam. Rescribendum puto: *Eventus spectatur:* (an *spectetur*, quod perinde est?) *at a clementissimo quoque et facta.* Vocabula *ut* et *at* permutata saepissime fuisse dudum pro-

hominem imprudenter ferierit, absolvitur. Quod si in rixa percussus homo fuerit, quoniam ictus quoque ipsos contra unumquemque

probavit G. Noodt *in Prob. Lib.* 1 *Cap.* 4. Adde Obs. Miscell. Amstel *Vol.* 3. *p.* 123. Hac ope restituenda forte lectio corrupta in *L.* 5. §. 1. *D. quis ordo in possess. serv.*, pro *sed ut quid noceas* emendando *sed ad*, vide Jensium *p.* 402, nisi malis *sed et*. Constat enim *ut* et *et* in MSS. antiquissimis non raro fuisse confusa. Consule Cl. Best. *p.* 28. *sq.* et Ampl. Rygerbos *in Obs. Jur. p.* 12. Pari modo pro his Papiniani in *L.* 49. §. 1. *D. de Fidejuss. et Mandat: Severior, et utilior est sententia* lego: *severior, at utilior.* aut, quod habent editiones nonnullae, *sed verior et.* Unam addo *L.* 22. §. 2. *D. de Jure Fisci*, in qua laudandum ac memorabile Pii Principis rescriptum his verbis exhibet Marcianus: *Lites donatas se non suscipere Divus Pius rescripsit, licet* (malo *licet et*) *bona relicturum se quis profiteatur, vel partem bonorum donatam non suscipere: et adjecit: et illum dignum fuisse puniri pro tam turpi tamque invidioso commento, et, nisi durum esse videbatur, in ultro venientem poenam statuere.* De re constat ex Paulo *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 12. §. 7. *et* 8. Obscuriora verba ita explico: Divus Pius rescripsit se non suscipere lites in perniciem privatorum fisco donatas, licet etiam quis fidem dederit, relicturum se bona sua fisco vel Principi, imo ne quidem suscipere se partem bonorum donatam ea lege, ut Princeps litem donatoris suam faceret. Adjecit quoque, illum etiam donatorem, quo de consultus fuerat Imperator, dignum fuisse puniri pro hoc commento: *at sibi* (sic repono pro *et nisi*) durum esse videbatur punire ultro se offerentem donatorem. Possis tamen et ita exponere ellipsi ac variatione temporis non infrequenti: et, nisi durum videbatur poenam statuere in ultro venientem, poenam se statuturum fuisse. Praesens infinitivi pro futuro positum fuisse aliquando exemplis demonstravit Pater *ad Avian. p.* 179. *col.* 1. *et p.* 213. *col.* 1. Particulam *et* in *L.* 16. *c.* addidi perspicuitatis gratia, tum quia facillimo negotio ea restitui potuit, *e* repetito ex ultima vocis praecedentis littera, *t* autem ex prima sequentis, *t* enim et *f* plurimum confunduntur, vid. Sciopp. *de Art. Crit. p.* 47. *et* 56, nisi tamen malis *quoque* dictum accipere pro *etiam*. *Facta* interpretor rem factam, circumstantias. Ita *atrocitatem facti* dixit Compilator *Tit.* 14. §. 3. *in fine.* Eadem notione vocabulo hoc usus est Modestinus in *L.* 7. §. 4. *D. ad L. Jul. Majest. Crimen*, inquit, *majestatis facto, vel violatis statuis, vel imaginibus, maxime exacerbatur in milites.* Mendosa esse verba nullus fere dubitat. Aliis, quid placuerit tradiderunt Noordkerk *l. c. Cap.* 9. Schulting. *ad Pauli Sent. Lib.* 5. *Tit.* 29. §. 1. D. Gothofr. *ad L. c.* et Best. *p.* 185. *Vel* positum opinor pro *veluti*, sive ita rescribendum putes, sive hoc sensu accipere malis, utriusque certe vocis exiguam esse scripturae differentiam ex Magnone constat, quamobrem persaepe pro *veluti* usurpatum fuisse videtur, confer. Best. *p.* 38. Statuas intelligo Imperatorum Divorum, imagines viventium. *Veluti* pro *vel* positum reor in *L.* 5. §. 3. *D. de Extraord. Cognit:* neque enim in aquae et ignis interdictione, deportationeve, libertas adimitur, sed sola civitas. Vide Ulpianum *Tit. XI.* §. 12. ibique commentarios. Pluribus dixi de hac lege *ad Ulpian. p.* 95. *col.* 1.

Ad sensum quod attinet verborum Saturnini, observari velim occurrere in *L.* 16. *c.* exiguum fragmentum, desumtum ex libro singulari, quo de poenis paganorum pluribus proposuerat. Praemissa fuisse a Jcto conjicio exempla nonnulla casuum ejusmodi, in quibus eventus spectari debuerat. Hac re defunctus, probatoque accidere aliquando, ut exitus sit attendendus, ita concludit: non equidem nego spectandum esse eventum, at a clementissimo quoque et facta, sc. spectantur, vel spectari solent, qua de ellipsi consule Perizon. *ad Sanctii Min. p.* 222, hoc est, at et hoc mihi concedi velim, in primis inspici debere facta, atque a cle-

que contemplari oportet, ideo humiliores in ludum, aut in metallum damnantur, honestiores dimidia parte bonorum multati relegantur. §. 8.

clementissimo quoque Principe ac Magistratu majore, (Judices enim a Praetore dati ex lege judicabant et formula) consideratum prae caeteris semper fuisse, quid factum fuerit, quo modo perpetratum facinus, quid praecesserit, quid rei causam dederit, quid deinde secutum fuerit mox factum, attente haec omnia pensitanda: quo loco, quo tempore, cui personae, a quo, quo telo. *Quanquam....* Respondet Saturninus argumento eorum qui rogitent forte: itane facta et rerum circumstantias anxie adeo ponderandas esse statuendum, cum sufficiat cum telo fuisse eum qui deliquit? non negat Jctus teneri talem, at tamen ita demum, si is dolo fecerit, idque factum demonstrare videatur. Rem paucis absolvam. Quanquam constet ex summo strictoque jure civili, ipsisque legum verbis, eadem poena afficiendum esse eum, qui cum telo fuit occidendi causa, qua punitur is, qui re vera hominem occidit, spectari tamen aliquando oportere arbitror rei eventum, imo vero inspici quoque debere autumo, quae ac quomodo res facta fuerit. Quid si enim caedes quidem commissa fuit, dolus tamen abfuit? quid si imperitia, casuve fortuito? leviorem certe, extraordinariam, aut nullam poenam his in casibus locum habere dicendum est. *Et ideo* addit in sequentibus hujus §. Jctus *apud Graecos.....* Quid multa? Eventum spectari vult Saturninus, at non solum, sed conjunctim cum factis, ut ita ratio habeatur utriusque. Quod si enim solum eventum, non facta attendi quis velit, aut contra facta unice non eventum spectari, non dubium est fore ut haud aequa poena afficerentur aliquando rei. En tibi casum, quem non multo abhinc annorum spatio interjecto, haud procul ab urbe patria contingere memini. Socii duo iter dum faciunt una, alter comitem suum, auri sacra fame impulsus, inopinatum ac nihil tale metuentem retro aggressus telo quodam tanta vi percussit, ut humi prostratus miser animam agere ac jam jam naturae debitum suum redditurus videretur. Improbissimus, perfidis avaritiae stimulis agitatus, hominem imbellem ferro confodit, ac plurima, eaque gravissima vulnera infert, spoliatum dein, enecasse se certo persuasus, frondibus obtecto lacero ac sauciato corpore, in fugam se proripit. Vulneratus sanguine madidus ac semianimis prorepit ad domum vicinam, et rem uti facta fuerat defert. Vindicatura se Divina ira ex fuga retrahi homicidam voluit. Interrogatus reus factum confitetur, sociumque se vulneribus ad mortem confodisse addit. Saluti pristinae restituitur praeter exspectationem sauciatus. Eventum spectabimus? absolvendus itaque homicidii poena reus. Absit a jurisprudentia nostra istiusmodi injustitia. Juste ac legitime eventum spectandum voluerunt Judices, at et factum omnino attendendum: crura fracta fuerunt latroni, addita insuper talionis poena, eodem puta quo comitem ferierat telo percussus sicarius, qui ita vulnerarat ut occideret, pro homicida itaque damnandus, vid. *L. 1. §. 3. D. ad Leg. Corn. de Sic.*

Exhibui casum, in quo considerari magis factum debuit, ideoque locum habere oportuit poenam ordinariam. Dabo exemplum delicti, quod, eventu spectato, extraordinarie fuit coërcitum. Incola regionis nobis vicinae certi spe praemii corrupto persuadet homini, ut summum ejusdem regionis Praefectum, dum in cubiculo suo tranquilla quiete frui eum cogitat, telo inmisso perfodiat. Fidem datam conductus servat, et glandem, quam vocant, plumbeam in dictum locum ex pacto jaculatur. Spem frustratus fuit eventus: praeter enim expectationem aberat Praefectus. Causa cognita gladius publice a carnifice supra caput reorum vibrandum, utrumque praeterea in ergastulum dandum per certum annorum spatium, ut manuum opera victum sibi quaererent, justissime censuere Judices.

Iis, quae hactenus disserui vehementer obstare reclamabunt, puto, quotquot in dis-

§. 8. *Item GREGORIANUS libro* IV. *ad Legem Corneliam de Sicariis et Veneficis, talem constitutionem ponit:* Imperator Antoninus A. Aurelio Herculano, et aliis militibus. Frater vester rectius fecerit, si se Praesidi Provinciae obtulerit: cui si probaverit, non occidendi animo Justam a se percussam esse, remissa homicidii poena, secundum disciplinam militarem sententiam proferet. Proposita prid. Kl. Febr. Laeto [a] bis Conf.

§. 9. *Item GREGORIANUS eodem titulo et libro, talem constitutionem ponit:* Imp. Alexander Aurelio Favio, et aliis militibus. Si modo, pro quo libellum dedistis, [a] non dolo praestitit mortem,

dissentientium partes abeunt, Divi Adriani rescriptum, quod exstat in *L.* 14. *D. ad Leg. Cornel. de Sic. In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* Verum enimvero facilis est, si quid video, responsio: *non* hic, uti centies alibi, intelligendum pro *non tantum:* exempla notionis hujus congesserunt Bynkersh. *Obs. Lib.* 4. *Cap.* 3. et Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 19. Dein et hoc notari velim, rescribere ibidem Imperatorem consultum de certo casu, in quo non tam spectari vult, quis fuerit eventus, quam quid facere reus destinaverit. Ampl. Bynkershoeck *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 10. *maleficia* exponit per eminentiam ita dicta, quae *veneficia* alias appellari consueverunt.

Caeterum et hoc certum est de voluntate ex factis plerumque constare: finge enim accusari aliquem hominem occidere voluisse, judex ex circumstantiis dignoscere debet, num ea voluntas manifesta appareat: quod si namque gladium quis verbi gratia strinxerit, eoque percusserit, dubium non est occidendi animum fuisse: secus est, si quis clavi percussit, vid. *L.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de Sicar.*

Idem dicendum existimo de verbis Pauli *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. 3. *Consilium uniuscujusque, non factum puniendum est*, conf. §. *hunc.* 7. Quin et intelligendum hic loci factum esse ejus qui *imprudenter* fecit, verba JCti indicant.

Rem omnem paucissimis comprehendam: Consilium non punitur, nisi accesserit factum, ex quo consilium manifestatur, *L.* 18. *D. de Poenis*: factum non vindicatur, nisi voluntas adfuerit; voluntas plerumque ex facti modo probatur: neque enim sufficit conatum quem fuisse, nisi et conatus conjunctus fuerit fini, vel quis usus fuerit mediis ad finem tendentibus. Exemplum habes in *L.* 5. *C. de Episcop.*, et *L. un. C. de Raptu.* Brevitatis studiosissimus alia mitto. De poena legis Corneliae egregie multa observavit Noodt *l. c.* De voluntate et conatu delinquentis haec mens est Forner. *Lib.* 2. *Select. Cap.* 10, et *Lib.* 3. *Rer. Quot. Cap.* 17. in levioribus conatum non puniri, in gravibus extra ordinem, in gravissimis poena ordinaria. Adde Taborem *de Conatu, Operum Tom.* 2. Solus animus quemadmodum aestimetur in criminibus, vid. Bynkersh. *in Obs. Lib.* 3. *Cap.* 10. Ex professo materiam hanc pertractavit S. V. Leeuwen in *re criminali*, Belgica lingua conscripta. Coeptum, licet nondum perfectum, crimen vindicandum multis probat Cujacius *Obs. Lib.* 15. *Cap.* 25 Perinde castigandum eum qui mortis causam praebuit, atque eum, qui occidit, Idem docet *Cap.* 26. *ibid.* Imo caedes non voluntate sed casu fortuito illatas puniri oportere, adeoque spectari solummodo exitum, tam ex jure Divino, quam civili defendere studet *Lib.* 19. *Obs.* 10.

§. 8. (a) *Bis Conf.* In Heid. est: II. *Conf.*

§. 9. (a) *Non dolo praestitit mortem, minime perhorrescat.* Sic interpungendum esse cum Cl. Bondam *in Var. Lect. Lib.* 1. *Cap.* 1. dubium non est, quo de non monuissem, nisi animadvertissem, esse, quibus crisis hic exercenda videtur.

§. 10.

tem, minime perhorrescat: crimen quippe ita contrahitur, si et voluntas occidendi intercedat. Ceterum ea, quae ex improviso casu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae imputantur. Prop. XIII. Kl. Aug. Alexandro Cons.

§. 10. *Item GREGORIANUS eodem libro et titulo, tale rescriptum dedit.* * [a] *Quod si dominum.* * [b] Habe Agato KN. Qualitas precum Juli Antonini clementiam nostram facile commovit: quippe quod asseveret, homicidium se non voluntate, sed casu fortuito fecisse, cum [c] calcis ictu mortis occasio praebita videatur. Quod si ita est, neque super hoc ambigi poterit, omni eum metu ac suspicione, quod ex admissi discrimine sustinet, secundum id, quod adnotatione nostra comprehensum est, volumus liberari. Dat. prid. [d] Kal. Dec. Dioclitiano A. IV. et Maximiano Conss.

§. 11. *ULPIANUS libro et titulo, quo supra:* Cum quidam per lasciviam causam mortis praebuisset, comprobatum est factum Taurini Egnatl, Proc. Baeticae, a Divo Hadriano, quod eum in quinquennium relegasset. Verba consultationis et rescripti ita se habent: „ * [a] em *. Inter Clodium, optime Imperator, et „ Euari-

§. 10. (a) *Quod si dominum.* In editione Heidelbergensi supra allegata, ita exhibetur: * *Quod si dnm.* * Conf. Eruditiss. Bonda in *l. c.* Nimium forte dedit Pithoeus conjecturae suae, qui *dominum* exposuit, propterea, quia DNM notam *dominum* notare ex Magnone didicerat. Geminata littera D, quae pro T millies posita, lectio prodibit aptissima: *quod sit dignum memoria.* D, aut, quod idem est, DN, *dignum* significasse testatur Valerius, M *memoriam* designasse uterque tradit, Magno, puta, et Probus.

(b) *Habe Agato KN.* Explico: *ave Agato*, vel *Agate*, *Karissime nobis.* Consule Fratrem *p.* 15.

(c) *Calcis ictu.* Accidit nostra memoria, ut ruricolae duo, in rixa dum essent, alter alterum manu comprehensum humo affligeret. In terra dum jaceret uterque, superior alter nihil quidquam contra niti sentiens inferiorem, discedit a pugna, et propius intuitus hominem animam efflasse intelligit. Adprehensus homicida carceri mancipatur. Examinato in cadavere strangulati indicia apparebant. Consulti Medici responderunt videri sibi vim factam non fuisse, sed, quia jam dudum difficultate spiritus laborasse defunctum compertum habebant, ex pressione corporis, dum supra jacuerat pugnans, impeditum fuisse atque interclusum anhelitum, et ex eo hominem strangulatum. Absolutus reus liber evasit. *Qui casu*, sic legendum viderunt alii, *magis quam voluntate, homicidium admisit*, ejus poena est lenienda. *L.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de Sic.* Imo vero omnino liberandus. §. 9 *et* 10. *h. t.*

(d) *Kal.* In Heidelb. est *Kl*, uti hic, sic et alibi pluries.

§. 11. (a) *Em.* Rescribo CM, quae expono: *claritas mea.* C *clarissimum* interpretatur Magno, M *mea* notare Diaconus scribit. Ita *clementia nostra* est in §. *praecedenti. Solertia tua serenitati nostrae retulit* exstat infra *Tit.* 15. §. 3. *Pietas, clementia nostra* est *Tit.* 6. §. 4. Simili modo *tranquillitas vestra* dixit Eutrop. *Lib.* 1. *Cap.* 12. ubi vide Commentatores. Valerius Maximus *in Praefatione ad Tibe-*

„ Euariſtum cognovit, quod Clodius Lupi filius in convivio, dum
„ ſago jactatur, culpa Marii Euriſti ita male acceptus fuerit, ut
„ poſt diem quintum moreretur: [b] adque apparebat nulla ini-
„ micitia cum Euariſti fuiſſet nec cupiditatis culpam coërcendum
„ credidit, ut ceteri ejusdem aetatis juvenes emendarentur. Ideo-
„ que Mario Euariſto urbe, Italia, provincia Baeticae in quin-
„ quennium interdixit: [c] decrevit et impendi cauſa duo milia
„ patri ejus perſolveret Euariſtus, quod manifeſta ejus fuerat pau-
„ pertas, [d] vel res. Verba reſcripti: Poenam MarI Euariſti
„ recte, Egn. Taurine, moderatus es ad modum culpae: refert
„ enim et in majoribus delictis conſilio aliquid admittatur, an
„ caſu. Et ſane in omnibus criminibus diſtinctio haec [e] poe-
„ nam aut juſtitiam provocare debet, aut temperamentum ad-
„ mittere.

§. 12. *MODESTINUS libro Differentiarum ſexto, ſub titulo de ſcien-*

berium: Si ... vates a Numine aliquo principia traxerunt, MEA PARVITAS eo juſtius ad favorem ſuum decurrerit, quod (ſic malo) *caetera Divinitas* Dii caeteri, Jupiter, Mercurius, alii, *opinione colligitur*, non adeo certa fide conſtat, quippe quam adſcitam a peregrinis a majoribus accepimus, *tua* Divinitas *praeſenti fide*, cui magis credere fas eſt, quia praeſentia tua non dubium facit Numen te eſſe venerandum, *paterno* Auguſti, patris adoptivi, *avitoque* Julii Caeſaris *ſideri par videtur. . . . Deos enim reliquos* quos colimus, *accepimus* ab Ilienſibus, Graecis, aliiſque, *Caeſares dedimus*, ipſi Deorum numero inſertos conſecravimus. Confer Commentarios ad *d. l.* GT pro *gravitas tua* ſignatum fuiſſe Magno teſtatur. Adjuvat conjecturam noſtram, quod ſequentia in tertia perſona efferuntur. *Clariſſima perſona per maritum facta* dicitur uxor Senatoris in *L.* 22. §. 1 *D. ad Municipal.* Proconſules *Clariſſimos* appellatos fuiſſe demonſtrat Guther. *de Offic. Dom. Aug. Lib.* 1. *Cap.* 5. Adde de *Clariſſimi* titulo L. A. Hambergerum in *Differtat. Jur. p.* 30. *ſ.* Pro *MarI* in Heid. eſt *Marii.*

(b) *Adque etc.* Heidelb. habet *adquae.* Corruptam lectionem hoc modo reſtituo: *At, quum apparebat nullā inimicitiā cum Euariſto fuiſſe*, *tm̄* (ita pro *tamen* exarare ſolitos fuiſſe docet Magno) *ic* (poſitum id eſt pro *hic*) *caliditatis* (niſi malis *calidae aetatis*) *culpam coërcendam credidit.* Caliditas eſt calor juvenilis. *Inconſultum calorem* appellat Paulus infra *Tit.* 4. §. 3. *Florente juventa fervidus* dixit Horat. *in Art. Poët. v.* 115. *Fretum adoleſcentiae* vocat Flor. *Lib.* 1. *Cap.* 26. *Num.* 9, ubi v. Interpretes.

(c) *Decrevit, et impendi cauſa.* Heidelb. exhibet: *decrevit ut impendii cauſa.* Reſcribo: *decrevit et ut impendii cauſa.*

(d) *Vel res.* Hoc eſt, *velim reſcribas.* vide Interpretes.

(e) *Poenam aut juſtitiam.* In Heidelb. proſtat: *poenam aut* * *juſtitiam.* Pro *poenam* ſubſtituo *poenarum*, adjutus MS. Charondae. Poena eſt modus caſtigationis legibus ſive in jure definitus, et ſtricta exſecutio coërcitionis ibidem ſtatutae. Ita *poenas dare* Floro *Lib.* 1. *Cap.* 21. dicuntur, qui merito ſuo juſtiſſimam vindictam fuere experti.

Alia ad §. hunc dedit Bynkersh. *Obſ. Lib.* 2. *Cap.* 5.

§. 12. *Generaliter* vocem neſcio an referri potius oporteat ad Modeſtini verba, quam ad Collatoris.

Praetor ait: quod vi aut clam factum eſt,

scientibus et ignorantibus generaliter loquitur. Nonnunquam per ignorantiam delinquentibus jure civili venia tribui solet, si modo rem facti quis, non juris ignoret: quae scilicet consilio delinquentibus praestari non solet. Propter quod necessarium est, addita distinctione considerare, utrum sciente, an ignorante aliquo quid gestum proponatur. *et reliqua.*

§. 13.

est, quae de re agitur, id, cum experiundi potestas est, restituas. L. 1. pr. D. quod vi, aut clam. Quid vi factum esse videatur exponit Noster *ibid.* §. 5. *sq.* Quis clam facere dicatur docet Idem in *L.* 3. §. 7. *et* 8. *d. t.* Eandem rem persequitur Venulejus in *L.* 4. *D. eod.*, ubi Servium refert arbitrari, *etiam eum clam facere, qui existimare debeat sibi controversiam futuram: quia non opinionem cujus et resupinam existimationem esse oporteat, ne melioris conditionis sint stulti quam periti.* Pro *esse* alii, Haloandrum secuti, corrigunt *sequi*, sunt et qui reponunt *prodesse*, consule Auctorem *Obs. Jur. Civ. p.* 38. Sine crisi, puto, lectio Florentina possit vindicari, si hoc modo interpretemur: Servius *putat* (quae vox repetenda ex §. ult. legis praecedentis, aut subaudi *dixit*, *ait*, simileve, quorum crebra est ellipsis, vide Patrem ad *Avian. p.* 189. *et* 202.) eum quoque clam facere, non modo qui vere existimat, persuasusque est ac certus controversiam sibi futuram, sed et eum, qui existimare debet litem exinde suborituram: en rationem: quia non debet hominis alicujus nimia esse securitas atque ignavia, non adeo quem negligentem esse oportet ac stupidum, ut nihil quidquam intelligat is. Paucis dicq: quia non excusatur tanta alicujus stupiditas, tantaque vecordia, veluti, si nesciat is, quod homines omnes non ignorant: quod si enim haec condonaretur, fieret ita, ut melioris conditionis essent isti, qui hebetis adeo atque obtusi ingenii sunt, ut nec ea sciant, quae unusquisque intelligit, quam illi, qui prae aliis sapiunt. Sciunt namque periti, ac mente percipiunt, prohibitum se iri, atque interdicto adversus se actum iri, si clam facere instituerint, eamque propter causam tenentur. Stulti contra, si excusaretur opinio et existimatio resupina, hoc est, securitas major, sive negligentia crassa, summa, remissior, non tenerentur, atque adeo impune peccarent. Constat eorum quae dixi veritas ex *L.* 3. §. 7. *et* 8. *eod.*, ubi eodem, quo in L. nostra 4. a Venulejo fit, modo distinguitur inter eum qui *timuit*, et *timere debuit*, qui *existimat* et *existimare debet*, dein utrumque ex interdicto obligari adjungitur. Confer praeterea *L.* 3. §. 1. *D. de Juris et fact. ign.*, quo loco ignorantia accipienda dicitur *non deperditi, et nimium securi hominis.* Huc facit quoque *L.* 6. *eod.*, ubi Venulejo inprimis suffragatur Ulpianus, *nec supina* inquiens *ignorantia ferenda est factum ignorantis..... Scientia hoc modo aestimanda est, ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit*, et reliqua. Adde Paulum in *L.* 15. §. 1. *D. de Contr. Emt. Ignorantia emtori prodest, quae non in supinum hominem cadit.* Agmen tandem claudat *L.* 9. §. 2. *D. de Jur. et fact. ign. Facti ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur: quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignoret? et recte Labeo definit: scientiam neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis accipiendam, verum ejus, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit.* Non inelegans exemplum suppeditat Ulpianus in *L.* 11. §. 3. *D. de Instit. Act.* Add. *L.* 43. §. 1. *D. de Contr. Emt.*

Facit materiae adfinitas, ut et de imperitia verbo differam. Ita de Medici imperitia noxia Ulpianus in *L.* 6. §. 7. *D. de Offic. Praesid. Sicuti Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita, quod per imperitiam commisit, imputari ei debet, praetextu humanae fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium*

§. 13. *PAULUS libro et titulo quo supra:* Qui telum tutandae salutis causa geret, non videatur hominis occidendi causa portare. Teli autem appellatione non tantum ferrum continetur, sed omne, quod nocendi causa portatum est.

Explicit Titulus de Sicariis, et Homicidis, casu, vel voluntate.

esse non debet. Ex notissimis millies in Pandectis obviae geminationis regulis scribendum arbitror: *imputari ei debet, et praetextu.* Verba legis priora per se clara satis, scrupulum movent posteriora, quapropter emendanda ea esse plurimi censuerunt. Consule Noordkerk in *Obs. Dec. Cap. ult.* Malim equidem interpretari hoc modo: Si quis Medicus, artem Medicam professus, per imperitiam lapsus fuerit, ac per hoc homini nocuerit, imputari debet Medico, qui in eo deliquisse est censendus, propterea, quod, non quidem dolo malo, sed amplius sperans de facultatibus suis quam in iis erat, curam imperitus in se suscepit, adeoque decepit, ac spe sua elusit homines morbi periculo laborantes: decepisse dico: quod si enim aegroti medelam non promisisset, alteri, forte peritiori, Medico, curandum se commisisset aeger: neque vero excusabit eum praetextus humanae fragilitatis, siquidem imperitia lapsum fuisse constat, non condonanda. Imperitia enim culpae adnumeranda *L.* 9. §. 5. *D. Locati.* Adde §. 6. *sq. J. de lege Aquil.* Si sola imperitia peccavit quis, levis aut extraordinaria poena locum habet, quod si vero dolus accesserit, aut culpa dolo proxima, gravissima, quin et capitalis poena infligitur; quo de postremo casu accipienda puto Pauli verba in *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. *ult.*

§. 13. Tutandae salutis causa non licet tantum telum portare, sed et hominem occidere lex permittit. Hinc Paulus *l. c.* §. 8. *qui*, inquit, *latronem, caedem sibi inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit, puniri non placuit: alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit.* Corrigendum censent nonnulli *publico jure*, alii *licito facinore*, sunt et qui *publico favore* substituunt. Nil muto: explico: defendit vitam et pudicitiam suam a facinore, sive delicto publico, hoc est, tali, quod criminibus publicis accensetur.

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

T I T U L U S II.

Incipit de Atroci Injuria.

§. 1. MOYSES *dicit:* Si autem contenderint duo viri, et percusserit alter alterum lapide aut pugno, et non fuerit mortuus, decubuerit autem in lectulo, et si surgens ambulaverit homo foris in baculo, sine crimine erit ille, qui eum percusserat: praeter accessionis mercedem dabit ei et medico impensas curationis.

§. 2.

§ 1. Sic ad h. §. Cel. Venema: *Exod.* XXI. *versioni ἀργίας respondeat, nec non pro* et *Pro* accessionis *legendum* cessationis, *ut Gr.* medico *legendum videtur* pro medico.

§. 2.

§. 2. *ULPIANUS libro Regularis sub titulo de Injuriis:* Injuria, siquidem atrox, id est, gravis rerum, non sine judicis arbitrio aestimatur. Atrocem autem aestimare solere Praetorem, adque collegi ex facto, ut puta si verberatus, vel vulneratus fuerit. *et reliqua.*

§. 3. *PAPIANUS libro Definitionum secundo, sub titulo de Judicatis:* Per hominem liberum noxiae deditum si tantum adquisitum sit, quantum damnum dedit, manumittere cogendus est a Praetore, qui noxae deditum accepit: sed fiduciae judicio non tenetur.

§. 4.

§. 2. De §. hujus verbis ac sententia pluribus dixi ad Ulpiani *Tit. de Injuriis.* Pro *Regularis* Heid. habet *Regulari*, item pro *collegi* dat *colligi*, pro *adque atque*, dein ante *atque* asteriscum ponit.

§. 3. Homo liber si noxiam, an noxam, commisisset, id est delictum, maleficium, (de vocabulis his consule Opusc. *de Lat. Vet. Jct. p. 15. sq.*) noxae dedi poterat. Idem enim jus, quod domino in servum, patri item in filium concessum est. Si quis noxam praestare nollet, mancipium, liberosve suos noxae tradere debebat, hoc est, corpus, aut hominem qui nocuerat. Qui grande aes alienum conflaverat, nec solvendo erat, creditori suo addicebatur in servitutem, eam, qua non vere servus fiebat, operas tamen traditus, addictusque praestare debebant, usque dum tantum exinde fuisset adquisitum, quantum damnum datum erat, aut debitum contractum. Invitos Praetor cogebat. Resarcito damno, expletoque debito, manu, hoc est, potestate dimitti ac liberari debebant addictus, ac noxae deditus. Si nexum solvere nollet dominus, intercedebat Praetor, et manumittere cogebat eum, qui noxae deditum, addictumve acceperat. Nihil pacti, nulla conventio locum habebat. Hoc unice quaerebatur, utrum satisfactum fuerit, necne. Fiduciae itaque contractus, qualis in pignoribus, emancipationibusque filiorum, solebat intercedere, non interveniebat. Aeque enim ut chirographum reddere cogi potest creditor, qui pecuniam mutuam dedit, soluto debito, ita simulac satisfit de damno dato, aut pecunia debita, liberandi sunt addicti ac dediti. Vides itaque fiduciae judicio teneri non posse, qui tales accepit.

Dixi de homine libero. Quod si servus furtum fecisset, aliamve quam noxam commisisset, dabatur contra dominum actio noxalis, ad id, ut dominus damnum datum resarciat, vel servum noxae dedat. *L. 1. et 2. D. et pr. J. de Noxalib. Actionib.* Quid vero, si quis neget in potestate sua habere servum talem? veluti si aufugit iste. Hoc casu Praetor aliquando concedit judicium sine noxae deditione. *L. 21. §. 2. D. eod.* Primam quam dixi, noxalis appellatur actio, tum quia ob noxam datur, tum quia deditio noxae fit. *L. 1. D. eod.* De eo videndum, illane actio quae datur ad exemplum actionis noxalis, sine noxae deditione, noxalis etiam dici possit. Et hoc verius videtur, posse. Datur enim aeque ex noxa ac delicto servorum, dein et competit ea, si servus, qui actionis tempore in potestate domini non fuit, postmodum esse coeperit, etiam postquam juratum fuit. *L. 21. §. ult. D. eod.* Olim quidem ipsum corpus noxae dari necesse fuit. Licet autem hodie Praetor aequitate permotus actionem proposuerit etiam sine noxae deditione, mansit tamen nomen actionis noxalis, exemplo aliarum actionum Praetoriarum, quae nomen retinuere actionis civilis, cui eae originem debent. Propter damnum injuria datum competit actio ex lege Aquilia directa, item utilis, denique in factum. v. §. *ult. J. de lege Aquilia.* Haec, quae in factum dicitur, a Praetore inventa

 est,

§. 4. *ULPIANUS* [a] *libro XVIIII. ad Edictum, sub titulo, si fatebitur injuria occisum esse in simplum, et cum diceret:* Rupisse eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis, vel loris, vel pugnis [b] cedit, vel [c] telo cum aliovis genere [d] cederet hominis corpus,

est, nihilominus tamen appellatur quoque ex lege Aquilia. v. *L.* 11. *D. Praescr. Verb.* Abstineo pluribus, ne in re vulgari otio abutar.

Praemittere haec oportuit, ut facilior esset intellectus verborum Pauli in *L.* 24. *D. de Noxal. Act. De illo videndum, utrum adversus eum tantum, qui dolo fecit, quo minus in potestate haberet, actio locum habeat noxalis, si ex dolo ejus acciderit, ut cesset noxalis actio, forte si servo suo fugam mandavit, an et si possit, nihilominus cum alio agi.* Pro *si possit* rescribendum esse *sic possit* nullus dubito. Utriusque vocis frequens est permutatio. Hoc modo interpretor: Illud inspiciendum est, utrum actio noxalis Praetoria, quae datur etiam sine noxae deditione, locum habeat tantummodo adversus eum, qui dolo fecit quo minus in potestate haberet, an et *sic*, hoc est, hac ratione, possit quoque agi nihilominus adversus alium: exempli gratia, si servus alienatus est, an et hoc casu agi possit adversus emptorem dominum? *quod est verius*, puta, agi posse. In dicto autem casu electio est actoris, quem contra velit actionem instituere. Neque tamen in eam quis descendat opinionem, dari actionem, quam dixi, noxalem omnimodo aut semper, quippe quae competit tantum, si ex dolo domini acciderit, ut cesset actio noxalis civilis directa. Vides defendi posse lectionem Florentinam, neque adeo opus esse, ut vim verbis inferamus, aut *non noxalis* substituamus. Aliorum conjecturas exhibet V. C. Rygerbos *in Obs. p.* 85. Quod si mutandum quid foret, mallem pro *cesset noxalis actio* reponi *cesset noxae deditio*, qui scripturae error tribui posset oscitantiae librariorum, quos rei minus attentos male saepenumero revocasse voces, quae proxime praecesserant, tum praecipue cum sonus verborum proprius accederet ad ea, quae scribi oportuerat, exemplis ante demonstravi.

§. 4. (a) *Libro.* Conjicio Titulum hunc ita plene constituendum: *Libro XVIIII. ad Edictum, sub titulo: Si fatebitur injuria occisum esse in simplum, et cum diceret non fecisse, in duplum.* Allegans titulum Pariator, non totum dedit, sed partem duntaxat, uti fieri saepissime solebat olim, solet et etiamnunc, addito fortasse, vel etiam omisso, signo, quo plura desiderari indicare voluit. Heid. exhibet *libro XIX*, dein ante *vel tumorem* asteriscum collocat.

(b) *Cedit.* Necesse esse non videtur, ut pro *cedit* cum aliis ex *L.* 27. §. 17. *D. ad leg. Aquil.* rescribamus *cecidit.* Ipsius forte Ulpiani est *cedit*, pro quo recte Tribonianus perspicuitatis causa substituit *cecidit.* Temporum in verbis flexiones, si pro perfecto sumas, ex Grammaticorum regulis praescriptas, non anxie semper observarunt ipsi veteres. Unum consule Nonium Marcellum *Cap.* 10., quod *de mutatis Conjugationibus* inscribitur. Confer sis Brissonium *in Pererg.* §. 25. *sq.* E autem et AE confusa fuisse non ignorant qui libros antiquos inspexerunt, in quorum plurimis rarissime aut nunquam *ae* usurpatum, verum *e* simplex ubique adhibitum prostat. Eundem usum ex Inscriptionibus discimus. *Que* pro *quae* est apud Murator. *Tom.* 3. *p.* 1289. *n.* 10. *Fortunate* pro *fortunatae p.* 1300. *n.* 4. Ibidem legitur *aeorum. Posterisque aeorum* exstat *p.* 1291. *n.* 10. *et p.* 1311. *n.* 1.

(c) *Telo cum aliovis genere.* Freherum secutus corrigo: *telorum aliovis genere.* Telorum genera varia sunt: est enim telum *omne, quod nocendi causa portatum est.* vid. supra *Tit.* 1. §. *ult. Telorum appellatione* inquit Paulus in *L.* 11. §. 1. *D. ad L. Jul. de Vi publ. omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiuntur.* Scriptum fuisse conjicio: *ex quibus* SCL, hoc est, *scilicet*, quo modo notam illam exposuit Diaconus.

(d) *Cederet.* Praeferam *ceciderit*, aut potius

pus, vel tumorem fecerit: [c] vel ita demum, si damnum datum est. De cetero si in nullo servum pretio viliorem deterioremve fecerit, [f] ad Aquiliam cessat, injuriarumque erit agendum. Ergo et si pretio quidem non sit deterior factus servus, verum sumptus in salute ejus et sanitate facti sunt, [g] in haec nec mihi videtur damni * Aquilia lege posse.

§. 5. *PAULUS libro singulari, et titulo de Injuriis*: Generaliter dicitur injuria omne, quod non jure fit. Specialiter alia est [a] con-

tius *scinderet*, ideo quia mox praecesserat *cedit*, vel denique *corpus us*.

(e) *Vel ita demum.* Malim et hic SCL, hoc est, *scilicet ita demum.*

(f) *Ad Aquiliam.* Lego: *Ac* (*Actio* his litteris designabatur a veteribus, sicuti refert Magno) *Aquilia* vel *Aquiliana.*

(g) *In haec nec mihi videtur damni Aquilia lege posse.* Restituo: *in haec et mihi videtur damni* C *Aquilia lege agi posse.* C pro *causa* olim scriptum fuisse docet Magno. Ea nota reparandam puto corruptam lectionem verborum Papiniani in *L.* 20. *D. de Compensat. Ob negotium copiarum, expeditionis tempore mandatum, curatorem condemnatum, pecuniam jure compensationis retinere non placuit, quoniam ea non compensantur.* Pluribus ad haec commentati sunt Matthaeus, Cujacius *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 23. et Hofman *in Meletem. ad D. in Praefat. et Differt.* 15. §. 7. Ita rescribo: *quoniam* C *ANN non compensatur*, duce Magnone explico: *quoniam causa annonae non comp.* Quod *et* pro *nec* posui, dura crisis non videbitur iis, qui voculas illas inter se saepissime confundi sciunt. Exemplis ante hac de re propositis unam addo *L.* 66. §. 7. *D. ad SCtum Trebell. Si sub conditione*, ait Cajus, *heres institutus sit, qui suspectam sibi hereditatem esse dicit, si neque difficultatem, neque turpitudinem ullam habet conditio, nec impendium aliquid*, (hoc est, nisi sumtuosa sit conditio, v. §. 8.) *jubendus est parere conditioni, et adire, et ita restituere: si vere turpis, aut difficilis sit conditio, aperte iniquum est cogi eum explere eam alterius gratia: sed et remitti eam ab initio visum est: plus enim tribui a Praetore ei qui fideicommissum petit, quam testator voluit, absurdum est: utique autem testator, nisi expleta sit conditio, neque scriptum heredem ad hereditatem vocavit, neque per hunc illi voluit restitui hereditatem.* Def. Heraldus in *Obs. et Emend. Cap.* 18. verba *remitti ab initio visum est* interpretatur: pro non scripta habetur. Insequentia dein *plus enim tribui* .., quae cum antecedentibus ita non cohaerent, per transpositionem collocat post §. 8. Huic opinioni adstipulatur, qui in plerisque Heraldum sequitur, Grotius in *Flor. Spars.* Lectionem depravatam puto sic restituendam: *sed nec remitti eam* turpem sc. aut difficilem conditionem, quae hodie solet remitti, ac pro non scripta haberi, *ab initio*, hoc est, olim, eo tempore, cum legata et fideicommissa aequo jure censeri solebant, atque adeo uti quamvis difficilis conditio expleri tamen debuit a legatario, ita quoque in fideicommisso idem obtinuit. Postea tamen aliud observatum fuit in fideicommissis, vid. §. 9 *et* 10. *eod.* Recte autem placuerat hoc antiquitati: est enim absurdum plus tribuere Praetorem ei, qui fideicommissum petit, quam ipsum testatorem, qui conditionem ejusmodi adjecit, habetque adeo, quod sibi imputet, si propter adscriptam talem conditionem difficilem adita, ac per hoc restituta non fuerit hereditas.

Iis, quas ad §. hunc 4. exhibui, conjecturis confer sis Commentarios Fratris *Cap.* 6., quem in nonnullis nobiscum sentire laetus perspexi, non exiguam exinde auctoritatem opinionibus nostris accedere arbitratus.

§. 5. (a) *Contumelia.* Depravatam scripturam vulgatam esse nullus dubitat, vide sis, an hoc modo antiquam ac veram redditam

contumelia, quam Graeci * ΑΔΙΚΙΑΝ vocant: nam cum Praetor noſter adverſum nos [b] pronuntiaret, injuriam nos accepiſſe dicimus Unde apparet non verum eſſe, quod Labeo putabat, apud Praetorem injuriam ΥΒΡΙΝ duntaxat ſignificare. * [c] Communem omnibus enim juris eſt, quod ſemper adverſus bonos mores fit, idque non fieri alicujus intereſt. Hoc edictum ad eam injuriam pertinet, quae contumeliae cauſa fit. Fit autem injuria vel in corpore, dum [d] caedimur: vel verbis, dum convitium patimur: vel cum dignitas laeditur, ut cum matronae, vel praetextatae comites

ditam exiſtimes: *alia eſt contumelia, alia*, (per geminationem vocem hanc repeto ex *contumelia*) *quam Graeci ἀδικίαν vocant: Nam cum Praetor non jure.* Ita optime pro *noſter* ex ſiglis reſtituit Schultingius, quam conjecturam adjuvat Codex Pariſienſis, qui in margine habet, credo interpretationis cauſa, *injuſte.* Eadem medicina ſanandam puto *L. 2. pr. D. de Except. Exceptio* ait Ulpianus *dicta eſt, quaſi quaedam excluſio, quae [inser] opponi actioni cujuſque rei ſolet, ad cludendum id, quod in actionem condemnationemve eſt deductum.* Vox *inter* abundare videtur pleriſque, ac propterea e textu eliminandam eam eſſe pronuntiant: ac ſane, ſi quid verum fateri volumus, faciliori opera defungi non poſſe quem certiſſimum eſt, quam ut quaſi ſuperflua abjiciat ea quae parum intelligit, obſcuris ſubjiciat vulgatiora. Vix tamen credo probari poſſe morem iſtum Viris eruditioribus, niſi demum iis in locis, ubi omnis deficit rem expediendi via. Alio tramite proceſſit Cl. Beſt. *p.* 273., qui pro *inter* correxit *ſemper*, at, ſi quid libere quae ſentio profiteri licet, durior et haec videtur criſis, quippe quae litterarum ductibus minime reſpondeat. Scriptum fuiſſe opinor II, quod *in jure* explicat Magno, aut IR, quod *jure Romano* deſignat, teſte Valerio, aut denique INT, quod *initio* exponit Diaconus. Conſtat enim, exceptiones regulariter initio litis, hoc eſt, ante litem conteſtatam oportere opponi. Notarum rudes librarii litteras illas acceperunt pro *inter*, quod per I ſcribi ſolebat. Pro *cludendum* legendum eſſe *eludendum* demonſtrant ipſi codices melioris notae.

(b) *Pronuntiaret.* Reſcribendum eſſe *pronuntiat*, *et* vel *etiam* dubium non eſt. Confer Fratrem *p.* 86. Propoſitas ad §. hunc emendationes haud parum juvare videntur verba Imp. in *pr. J. de Injur.* Idem cum Paulo docet Ulpianus in *L. 1. pr. D. de Injuriis*, cujus haec verba maniſeſtiſſimo vitio laborant: *Interdum iniquitatem injuriam dicimus: nam cum quis inique, vel injuſte ſententiam dixit: injuriam ex eo dictam, quod jure et juſtitia caret.* Sic corrigo atque expono: *Interdum iniquitatem* quamcunque *injuriam dicimus:* NM hoc eſt, *non minus* quam *cum quis* Praetor aut judex *inique, vel injuſte ſententiam dixit. Injuriam* *(id eſt, *exiſtimo* vide Magnonem) *ex eo dictam, quod jure et juſtitia caret.* Scio infinitivos tales poſſe ſuppleri per *conſtat*, *palam eſt*, ſimileve: malo tamen hoc loco addere verbum, quod ejusmodi ſigno notatum facile fallere potuiſſe ſcribae cujuſque diligentiam fit probabile, ob id praeſertim quia mox ſubſequitur non diſſimile *ex.* Non abſurde quoque in his Pauli pro *nam* aeque ſubſtituat quis *nec minus.*

(c) *Communem.* Reſcribo: *commune eñ* (hoc eſt, *enim*) *omnibus injuriis id eſt, quod. . . .* Quod autem *apud Praetorem* dicit Paulus, innuit Edictum ejus, quod de verbali injuria ita cavit: *Qui adverſus bonos mores convicium cui feciſſe, cujuſve opera factum eſſe dicetur, quo adverſus bonos mores convicium fieret, in eum judicium dabo.* v. *L.* 15. §. 2. *D. de Injuriis.* De reali quid edixerit Praetor v. *L.* 15. §. 25. *eod.*

(d) *Caedimur.* Heid. *cedimur.*

(e)

mites abducuntur. Injuriarum actio aut legitima est, aut honoraria. Legitima ex lege duodecim Tabularum: qui injuriam alteri facit, [e] quinque et viginti sestertiorum poena subit. [f] Quae lex generalis fuit [g] libero trecentos servos CL poenam subito sextertiorum.

§. 6. *Idem PAULUS eodem libro singulari, sub titulo: Quemadmodum injuriarum agatur:* Qui autem injuriarum [a] in quid aget, certum dicat, quid injuriae factum sit, et taxationem ponat non minorem, quam quanti vadimonium fuerit. [b] Certum dicit, qui suo nomine demonstrat injuriam: neque ita, ut per disjunctionem, hoc, aut illud accidisse comprehendat: sed ut necesse habeat, aut unam nominis suo re destinare, aut plures ita complecti, ut omnes eas accidisse cogatur probare. Certum autem an incertum dicat, cognitio ipsius Praetoris est. [c] Demonstrat autem hoc loco Praetor non vocem agentis, sed qualem formulam edat. Certum non dicit, qui dicit pulsatum, si sit verberatus: sed et partem corporis demonstrat, et quem in modum, pugno puta, an fuste, an lapide, sicut formula posita est: QUOD AULI AGERII PUGNO MALA PERCUSSA EST. Illud non cogitur dicere,

(e) *Quinque.* Reponendum puto: *quinque et viginti assium poenā* (hoc est, *poenam*) *subito*, aut potius *qua qui injuriam.... poenam subit.* Observarunt et alii scripturae errorem natum fuisse ex discrimine exiguo, quo distant inter se notae *assium* et *sestertiorum.*

(f) *Quae lex generalis fuit.* Tam ratione habita hominis liberi, quam servi respectu.

(g) *Libero.* Hiatum sic suppleo: *si ossa fregit, liber homo CCC, servos CL poenam subito assium.* O pro U positum fuisse saepissime veteribus pervulgatum est. In Florentino Codice vestigia supersunt sat multa. v. Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 91. Van de Water in *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 12. Noordkerk in *Obs. Dec. Cap.* 1. *p.* 19. Best. *p.* 11. De re constat ex Commentariis Interpretum ad leges XII. Tabb.

§. 6. (a) *In quid.* Malo cum Pithaeo *inquit*, puta Praetor. Promiscuus litterarum D et T usus plurima scripturae vitia induxit. Exemplo sit *L.* 1. §. 2. *D. de Dolo Malo*, in qua Ulpianus, postquam doli mali definitionem ex Servii sententia proposuerat, (quam exposuerunt Perrenonius et Freherus *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *p.* 618. *et* 914.) *Labeo autem*, addit, *posse et sine simulatione id agi, ut quis circumveniatur: posse et sine dolo malo aliud agi, aliud simulari: sicuti faciunt, qui per ejusmodi dissimulationem deserviant, et tuentur vel sua, vel aliena.* Scrupulum movet vox *deserviant.* Exhibitis aliorum opinionibus Cl. Hofman in *Meletem. ad h. l.* sibi videri indicat legendum *deferunt.* Quod si *deservire* vocabulum pro tempori inservire usitatum fuisse, demonstrari posset, in vado res esset, neque difficultatis quidquam superesset, at vero cum ejus rei auctoritas deficiat, aliud investigandum est remedium. Facillime autem, credo, restitues sensum optimum, si mecum corrigas T' *serviant*, hoc est, *tempori serviant*, secundum Probum et Magnonem.

(b) *Certum dicit.* Dixi de his verbis ad Ulpiani *Tit. de Injuriis.* Heid. expressit: *aut unam nomini suo rem destinare.*

(c) *Demonstrat autem hoc loco.* Interpre-

cere, dextra an finiſtra, nec qua manu percuſſit. [d] Ita ſi dicat infamatum ſe eſſe, debet adjicere, quemadmodum infamatus ſit. Sic enim et formula concepta eſt: QUOD NUMEDIUS NIGIDIUS [e] ILLUM INMISIT AULO AGERIO INFAMANDI CAUSA.

§. 7.

terpretor: non ideo in verbis mox propoſitis certum dici vult Praetor, ut certam formulam ſe requirere demonſtret ab agente, ſed magis propterea, ut ipſe ſecundum factam demonſtrationem edere poſſit formulam, ex qua judex datus judicet: veluti, ſi apparet Auli Agerii pugno malam illius percuſſam eſſe. Pro *mala* Heid. repraeſentat *mola*. Offenduntra *nec qua manu*: praeſtet forte *et qua manu*, hoc eſt, *id eſt*. Poſſis tamen interpretari *dextra an ſiniſtra* parte corporis, aut mala: haud abſurde etiam legeretur *dextram an ſiniſtram*.

(d) *Ita.* Aut expono ita et, aut lego *item*.

(e) *Illum.* Praeſtet forte *Syllam*, quod nomen fictitium ſit. Syllam Liviae Auguſtae libertum memorat inſcriptio apud Murator. *pag.* 1014. *num.* 6. et 1618. *n.* 30. Salmaſius ſubſtituit *carmen emiſit*. De vocis hujus ſignificatione conſule Patrem *in Reſcr. Boxborn. de Cat. p.* 784 *et alibi*. *Carmen facit*, verba ſunt Pauli in *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 4. §. 15. *non tantum, qui ſatyras et epigrammata, ſed illegitimam inſectandi alicujus cauſam, quidve aliud alio genere componit.* Mutandum cenſet Schultingius: *ſed et illegitimum, inſectandi cujus cauſa, quid aliud alio genere componit.* Struchtmeyer in *Obſ. p.* 78. pro *illegitimam* corrigit *elegiam*. Conf. Fratrem *in Comm. p.* 303. *Sed* expono *ſed et*. Verba dein ſic interpretor. Sed et qui componit aliquid, ſcribitve, quod cauſa foret, legibus vetita, alicujus inſectandi: quod ſi enim cauſam fortaſſe contineat, quam ſcire intereſt Reip., aliud foret dicendum, tum enim legibus hoc permittitur: quive denique componit quid aliud, quicquid illud ſit, ſive carmine, ſive quo alio genere. Notiſſimum eſt adhibuiſſe haud raro Jctos verba, quae ſingulis rebus applicari recte non poſſunt, pluribus vero addita ſenſum commodum efficiunt. Unicum adferre liceat exemplum ex *L.* 6. §. 2. *D. de Arbor. furt. caeſ.* *Si arbor*, inquit Pomponius, *in vicini fundum radices porrexit, recidere eas vicino non licebit, agere autem licebit non eſſe ejus, ſic uti tignum, aut protectum inmiſſum habere. Si radicibus vicini arbor aletur, tamen ejus eſt, in cujus fundo origo ejus fuerit.* Paucis dabimus ſenſum verborum, quoniam video eſſe, qui mutanda, imo, quod gravius puto, tranſponenda ea arbitrantur. Si arbor, in Titii fundo collocata, radices explicuerit uſque in fundum vicini, Titio non licebit radices eas recidere, quum tamen iniquum ſit, Titii fundum, qui nullos exinde fructus percipit, vicini arborem alere teneri, agere poteſt Titius, non eſſe ejus arborem, ratio enim non permittit, *ut alterius arbor eſſe intelligatur, quam cujus in fundum radices egiſſet.* *L.* 7. §. *ult. D. de Acquir. rer. dom.* et §. 31. *J. de Rer. div.*, eique jus non eſſe eam habere arborem, eodem plane modo, quo nec tignum habere licet alterius domo invito vicino inmiſſum, aut protectum habere, vid. *L.* 29. §. 1. *D. ad L. Aquil.* Si, hoc eſt, etiamſi arbor aletur ex radicibus vicini, tamen ejus eſt, in cujus fundo primum poſita fuit, ita tamen, ſi annus praeterierit, non alias, v. *L.* 22. *pr. D. quod vi aut clam.* Objicient forte nonnulli perperam in ſuperioribus de inmiſſo protecto ſermonem fieri, vide Cl. D'Arnaudt *in Conject. Lib.* 1. *Cap.* 2. Reſpondери poſſet *projecta* et *protecta* in jure aliquando permutari, verum non tali effugio res indiget, cum manifeſtum ſit juris noſtri, alioſque probatiſſimos auctores duabus pluribusve vocibus conſueviſſe unicum addere verbum, quod uni tantummodo reſponderet, omiſſis caeteris, quae reliquis conveniebant. Plura in hanc rem affatim attulere Interpretes ad Florum

§. 7. *PAULUS libro Sententiarum, sub titulo ad legem Corneliam de Sicariis et Veneficis:* Causa mortis idonea non videtur, cum lae-

rum *Lib.* 3. *Cap.* 21. add. Cl. Schroder *in Obs. p.* 248.

Videndum restat verbo de *L.* 22. *pr. D. quod vi aut clam*, quam mox citavi. *Si vitem meam*, ait Venulejus, *ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis, eaque in fundo tuo coaluerit, utile est interdictum quod vi aut clam intra annum: sed si annus praeterierit, nullam remanere actionem, radices, quae in fundo meo sint, tuas fieri, quia hit accessiones sunt.* D'Arnaudt *l. c. Cap.* 1., Hotomannum, aliosque secutus, pro *deprehenderis* substituit *depresseris*, pro *meo sint*, *tuas* reponit *tuo sint*, *meas*, aut potius: *et radices quoque, quae in fundo meo sint*, . . . Catharinus in *Obs. et Conj. Lib.* 3. *Cap.* 41. emendari vult *depegeris*. Si quid mutandum foret, ita restituerem, vi majore non adhibita: *DP deprehenderim*, hoc est, *depositam depr.*, consule Diaconum, aut, si id mavis, *depressam deprehenderim*, vox prior forte, cum celeriter dictaretur, effugit scribentis memoriam, quoniam sequens eundem sonum formabat. Vitem *depositam*, *depressamve* intelligo, cujus rami, ex vicini viti recisi, fundo meo inseruntur. Sat commodam tamen interpretationem admittere lectionem vulgatam animadvertes, si ita exponas: Si deprehenderis, hoc est, detraxeris vitem meam, sive potius ramum ex vite mea in fundum tuum, eaque jam in fundo tuo depressa atque terrae inserta radices egit, intra annum contra te experiri possum interdicto, elapso anno nullam actionem superesse respondi, et radices quoque, licet in fundum meum eae porrexerint, tuas fieri, quia hae sunt accessiones his vitibus, adeoque sequuntur illum, ad quem pertinet vitis, quod est principale. *Et* per ellipsin saepenumero omitti docuerunt Schulting. *ad Ulpian. Tit.* 22. §. 25. et Forner. *Rer. Jud. Lib.* 1. *Cap.* 2. Remotas credo difficultates, sublatasque antimonias, quas in iis, quae explicui, locis statuunt plerique. Unum addo, temere Cel. D'Arnaudt *l. c.* in §. 31. *J. de Rer. Div.* in his: *adeo autem ex eo tempore, quo radices agit planta* corrigendum censere *egit*: vulgo enim notissimum est, tempora verborum saepiuscule permutari, praesens praesertim pro perfecto centies adhiberi. Vid. Cl. O. Arntzenium *ad Caton. Lib.* 1. *Dist.* 31. *p.* 119. E contra perfecta, praesertim infinitivorum verborum, quae vocant, deponentium pro praesenti frequentissime adhibentur. Vid. Pater *ad Avian. Fab.* 203. *v.* 1. Atticismis accenset Servius Scholiastes *ad Virg. Aen.* 6. *v.* 78. *et Aen.* 1. *v.* 125. *et v.* 787. Hoc modo explicanda puto Ulpiani verba in *L.* 4. §. 5. *D. de Off. Proconf. et Leg. Ingressum etiam hoc eum observare oportet, ut per eam partem provinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est.* Sunt qui *ingressurum* emendant, substituunt alii *in ingressum*, vid. Cl. Schroder *in Obs. Lib.* 2. *Cap.* 7. Interpretor ingredientem.

§. 7. Librarios ignorantes quid *diurna vita* significaret, dedisse suspicor vocem notiorem *diuturnae*. Terminum letalitatis, sive certos dies decretarios, quos appellant, quos intra si vulneratus perierit mortis causa data videatur, jus civile non definivit. Post quintum diem mortuus ex vulneribus acceptis periisse visus Adriano. Vid. supra *Tit.* 1. §. 11. Non sufficere mortem, percussionem illico aut mox excipientem, ad id, ut homo ex inflicto vulnere obiisse praesumatur, contendit Bohnius *de Renunt. Vulner. p.* 125. *sq.* Terminum vulnerum absolute letalium paucarum horarum et dierum esse statuendum arbitratur Valentinus in *Corpore Juris Medicoleg. p.* 391. Audiendos testes, consulendosque Chirurgos, vel Medicos, denique a Jurisperitis responsum hoc in casu efflagitandum esse jubet Carolus *in Const. Crimin. Cap.* 147., ubi vide Interpretes. Vis verbo dicam: e re in his constituendum est. De servis quid praeceperit lex Divina tradit Auctor *Tit. seq.* §. 1., quam innuisse credo Constantinum in *L. un. C. Th. et Just. de Emend. Serv.* vide Pithoeum. Quod autem exhibetur ibidem: *dierum*

laesus homo post aliquos dies officium diuturnae vitae retinens decessit: nisi forte fuerit ad necem caesus, aut letaliter vulneratus.

dierum distinctione sine, aut *sive*, *interpretatione depulsa*, dubito num vera sit lectio. Scripsit forte Imp: *e S interpretatione*. Littera autem haec et *sine*, et *Senatus*, et *sacra* designat, teste Probo. Tute eligas.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

T I T U L U S. III.

Incipit de Jure et Saevitia Dominorum.

§. 1. MOYSES *dicit:* Si quis percusserit servum aut ancillam virga, et mortuus fuerit in manibus ejus, judicio vindicetur. Quod si supervixerit die uno, aut duobus, non vindicabitur: pretium enim ipsius est.

§. 2. *PAULUS libro Sententiarum*, *sub titulo ad legem Corneliam de sicariis et veneficis dicit:* Servus si plagis defecerit, nisi id dolo fiat, dominus homicidii reus non potest postulari: modum enim castigandi et in servorum cohercitione placuit temperari.

§. 3.

§. Hausta sunt haec ex *Exod. XXI.* Heid. ante *quis* asteriscum posuit.

§. 2. Ante *nisi* asteriscum collocat Editor Heid., idem *coërcitione* exhibet. In Florentinis quoque pandectis *cohercerі* plerumque et *cohercitio* scriptum apparere refert Brisson. *in Parerg.* §. 7. H littera, sive adspiratio, pro arbitrio scribentis addita, aut omissa. Vid. Idem *l. c.* §. 43. *sq.*

De dominorum in servos saevitia pleni sunt veterum libri, innumera est exemplorum copia. Temere, puto, a nonnullis tentantur Ulpiani verba in *L.* 24. §. 5. *D. Solut. Matrim. Si maritus saevus in servos dotales fuit, videndum an de hoc possit conveniri: et, si quidem tantum in servos uxoris saevus fuit, constat eum teneri hoc nomine: si vero et in suos est natura talis, adhuc dicendum est, immoderatam ejus saevitiam hoc judicio coërcendam.* Monstra lectionum effingunt plerique, cum vulgatae nihil insit vitii. *In suos est*, *licet natura adhuc* reponit Haloander. Catharinus in *Obs. in Thes. Jur. Ott. Tom.* 1. *p.* 490. corrigendum existimat *irritabilis*. Mutavit tamen sententiam *Lib.* 3. *Cap.* 5. in *Thes. Meerm. Tom.* 6. *p.* 785, in Tribonianum fabam cudens, quod minus Latine Ulpiani sensum exhibuerit. Interpretor: etsi vero tali quoque indole est in suos, hoc est, etsi eandem saevitiam exercet erga servos proprios, qua fertur erga servos uxoris, atque adeo apparet, indolis potius esse ac naturae vitium, quam malevolentiae et malignitatis adversus uxorem, ejusve servos. *Adhuc* accipe praeterea, etiam tum, quam notionem elegantiis sermonis accenset Vorstius *de Lat. select. Part.* 1. *Cap.* 7. *in pr.* Particulam *si* pro *etsi* poni novum non est. Usum illum pluribus demonstrarunt Noodt *in Prob. Lib.* 2. *Cap.* 6. Schraffert *in Trifol. Differt.* 3. *p.* 4. Best. *p.* 30. add. notas ad Flor. *Lib.* 2. *Cap.* 19. *Num.* 5, et

§. 3. *ULPIANUS libro octavo de officio Proconsulis, sub titulo de dominorum saevitia:* Si dominus in servum saevierit, vel ad pudicitiam turpemque violationem compellat, quae sint partes Praesidis ex rescripto Divi Pii ad Aurelium Marcianum, Proconsulem Baeticae, manifestatur: cujus rescripti verba haec sunt: " Dominorum quidem potestatem in servos suos inlibatam esse oportet, „ nec cuiquam hominum jus suum detrahi. Sed dominorum interest, ne auxilium contra saevitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui juste deprecantur. Ideoque „ cognosce de querelis illorum, qui ex familia JulI Sabini ad statuam confugerunt, et sive durius habiti, quam aequum, * vel „ infamiae injuria adfectos cognoveris, venire jube, ut in potestatem Sabini non revertantur. Quod si meae constitutioni fraudem fecerit, sciet me admissum severius exsecuturum. Divus etiam Adrianus Umbram quandam matronam in quinquennium relegavit, quod ex levissimis causis ancillas atrocissime tractaret. Item Divus Pius ad libellum Alfi Juli rescripsit haec verba: „ Servorum obsequium non solum imperio, sed et moderatione, et „ sufficientibus praebitis, et justis operibus contineri oportet. Itaque et ipse curare debet juste ac temperate et vos tractare, ut et „ facili requirere eo possit, nisi apparuerit, vel in parente inpendiis esse, vel atrociorem dominationem saevitiam exercere, necesse habeat Procons. V. C., ne quid tumultuosius contra accidat, praevenire se, et ex mea jam auctoritate ad alienandos eos „ compellere. Gravione et Romulo Conss.

§. 4.

et Forster in *Obs. Subsec. Lib.* 1. *Cap. ult.* Exemplis nonnullis significationem illam probavi ad Ulpianum *Tit.* 25. §. 17. Unam cum maxime adjicio *L.* 22. *C. de Fidejuss. Si ultra hoc, quod accepit ea, pro qua te mandatorio nomine intercessisse commemoras, daturum te scripsisti, Praeses Provinciae ex hoc, quod ultra mandatum tuum numeratum est, a te nihil exigi patietur.* Aliorum opiniones recensuerunt Branchu *in Obs. Cap.* 1. et Voorda *in Elect. Cap.* 8. Sic explico: *etsi.ultro*: (hoc malo pro *ultra*, quas voces permutari nonnunquam inter se ostendit J. Arntzen. *ad Plin. Paneg. p.* 37:) hoc est, sine requisitione alicujus, sponte tua, scripsisti daturum te *quod*, aut *quot*, alter accepit, tamen non exigetur a te id, quod numeratum est, post illud tempus, quo litteris redditurum te significasti, quia hoc ultra mandatum est, quum tantummodo daturum te dixisti id, quod accepit alter, non quod accepturus est: omne ergo, quicquid postea accepit, ultra mandatum est.

§. 3. Lectionem, si non antiquam, probabilem saltem ac rectam §. hujus parti priori reddes, si in consilium adhibueris *L.* 2. *D.* et §. 2. *J. de his, qui sui vel al. jur. sunt*, posteriori, si adoptes elegantissimam Pithoei emendationem. Sic corrigo: *Ulpianus. . . . ad impudicitiam, turpemque violationem eum*, nisi malis vocem postremam subaudire, . . . *ad Aur Aelium Mar-*

§. 4. *GREGORIANUS libro XVIIII ſub titulo de accuſationibus:* Impp. Diocletianus et Maximianus Auguſti Aurelio Sacrato militi. Cum ſervum tuum vi aegritudinis graviter oppreſſum fati munus impleſſe proponas, propter immoderatam caſtigationem calumniae cauſationem emergere, innotitiae ratio, cujus fiduciam geris, non permittit. Prop. Non. Decemb. Diocliтiano A. III. et Ariſtone Conſſ.

Explicit Titulus de dominorum ſaevitia cobibenda.

Marcianum hoc eſt, *Aurelium. . . . ſive durius babiti* ſcilicet *ſint*, vel *fuerint ii*, *quam aequum* ſubintellige *eſt*, qua ellipſi nihil poene eſt frequentius, *vel infamiae injuria* (utrumque recte dicitur *infamis injuria*, et *infamiae injuria*, eſtque accipiendum de ſtupro neſando) *adfectos eos* (eadem opera reſtitui fortaſſe poſſint verba Ulpiani in *L.* 3. §. 6. *D. ad exhibend. Si optare velim ſervum, vel quam aliam rem, cujus optio mibi relicta eſt, ad exhibendum me agere poſſe conſtat, ut exbibitis poſſim vindicare.* Beſtius *p.* 141. *ſq.* reponit: *ex exbibitis.* Marckart *Prob. Lib.* 2. *p.* 9. per ellipſin explicat, quaſi dictum fuerit *exbibisis rebus.* Malo *exbibitis iis*, quam conjecturam in mentem quoque veniſſe Fratri ex ſermone ejus didici, aut *exbibitas*, ſcilicet res.) . . . *Qui ſi*, vel *fecerit is . . . Umbriciam . . . Itaque et ipſos curare debes juſte*, hoc eſt, juſta cibaria dare, *ac temperate ſervos tractare, us ita facile requirere eos poſſis*, ſugitivos, forte enim conqueſtus fuerat Alſus ſervorum ſuorum nonnullos, exoſos videlicet, neque ferentes amplius intolerabilem domini ſui crudelitatem, proſugiſſe, *ne, ſi apparuerit, vel imparem te impendiis eſſe*, et per hoc ſufficientia non praebere, *vel asrociorem dominationem ſaevitiam* (id eſt, dominationem et ſaevitiam: *et* enim millies omittitur) *exercere, . . . praevenire te . . . Glabrione es Omullo . . .*

Heid. aſteriſcos collocat poſt *ſaevitia*, item ante *dominorum quidem*, nec non aute *fraudem.* Pro *Jull* habet *Julii.*

§. 4. Heid. ante *innotitiae* ponit aſteriſcum. *Innocensiae* legendum monuerunt plures, de ſubſcriptione conſule Fratrem *Cap.* 9. *in f.*

Calumniae cauſationem calumnioſam, accuſationem aut *adnotationem* alii appellant. *Malitioſam et mendacem infamationem* Nonius interpretatur *Cap.* 4. *Num.* 74. De calumniae poenis excerpſit quaedam Papianus *in Reſponſis Tit.* 7. Burgundus hic, popularibus ſuis compoſiturus juris quoddam corpus, inter caetera ſecutus potiſſimum fuit Pauli ſententias. Non ipſa autem Jctorum antiquorum verba reddidiſſe, ſed ſtilo ſaeculi ſui veterum fragmenta expreſſiſſe videtur. Locus eſt ſcribentium vitio depravatus. Dabo ea quae medicinam deſiderant. *Si ingenuus ſervum cujuscunque putaverit inſcribendum, facultatem domini ſervus adquirat.* Paucis contraxi plura. Servum intelligo domini *cujuſcunque*, quod praeceſſerat: ſana ergo haec ſunt. *Si vero ſervus alienum ſervum alserius domini* expono: ſervus alterius domini ſervum alienum. Mendoſa vero ſequentia. *Quicunqua vero calumniam crimini probatus fuerit evicisse, ſi objecta non conviceris, poenae ſimili ſubjacebis, ſecundum legem Tbeodoſiani . . .* Innuit legem 19. *C. Tb. de Accuſ. et Inſcript.*, (*Lib.* 9. *Tit.* 1.) ubi ita Impp.: *nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumnianses ad vindictam poſcas ſimilitudo ſupplicii.* Reſcribo: *P calumniam*, hoc eſt, *per cal.*, aut *calumnians crimina.* Si quis per calumniam victor exſtiterit, poſtea vero objecta victori calumnia, probatum fuerit ita viciſſe, poenae is ſubjacet. Malim, niſi refragaretur Lex c. C. Th. *calumnians . . . remiſiſſe.* In fine tituli pro *tyranni* ſubſtituo *tyrannidis*, id eſt, imperii, dominationis.

T I T U L U S IV.

Incipit de Adulterio.

§. 1. MOYSES *dixit*: Quicunque moechatus fuerit cum muliere proximi sui, morte moriatur qui moechatus fuerit, et quae moechata fuerit. Quod si aliquis seduxerit virginem non desponsatam, et stupraverit eam, ducat eam sibi in uxorem. Quod si renuerit pater ejus, et noluerit eam dare illi in uxorem, pecuniam inferet patri in quantum est dos virginis.

§. 2. *PAULUS libro singulari de Adulteriis*, [a] *sub titulo:* Brevem interpretationem de Adulteriis cohercendis facturus, per ipsa capita ire malui, ordinemque legis servare. Et quidem primum caput legis Juliae de Adulteriis prioribus legibus pluribus abrogat. Secundo vero capite [b] permittit pater, filias suas, quas in potestatem habet, ut in ea, quae auctore, cum in potestate esset, viro in manum convenerit, adulterum domui suae generive sui deprehenderit, in [c] quem eam rem socerum adhibuerit, ut is

§. 1. Evolve *Levit. Cap.* 20. *Deuteron.* 22. *Exod.* 22.

§. 2. (a) *Sub titulo.* Inscripsit Pariator titulum *de Adulterio:* accipe ergo sub dicto, aut sub hoc, aut eodem titulo, puta de adulteriis. Similiter locutus Auctor *Tit.* 6. §. 2, §. 3, *et* §. 4.

(b) *Permittit.* Lego: *permittitur pater, si* I (hoc est, *in*) *filias suas, . . . ut et* (aut potius *aut*, v. §. 7. *sq.*) *in eā, quae auctore eo . . . inque eam rem . . . ut is pater eum . . . ita ut et filiam . . . In vidua autem . . . Auctoritate quoque paterna posse interficere vel Cons.* (hoc est, Consularem) *virum, imo vel patronum suum*, (subintellige *si*, quod frequentissime omitti docuit Vechner. *in Hellenol. Lib.* 1. *Cap.* 5. *Num.* 4. adde Mollerum *l. c. p.* 39 *sq.*) *in filiam . . .* Liber Heid. habet *coërcendis*, dein ante *invidia* asteriscum ponit. Pro *interficeret* exhibet *interficere*, pro *continuatione* dat *continuationem*. De eo inquirunt eruditi, num et Magistratus adulter jure occidi possit. Ampliandum censet Brissonius *ad L. Jul. de Adulter. in Opusc. Min. p.* 196., quem sequitur Doctiss. Trekel *in not. d. l.* Non licere arbitror. Certum enim est ex sententia Macri in *L.* 24. *in f. D. ad L. Jul. de Adult., eos jus occidendi habere, qui jure patris maritive accusare possunt.* Aperte autem Venulejus in *L.* 12. *D. de de Accus. Accusare non licet . . . magistratum populi Romani.*

(c) *Quem.* Uti hoc loco *quem* pro *que* perperam substituerunt librarii, quibus imposuit exigua differentia notarum, quibus vocis illius terminationes inter se distinguebantur, ita *qui* pro *cui* positum fuisse conjicio in *L.* 12. §. 1. *D. Commodati. Commodatam rem*, inquit Ulpianus, *missus, qui repeteret, cum recepisset, aufugit: Si dominus ei dari jusserat, domino perit: si commonendi causa miserat, ut referretur res commodata*, perit *ei, qui commodatus est.* Aperte vitiosa sunt *τα qui commodatus est.* Doctorum opiniones recenset Catharinus *in Thes. Meerm. Tom.* 6. *p.* 784. Rescribo: *cui commodata res est.* Si dominus quem miserit, ad id tantum, ut commoneret commodatarium, ut is rem commodatam ad commodantem referret, non

is pater cum adulterum ſine fraude occidat, ita ut filiam in continenti occidat. Invidia autem filia qui adulterum deprehenſum occiderit, et in continenti filiam, licito jure hoc factum Marcellus libro XXXI. Digeſtorum ſcribit. Auctoritate quoque pater poſſe interficeret vel Conſ. verum vel patronum ſuum in filiam adulterum deprehenderit, eodem libro Marcellus probat. Sed ſi filiam non interfecerit, ſed ſolum adulterum, homicidii reus eſt. Si ex intervallo filiam interfecerit, tantundem eſt, niſi perſequutus interfecerit: continuatione enim animi videtur legis auctoritate feciſſe.

§. 3. *Idem PAULUS eodem ſingulari libro et titulo:* Certae autem

non vero ut redderet eam illi, quem miſerat, res perit commodatario, qui ſibimet ipſe imputet, quod commiſit rem commodatam homini non certo. *Quisque* pro *quisquam* accipiendum, aut, quod malo, *quiſquam* reſcribendum in his Venuleji in *L.* 137. §. 2. *D. de Verb. Oblig.: Quod ſi diplomate uſus, aut felici navigatione, maturius quam quiſque pervenerit Ephesum, confeſtim obligatus eſt, quia in eo, quod tempore atque facto finitum eſt, nullus eſt conjecturae locus.* Difficultates, quas movent Interpretes nonnulli in verbis propoſitis, removebis facile, ſi ita intelligas: Stipulatus fui, ac ſpopondi, daturum me Epheſi: quaero quando debeam? Judicis eſt ac boni viri aeſtimare et conjectura computare, quanto temporis ſpatio diligens quis paterfamilias Roma Epheſum poſſit proficiſci, ut tum debeam, quando iter illud confectum cenſeri poſſit: quid vero ſi Epheſum tendam ipſe, ac quam maturiſſime, imo maturius quam quisquam, iter conſummaverim? an hoc caſu debeo eo tempore, quo Epheſum perveni, an demum eo, quo diligens quis pervenire potuit? reſpondendum ſtatim deberi, ſimulac Epheſum perveni, quia locus non eſt conjecturae hoc caſu, non opus habet judex aeſtimare, quanto tempore poſſit iter confici, quoniam re ipſa et eventu apparet perfectum id eſſe breviſſimo eo tempore, adeoque definitum eſt per hoc tempus et factum, commiſſaque eſt ſtipulatio. Pro *quoniam* reſtituendum videtur *quod* in *L.* 35. *D. ad Municip., et de Incolis*, cui correctioni ſavent Graeci. *Scire oportet*, ait Modeſtinus, *quoniam qui in agro permanet, incola eſſe non aeſtimatur: qui enim illius civitatis praecipuis non utitur, non exiſtimatur eſſe incola.* Diſſentire dicas Pomponium in *L.* 239. §. 2. *D. de V. S. Nec tantum hi, qui in oppido morantur, incolae ſunt, ſed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum ſe, quaſi in aliquam ſedem, recipiant.* Interpretor: qui perpetuo permanet in agro, neque praecipuis civitatis utitur, incola ejus non eſt cenſendus, qui vero praecipuis utitur, ac tantummodo agrum habet in finibus oppidi, ut ſibi ager ille ſit domicilium, incola eſt exiſtimandus. Eos, qui in territorio civitatis alicujus commorantur, non adſtringi, velut incolas, ad ſubeunda munera, vel ad capiendos honores reſcripſerunt Impp. in *L.* 3. *C. de Incolis.*

Addo *L.* 49. *pr. D. de Fidejuſſ. et Mandat. Si teſtamento liberatum debitorem heres omittat, fidejuſſorem autem ejus conveniat, proderit exceptio doli mali fidejuſſori propter improbitatem heredis, quae* exceptio (aut expono, aut reſcribo *quia*) *prodeſſe reo*, hoc eſt, debitori principali, *debuerat, ſi conveniretur. Improbitatem* accipio inſatiabilem heredis aviditatem, quo ſignificatu eleganter hanc vocem uſurpari docuerunt Commentatores ad Phaedr. *Lib.* 1. *Fab.* 5. *v. ult.* Confer *L.* 7. §. 1. et 19. *D. de Exception.* Calpurnius *Ecloga* 6. *v.* 89.

Quid furitis? quae vos inſania tendere poſſit?

Reſcribe *quo.*

§. 3. (a) *Filiofamilias.* Ita de eo Papinianus

tem enumerantur perſonae, quas viro liceat occidere, in adulterio deprehenſa uxore, quamvis uxorem non liceat. Ergo ſecundum leges viro etiam [a] filiofamilias permittitur etiam domi ſuae deprehenſum adulterum interficere ſervum, et eum qui auctoramento rogatus eſt ad gladium, vel etiam illum, qui operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locavit. Sed et judicio publico damnatum [b] licere interficere in adulterio deprehenſum, [c] vel libertinum, vel ſuum, vel paternum, et tam civem Romanum, quam Latinum. Sed et patris, et matris, et filii, et filiae libertum permittitur occidere: quo loco et [d] deditius haberetur. Debet autem pro-

nianus in *L.* 20. *D. ad L. Jul. de Adult.*: *Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet: itaque nemo alius ex* hoc eſt, exceptis *patribus idem jure faciet. Sed nec filiusfamilias pater.* Contraria videntur primo rei obtutu utriusque Jcti reſponſa. Conciliabis facile, ubi attenderis, id hoc loco docere Paulum, non licere filio occidere uxorem ſuam, licere tamen interficere adulterum, in *Lege* vero 20. *c.* tradi, jus non eſſe filio adulterum cum filia ſimul confodere. In promptu cauſa eſt: filius namque neque uxorem neque filiam ſuam in poteſtate habet. Permitti tamen debere ſcribit Paulus Noſter in *Sent. Lib.* 2. *Tit.* 26. §. 2. filiofamilias patri, ut et filiam occidat, hoc eſt, parcendum illi et condonandum, qui juſti doloris impatientia id admiſit. Hoc amplius Idem in §. 12. *infra* permitti hoc ei notat, hoc eſt, interpretatione Prudentum introductum, ac contra legis verba, aut ſaltem conſequentiam ejus, receptum eſſe, ut ignoſcatur iis, qui inconſulto calore ducti filias necarunt.

(b) *Licere.* Vide, quae ſcripſi ad Ulpianum *Tit. de Injur.*, quo loco Infinitivorum ejusmodi rationem exemplaque dedi.

(c) *Vel libertinum.* Expono *et libertinum.* Infames eſſe judicio publico damnatos antea oſtendi: non ſolum itaque libertini., ſed et quicumque ita damnati impune occiduntur. Non ferenda vero eſſet *ταυτολογια* Pauli, qui mox, poſtquam *libertinum paternum interficere licere* tradiderat, ſubjunxerit: *Sed et patris . . . libertum permittitur occidere.* Scio ipſos aliquando Jctos diſtinguere inter libertinos et libertos, v. *L. ult. D. ſi ingen. eſſe dic.*, verum fruſtra exinde medicinam quaeri his Pauli verbis nullus non animadvertit. Uti plerumque confundi inter ſe vocabula illa, notiſſimum eſt, ita hoc loco *libertinum* intelligendum eſſe libertum manifeſtant ea, quae adjunguntur: *tam civem R. quam Latinum...* Malim itaque pro *ſed et patris* ſubſtitui: *Sed ex* hoc eſt, praeter *patris, et matris, filii, et filiae* libertis *libertum* quemcunque extraneum *permittitur occidere.* Simili modo *ex patribus* eſt in *L.* 20. *D. ad L. Jul. de Adulter.*, quam mox expoſuimus.

(d) *Deditius.* Uti *deditio* et *ditio* in libris ſcriptis non raro confundi oſtendit Cl. Duker ad *Flor. Lib.* 1. *Cap.* 18. *Num.* 23., ita *dedititius* et *deditius* permutari inter ſe, mirum videri non poteſt. Eos, qui dedititiorum numero ſunt, intelligi non poſſe conſtat, cum abſurdum fuerit procul dubio monere, jus eſſe trucidandi foecem iſtiusmodi hominum, poſtquam traditum jam fuerat licere occidere libertos, etiam cives Romanos et Latinos. Accipiunt plerique noxae deditos. Verum in hos idem, quod in libertos licuiſſe, nusquam prodi memini. Serviebant hi, usque dum debitum eſſet perſolutum, ſervitutem non veram, ſed imaginariam. Liberi itaque fuerunt ac manſerunt homines. Confer quae notavi ad *Tit.* 2. §. 3. Quid ſi intelligamus in bello captos, aut ab hoſtibus deditos, tamdiu Romae moratos, donec captivi cum iis permutaren-

tur?

profiteri apud eum, cujus jurisdictio est [e] eo loco ubi occidit, et uxorem dimittere. Quod si non fecerit, impune non interficit. Sciendum est autem Divum Marcum et Commodum rescripsisse, eum, qui adulterum inlicite interfecerit, leviori poena puniri. Sed et Magnus Antoninus pepercit eis, qui adulteros inconsulto calore ducti interfecerunt *et reliqua.*

§. 4. *Idem PAULUS eodem libro singulari et titulo*: [a] Jure mariti, vel patris qui accusat, potest et sine calumniae poena vinci: si jure extranei accusat, potest calumniae poena puniri: sed tantum post duos menses. Intra quatuor menses utiles expertus, licet talis

tur? quales haud inscite *deditios* appellari nemo dubitet.

(e) *Eo loco.* Profiteri debet se occidisse, insuper indicare oportet, quo loco adulterum interfecerit. Malo itaque EDO *loco*, hoc est, *edito loco*, vide Magnonem. Confer Fratrem *p.* 142.

§. 4. (a) *Jure mariti, vel patris qui accusat, potest et sine calumniae poena vinci.* Editio Held. exhibet: *Jure mariti et patris.* Contra haec Scaevola in *L.* 14. §. 3. *D. ad L. Jul. de Adulter. Jure mariti qui accusant, calumniae periculum non evitant.* Quin ipse Paulus in *L.* 30. *eod: Pater sine periculo calumniae rem non potest agere.* Distinguendum putant Interpretes inter calumniam evidentem et minorem. Conciliationem commodiorem, melioremque suppeditat Tryphoninus in *L.* 37. §. 1. *D. de Minorib.* Si in sexaginta diebus a divortio praeteritis, aut, ut Paulus hoc loco, post duo menses, maritus vel pater agant, sine calumnia accusant, nec ulli alii in id tempus agendi potestas datur, si post, de calumnia tenentur. Confer *L.* 44. §. 2. *D. ad L. Jul. de Adulter.*

Dum de calumnia sermo est, ultro se offert lex celeberrima 34. §. 4. *D. de Injur. Qui jusjurandum defert*, inquit Ulpianus, *prior de calumnia debet jurare, si hoc exigatur, deinde sic ei jurabitur. Hoc jusjurandum de calumnia neque patrono, neque parentibus remittitur.* Contraria visa fuit haec sententia juris doctrinae, quamobrem plerique pro *neque* substituendum esse arbitrati sunt *aeque*, vel *atque*, alii aliter succurrendum censuerunt. Varias Eruditorum opiniones recensuere Vir Nobiliss. R. Van Bassen *de Jurejur. p.* 234. et Ampl. Otto in *Praef. Thes. Jur. Tom.* 2. *p.* 11. *sqq.* Sunt, qui existimant, agi hoc loco de casu, quo de patronorum et parentum non ex debita iis pietate habetur ratio, sed habentur tanquam creditores, adeoque censentur jure eorundem. Dubito tamen, num juris sat firmo fundamento nitatur haec distinctio, siquidem argumenta, ad quae provocant conjecturae istius minus probabilis auctores, a themate hic proposito alienissima videantur. Parum certe praesidii repositum adparet in *L.* 14. *D. de Jurejur.*, in qua sermo est de jurejurando propter rem, cum jurat actor sibi dari oportere: de calumnia vero nil quidquam additur. Quod vero attinet ad *L.* 7. §. 3. *D. de Obseq. Parent. et Patr. praest.*, ubi *nec deferentes*, inquit Ulpianus, *jusjurandum de calumnia jurant*, innui puto jurisjurandi speciem a nostro diversissimam. Intelligit dicto loco JCtus jusjurandum de calumnia, quale ante litem contestatam actor et reus praestare cogebantur: hoc autem parentibus ac patronis remissum fuisse dubium non est. Manifesto id, quod dixi, elucescet, si consulueris *L.* 8. §. 5. *D. qui satisd. cog.* Eodem refero *L.* 13. §. *penult. D. de damn. infect.* Superest, ut nostram de loco vexatissimo sententiam paucis demonstremus. Certum esse ostendi, jusjurandum de calumnia, id, quod praestat litigans uterque ante litem contestatam, parentibus ac patronis remitti: ab hoc autem diversum est jusjurandum, quod post litem contesta-

talis sit, qui alias accusare non possit, ut libertinus, aut minor viginti quinque annorum, aut infamis, tamen ad accusationem admittitur, ut et Papianus libro XV. scripsit.

§. 5. *PAPIANUS libro XV Responsorum, sub titulo ad legem Juliam de adulteris:* Civis Romanus, qui sine connubio sibi peregrinam in matrimonio habuit, jure quidem mariti eam adulteram non postulat: sed ei non opponetur infamia, vel quod libertinus rem sestertiorum triginta milium, aut filium non habuit, propriam injuriam persequenti.

§. 6.

testatam, adeoque postquam amplius exigi non potest illud, quod dixi, contestationem antecedens de calumnia jusjurandum, defertur in judicio: ab illo, qui defert, peti potest, ut juret is, se non calumniae causa deferre: Hoc jusjurandum si deferant parentes ac patroni, ipsi, si exigatur, de calumnia jurare debent: dicam verbis Ulpiani: *hoc jusjurandum de calumnia neque patrono, neque parentibus remittitur.* Obstare videtur Ulpiani effatum in *L 16. D. de Jurejur: Sed et, si ipse deferat jusjurandum libertae suae, de calumnia non debet jurare.* Verba *non debet* explico: non compellitur, nisi id exigatur, non ultro debet. Vid. *L.* 34. §. 4. *c.* Facit *L.* 37. *D. eod.*, adde *L.* 11. *C. de Reb. credit. et jur.* Adjuvat conjecturam nostram, quod non in quibusvis causis de calumnia jurari fuerit solitum, sed tantummodo in nonnullis, vid. Otto ad §. 1. *J. de poena tem. litig.* Id quoque singulare est, si Praetore auctore juratur, non exigi, ut ante juret is, qui jusjurandum exigit. *L.* 5. §. 14. *D. de Oper. nov. nuntiat.* Eodem referenda esse existimo verba Pauli, an alterius, quae huc in primis faciunt, ea quae in textum admittere noluerunt Interpretes: *Solus jurare potest*, hoc est, debet, *qui suspectus dicitur, cum nulla veritas petitori in eo exprimitur, qui calumniam se pati dicit.* Proposuit ea Rittershusius, atque ex eo exhibet Schulting. *ad Paul. Sent. Lib.* 2. *Tit.* 1. §. 1.

§. 5. Rectene intellexerint Interpretes §. hujus verba dubito. Connubium, quod Ulpiano *Tit.* 5. §. 3. appellatur *uxoris jure ducendae facultas*, non habent peregrini, nisi iis fuerit concessum, v. *ibid.* §. 4: neque ergo peregrinus pater in potestate habuit liberos suos, neque marito in manum convenit uxor, ceu apparet ex ejusdem *Tit.* 7. §. 4. Mariti itaque jus quum non competierit civi R., qui peregrinam duxit, eo jure adulteram accusare cum non potuisse est manifestum. Potuit tamen vir, sive justa sive injusta fuerit uxor, accusationem instituere, non quidem jure mariti, sed jure extranei, vide *L.* 13. §. 1. *D. ad L. Jul. de Adulter.* Levia sunt haec. Obscuriora quae sequuntur: *Sed ei non opponetur infamia.* Itane infames sunt peregrini? quis talia fando temperet a risu? Sic sentio: connexis §. 4. et 5., hunc in modum scripsisse opinor Auctorem: *ut libertinus . . . aut infamis . . , ut et Papianus libro XV. scripsit Responsorum sub titulo. . . non postulat, sed extranei.* Per compendium litterarum, fortasse *ei*, exarata vox postrema, praesertim cum jam eadem praecesserat. *Non* (malo *nec*) *opponetur infamia* infami, quem ante dixerat admitti ad accusationem, intra quatuor menses utiles expertum: non repelletur ab accusatione infamis: *vel quod libertinus* subaudi *sit* vel *est*: non etiam denegabitur viro accusatio, propterea, quod est libertinus, ob conditionem suam, v. *L.* 8. *in f. D. de Accusat.*, hic enim et libertinum admitti jam in superioribus ex Paulo docuerat, *rem* (subintellige, atque ex antecedentibus repete *vel quod quis*) *sestertiorum triginta millium* (ob paupertatem accusare prohibentur ex *L.* 10. *D. de Accusat. qui minus quam quinquaginta aureos habent*, qua de summa vide

Cc 2 Schul-

§. 6. *PAULUS libro singulari et titulo quo supra:* In uxorem adulterium vindicatur jure mariti, non etiam sponsam. Severus quoque et Antoninus ita rescripserunt.

§. 7. *PAULUS libro singulari de Adulteriis.* Quaerebatur an pater emancipatam filiam jure patris accusare possit: Respondit: Occidendi quidem facultatem lex tribuit [a] eam filiam, quam habet in potestate, aut eo auctore in manum convenit: sed accusare jure patris ne quidem emancipatam filiam pater prohibetur.

§. 8. *PAPIANUS* [a] *eodem singulari et titulo:* Cum patri lex Regia dederit in filiam vitae necisque potestatem, [b] quod bonum fuit lege comprehendi, ut potestas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi [c] rescribere: nam scire cupio. [d] Respondit: Numquid ex contrario praestat nobis argumentum haec adjectio,

Schulting *b. l.* Confer Fratrem *Cap.* 11.) *aut filium non babuit*, innui puto Latinum, quo de a Paulo mentio fuerat injecta in §. 3. *b. t.*, qui minor XXX annorum manumissionis tempore fuit. Consequi is poterat jus Quiritium liberis, filio filiave nato natave, et anniculo facto, v. Ulpian. *Tit.* 3. §. 3. Licet autem filium non habuerit Latinus, adeoque civis R. fieri ex eo non possit, accusandi tamen licentia conceditur: Quamvis enim enumeratae personae regulariter arceantur ab accusatione, contra tamen placuit in hac causa, in qua permittenda ea unicuique *propriam injuriam persequenti*. Dandum hoc justo dolori, honestissimo calori.

§. 6. Ex lege Julia adulterium sponsae jure mariti vindicari non potuisse constat, in qua mentio fiebat tantummodo uxoris: postea tamen Severus et Antoninus rescripserunt, etiam in sponsam hoc idem vindicandum, v. *L.* 13. §. 3 et 8. *D. ad L. Jul. de Adult.* Corrigo itaque: *etiam in sponsam, Severus quanquam et Antoninus ita* vindicari *rescripserunt:* Hoc est, non in sponsam vindicatur ex lege Julia, hodie tamen vindicatur ex rescripto Impp. Littera M. praecedens, uti saepissime alias, τὸ *in* absorpsit.

§. 7. (a) *Eam filiam, quam etc.* Praestet forte: *eam solam filiam.* Non spernenda lectio editionis Heid:, quae habet *in potestatem*, quod ipsum descriptum videtur ex lege Julia. v. §. 2. *b. t.* Pro *aut eo* ex eodem §. repono: *aut quae eo:* nisi malis subintelligere *si* post *aut*, vel denique *cum auctore eo*; Codex certe vetus habet *eum auctorem*, scriptum forte, *cum*, id est, si *auctore* patre, tutoreve.

Respondit verbum quod attinet, Pauli fuisse credo *respondi*. Quod factum fuit a Triboniano, ejusque sociis in concinnando Pandectarum volumine ex licentia sibi a Justiniano concessa, ut non ipsa quaecunque fragmenti veteris verba reddiderint, sed, prout res ferebat, nonnunquam mutarint, atque ita ei, quem sibi destinaverant, usui adcommodarint, idem jus sibi quoque concedi voluit auctor.

§. 8. (a) *Eodem singulari.* Exstitit, credo, *eodem* L. hoc est, *libro singulari.*

(b) *Quod.* Perinde est utrum legas *quo*, aut *quod:* Si hoc, subaudi *ad*, κατά. Conf. Brisson. *in Parerg.* §. 91.

(c) *Rescribere.* Aut addo, aut per ellipsin subintelligo *te*.

(d) *Respondit.* Incertum videtur, neque exigit exigua, quae exinde redundet, rei utilitas, ut anxie indagemus, utrum commilitonum suorum aliquem consuluerit Paulus, an ad quaestionem ab alio propositam ipse responderit. Verius puto respondisse Paulum ad argumentum, quod sibi ipse proposuit. *Respondit* itaque verbum est Collectoris, Pauli forte fuit *respondeo*.

(e)

jectio, ut non videatur lex non habenti dedisse, [e] ut videatur majore aequitate ductus adulterum occidisse, cum nec filiae pepercerit?

§. 9. IDEM: Si pater [a] qui adulterum occidit, [b] et filiae suae pepercit, quaero quid adversus eum sit statuendum? Respondit: sine dubio iste pater homicida est. Igitur tenebitur lege Cornelia de Sicariis. Plane si filia non voluntate patris, sed casu

(e) *Ut videatur.* Expono: Non ideo adjecit lex Julia, potestatem esse patri filiam interficiendi, quam concesserat jam ipsa lex Regia, servaverant mores, ut nunc demum licentiam eam tribuisse videretur patri, quasi is ante non habuisset hoc jus, verum ideo potius, ut appareat aequissimum esse, majoreque jure licere patri occidere adulterum, cui permittitur saevire in sanguinem suum.

§. 9. (a) *Qui.* Lego, aut potius interpretor *quis:* hoc certum *qui* pro *quis* frequentissime positum fuisse a veteribus, vid. Cl. J. Arntzen. *ad Aur. Vict. Cap.* 22. *Num.* 4. *Si qui honestior*, ait Papinianus in *L.* 38. §. 8. *D. ad L. Jul. de Adulter.* Fallitur itaque Bestius *p.* 143, qui in his Ulpiani in *L.* 5. §. 16. *D. ut in possess. legator: qui ex qua causa fideicommisso moram faciunt* corrigit *ex quaqua causa*, quum *ex qua* exponi debeat *ex aliqua.*

(b) *Et filiae.* Praeferam *at filiae.* E et A litteras permutari in libris antiquis novum non est. Hac ope, credo, restitues veram lectionem in his Ciceronis *Lib.* 1. *de Legib. Cap.* 18: *Omnes viri boni ipsam aequitatem et jus ipsum amant: nec est viri boni errare et diligere, quod per se non sit diligendum.* Depravatam esse scripturam illam vidit jam Vir Consult. Gysb. Koen *in Differt. ad loca quaedam depravata Cap.* 2, ac pro *errare* substituit *curare*, haud sanequam inconcinne. Malim equidem *amare*, tum quod ipsum hoc vocabulum praecessit, tum quod *amare et diligere* conjungere plurimum solet Cicero, exempla collegit Nizolius *in Thesauro.* Crisi huic nostrae simili emendanda censet Idem *l. c.* haec Minucii Felicis *in Octav. Cap.* 21. *Prodicus assumptos in Deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuere*, ac pro *errando* reponendum censet *arando.* Nescio, an retineri possit lectio vulgata: innui puto fabulam, qua fingebatur Ceres, cum per terrarum orbem vagaretur, quaesitura filiam, ad Eleusium pervenisse, Eleusii oppidi Principem ac Dominum, dein Triptolemum, aut, quod alii referunt, Celeum frumenti serendi artem edocuisse. Rem pluribus enarrant mythologi. Consule Natalem Comitem *Lib.* 5. *p. m.* 278.

Addi omnino meretur elegantissima *L.* 40. §. 1. *D. de damn. infect. Quoties*, ait Ulpianus, *communis parietis vitio quid accidit, socius socio nihil praestare debet, cum communis rei vitio contigerit: quod si, quia alter eum presserat, vel oneraverat, idcirco damnum contigit, consequens est dicere, detrimentum hoc, quod BENEFICIO ejus contingit, ipsum sarcire debere: quod si aequaliter utriusque oneribus pressus decidit, rectissime Sabinus scripsit PARIETEM utriusque causam esse: sed si. . . .* Non unum est, quod lectorem attentum moretur. *Beneficio* vocabulum non ferunt plerique Interpretes. *Pene vitio* substituit Ampl. Bynkershoeck. *in Obs. Lib.* 4. *Cap.* 10. *Aedificio* malle se indicare memini Fratrem carissimum, cum ei operam dedi, in scholis publicis varia JCtorum capita explicanti. Conjeceram aliquando mutari oportere *unice vitio:* attamen postquam cognovi, quae de *beneficii* vocis significatu in medium produxit Jac. Gutherius *de Offic. dom. Aug. Lib.* 1. *Cap.* 37., evinctus exemplis, quae ibidem proposuit Vir Doctissimus, in eam pedibus descendi sententiam, *beneficii* vocabulum accipiendum hoc loco ea notione, qua pro facto alicujus vel opera nonnunquam adhibetur. Addesis *L.* 7. §. 13. *D. Comm. Div: Quia haec pars BENEFICIO alterius*

casu servata est, non minimam habebit defensionem pater [c] quod forte filiam *. Nam lex ita punit homicidam, si dolo malo homicidium factum fuerit. Hic autem pater non ideo servavit filiam, quia voluit, sed quia occidere eam non potuit.

§. 10.

rius venditori accessit. Hac arte quoque sine crisi intelligas legem a Guthcrio etiam allegatam 27. *C. de Inoff. Test.: Liberti, qui perperam et non bene merentes maximisque BENEFICIIS suum patronum adsecuti, instituti sunt.* Varie haec verba tentarunt plurimi. Consule Vir. Nob. C. V. Vonck *in Obs. Misc. p.* 124. et Cl. Schroder *in Obs. Lib.* 4. *Cap* 2. Ipse ita corrigendum statueram *merentes ex maximis quibusque*, aut *quibuscunque beneficiis*, id est, qui non debita benevolentia prosecuti fuerant patronum, cui libertatem suam, qua nihil majus fere homini datum est, acceptam referebant, qui male merentes, habita ratione beneficiorum quorumcunque a patrono acceptorum, perperam atque impie adversus eum se gesserunt. Pari modo *ex eo* pro propterea, exinde, ideo, dixit Paulus *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 1. §. 13. Non bene merentes et non maximis benefieiis interpretatur Frater *in Comm. p.* 83. Sequor cum maxime Gutherium. Quam clarissima sunt in hanc rem Ulpiani verba in *L.* 46. *pr. D. de Furt: Competit actio* furti, *non ideo, quia nunc abest res furtiva vel homo, sed quia unquam BENEFICIO furis absuerit.* Confer B. H. Reinold. *in Opusc. Jurid. p.* 398. *sq.* Pro *parietem* cum Taurello emendo *pariatam*. Verbum ex Ulpiano ipso se probat: ita ille in *L.* 4. §. 5. *D. de Manumissionib.: Proinde et, si ei nummos prorogavit emtor, cum ei pariaverit, poterit ad libertatem pervenire. Pariare* est, uti recte explicat Gothofredus, ita reddere rationes, ut paria sint accepta expensis. Hinc *pariationes* Scaevola appellat in *L.* 67. *D. de Condict. indeb.* scripturas, quibus rationibus redditis satisfactum est creditori. Vid. Augustin. *in Emendat. Lib.* 4. *Cap.* 12. Denique Pariatorem nominat Paulus in *L.* 81. *pr. D. de Condit. et Dem.*, eum, qui sic reddit rationes, ut paria sint expensa cum acceptis, illique opponit *reliqua habentem.* Postremo *sed* exponendum hic esse *sed et* viderunt jam Bynkersh. *l. c.* et Best. *p.* 181.

(c) *Quod forte filiam.* Sciptum fuisse conjicio: *quod forTE filiam*, hoc est, *quod fortuna superstitem fecit filiam.* T nota superstitem quem esse designat, teste Diacono. *For* auctore Probo *Fortunam* significat. F. pro *fecit* positum fuisse tradit idem. Intellige filiam casu servatam. Fortunam accipio Deam. Ita Hermogenianus in *L.* 13. *D. de Statu hom: Servus*, inquit, *in causa capitali Fortunae judicio a domino commissus, etsi fuerit absolutus, non fit liber*, hoc est, relictus illi judicio, aut fato, quod sors, seu Fortuna Numen tribuit. Rem ita exponit Marcianus in *L.* 9. *D. de Publ. Judic: Sciendum est, si in capitali causa suum servum, reum crimine factum, quis non defenderit, non eum pro derelicto haberi, et ideo, si absolutus fuerit, non liberum fieri, sed manere domini.* Confer *L.* 9. §. 1. *D. qui et a quib. manum.* Temere itaque fecisse videntur, qui Menagium secuti *in Amoenit. Jur. Cap.* 6. mutandum volunt *fortunae judicii.* Restituenda, credo, *fortunae* vox Tryphonino in *L.* 16. §. 3. *D. de Curat. furios.* Si pater in testamento suo filium prodigum dixit, eique curatorem dedit, sequi oportet in his judicium testatoris, neque potest Praetor filium illum idoneum judicare, *ne quem pater vero consilio prodigum credidit, eum Magistratus, propter aliquid FORTE suum vitium, idoneum putaverit.* Aperte vitiosa esse τα *propter aliquid forte suum vitium* nullus, opinor, ambigat: quo modo enim idoneum sanus judicet propter ejus vitium? Neque vero de patris vitio cogitavit Jctus, quippe cujus *verum consilium* laudat. Vim majorem pro more suo adhibet Catharinus *in Thes. Meerm. Tom.* 6. *p.* 788., ita substituens: *neque vero, quem pater consulto prodigum credidit, propter aliquod forte suum vitium,*

§. 10. *PAPIANUS* [a] *Idem:* Si maritus uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidit, an in legem de ſicariis [b] incidit quaero. Reſpondit: Nulla parte legis marito uxorem occidere conceditur. Quare [c] ea parte contra legem feciſſe eum [d] non * dubitantur non ambigitur. Sed ſi de poena tractas, * non his quae aliquid ejus honeſtiſſimo calori permittatur, ambigitur. Sic dicit, non dubitantur, ut non quaſi homicida puniatur capite, vel deportandus ſit: ſed uſque ad exitium poena ejus ſtatuitur.

§. 11. *Item ſic:* De mancipiis alterius, marito vel patre accuſante, quaeſtionem habendam, [a] palam eſſe. An idem extraneo accuſatori permitti debeat, quaero. Reſpondit: Poteſt videri ea ratio fuiſſe permittendi iſtis perſonis de ſervis quaeſtionem habere, ut diligentius dolorem animi ſui, item injuriam lecti, et domus non tranſlatitie perſequerentur. Sed quoniam non facile tale delictum

tium, eum Magiſtratus idoneum putaverit. Exaratum fuiſſe ſuſpicor: *propter aliquid for* (hoc eſt, *fortunae*,: ita *For. Red. Fortunae reduci*) *ſuum* (aut quod idem eſt *ſuae*, hoc eſt, filii ejus) *vitium.* Librarios feſellit duplex *For* notae ſignificatio, quae Valerio docente et *forte* et *fortuna* deſignavit. Non licet Praetori eo calore aut praetextu idoneum judicare filium, quem pater prodigum dixit, quaſi filii vitium attribuendum ſit potius fortunae ac fato, quam prodigo filii animo.

§. 10. (a) *Idem.* Lego *item*, vel *ibidem.*

(b) *Incidit.* Praeſtet forte *incidat.*

(c) *Ea parte.* Interpretor: quod attinet ad factum illud, ad illam rem, hactenus, **in zoo verre.**

(d) *Non dubitantur etc.* Heid. exhibet utroque loco: *non dubitatur.* Corrigo: *non*, vel *nec*, *damnandum tamen* legis Corneliae poena *non ambigitur. Sed ſi de poena tractas*, hoc eſt, quod ſi vero curioſus ſcire aveas, quam poenam ſubire debeat homicida, *non hic*, intelligo: hoc in caſu, in hac re, *quin aliquid ejus honeſtiſſimo calori permittatur*, (Heid. habet *permittetur*) *ambigitur. Sic dicit: Non damnandum tamen, ut. . . exilium. . .*

De re ipſa ſi noſſe deſideras, conſule *L.* 1. §. 5. *D. ad L. Corn. de Sicar.* Audi quoque Papinianum noſtrum in *L.* 38. §. 5. *D. ad L. Jul. de Adulter: Imperater Marcus Antoninus et Commodus filius reſcripſerunt: Si maritus uxorem in adulterio deprehenſam, impetu tractus doloris, interfecerit, non utique legis Corneliae de Sicariis poenam excipiat. Nam et Divus Pius in haec verba reſcripſit Apollonio: Ei, qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt, cum ſit difficillimum juſtum dolorem temperare: et quia plus fecerit, quam quia vindicare ſe non debuerit, puniendus ſit. Sufficit igitur, ſi humilis loci ſit, in opus perpetuum eum tradi, ſi qui honeſtior, in inſulam relegari.* Locum integrum adſcripſi, tum ut de argumento quam clariſſime conſtaret, tum ut maculam inde eluam. Reſcribendum opinor: *at quia plus fecerit, quoniam quidem ita vindicare ſe non debuerit.*

Maritum *prohiberi* uxorem occidere ſcribit Paulus *in Sent. Lib.* 2. *Tit.* 26. §. 4. Num itaque ſpecialiter lege Julia viro interdictum eſt uxorem adulteram necare? non putem. Expono itaque *non permittitur.* Iis perſonis, quas maritus occidere poteſt, non accenſetur uxor. Neque ergo occidere eam licet. Conf. Trekel *ad Briſſon. in Opuſc. min. p.* 199.

§. 11. (a) *Palam eſſe.* Licet non infrequentes ſint infinitivi ejuſmodi, malim tamen hoc loco: *palam eſt, ſed an.*

§. 12.

lictum fine minifterio fervorum admitti creditum eft, ratio eo perduxit, ut etiam extraneo accufante mancipia quaeftioni tormentorum fubjicerentur a judicibus.

§. 12. *PAULUS* [a] *libro Sententiarum, fub titulo de adulteriis:* Permittitur tam adoptivo quam naturali patri, adulterum cum filia cujufque dignitatis domi fuae vel generi fui deprehenfum fua manu occidere. Filiusfamiliae pater fi filiam in adulterio deprehenderit, verbis quidem legis prope eft, ut non poffit occidere: permittitur tamen etiam ei ut occidat. Maritus in adulterio deprehenfos non alios, quam infames, et [b] eos, qui corpore quaeftum faciunt, fervos etiam, et [c] liberos, excepta uxore, quam prohibetur, occidere poteft. Maritum, qui uxorem deprehenfam cum adultero occidit, quia hoc impatientia jufti doloris admifit, lenius puniri placuit. Occifo adultero dimittere ftatim maritus debet uxorem, atque ita triduo proximo profiteri, cum quo adultero, et in quo loco uxorem deprehenderit. Inventa in adulterio uxore, maritus ita demum [d] occidere poteft, fi eum domi fuae deprehendat. Eum, qui in adulterio deprehenfam uxorem non ftatim dimiferit, reum lenocinii poftulari placuit. Servi vero tam mariti, quam uxoris, in caufa adulterii torqueri poffunt: nec his libertas [e] fub specie impunitatis data valebit.

Explicit Titulus IV.

§. 12. (a) *Libro Sententiarum.* Heid. afterifcum collocat ante vocem poftremam. Supplere poffis hic, et *Tit.* 6. §. 2., *libro* II vel S, hoc eft, *fecundo:* dicendum tamen, non ubique numerum adjunxiffe Auctorem, fed faepiffime illum omififfe: Infpice fis *Tit.* 2. §. 7, *Tit.* 3. §. 2, *Tit.* 5. §. 2, *Tit.* 7. §. 5, *Tit.* 8. §. 4, *Tit.* 11. §. 2, adde *Tit.* 12. §. 2. et 7, denique *Tit.* 13. §. 2. Pari modo in *Tit.* 11. §. 7: *Ulpianus libro ad Edictum.*

(b) *Eos qui corpore quaeftum faciunt.* De feminis locutio eft vulgaris, de viris non aeque. Sunt qui de infamibus, ac catamitis accipiunt. An intelligendi forte, qui adulterantur lucrandi caufa? Verius puto innui maritos lenones, eos qui quaeftum faciunt ex adulterio uxoris fuae, vid. Ulpianum in *L.* 29. *pr. et* §. 2, 3 *et* 4. *D. ad L. Jul. de Adulter.*, adde Marcum in *L.* 24. *pr. et* §. 4. *eod.* Confer quae de turpiffimo maritorum lenocinio notavit Menag. *in Amoenit. Cap.* 10.

(c) *Liberos.* Doctiff. J. G. Hofman *ad L. Jul. de Adult. p.* 108. emendandum cenfet *libertos*, cui ut omnino adftipuler facit §. 3. *h. t.* adde *L.* 24. *in pr. D. ad L. Jul. de Adult.*

(d) *Adulterum occidere.* Heid. ante vocem *occidere* repetit *maritus.* Eandem lectionem exhibent Pauli Sententiae *Lib.* 2. *Tit.* 26. §. 7. Vide quae de eo notavit Cl. Vryhof *in Obf. Jur. Civ. p.* 118.

(e) *Sub fpecie impunitatis.* Refcribendum cenfent Interpretes *fub fpe.* Voces *fpecies* et *fpes* confundi aliquando, ex Marckarto ante probavi. Speciem novimus effe fimulationem. Non eo animo hic datur libertas, ut ob merita fervitute liberetur fervus, fed ne poena reum fequatur. Quid fi legamus *fub fpe* SCL (hoc eft, *fcilicet*) *impunitatis.*

T I T U L U S V.

Incipit de Stupratoribus.

§. 1. *MOYSES dicit:* Qui man'erit cum masculo mansione muliebri, aspernamentum est, ambo n oriantur: rei sunt.

§. 2. *PAULUS libro * Sententiarum, sub titulo de adulterIs:* Qui masculum liberum invitum stupraverit, capite punietur: Qui voluntate sua stuprum flagitiumque impurum patitur, dimidia parte bonorum suorum multatur, nec testamentum ei ex majore parte facere licet *Hoc quidem juris est: mentem tamen legis Moysis Imperatoris Theodosii constitutio ad plenum secuta cognoscitur.*

§. 3. *Item THEODOSIANUS:* [a] Impp. Valentinianus, Theodosius, et Arcadius Augusti, ad Orientium Vicarium urbis Romae. Non patiamur [b] urbis Romae virtutum omnium matrem diutius effeminati in viros pudoris contaminatione foedari: [c] et agreste illud ab priscis conditoribus robur fracta molliter plebe tenua-

§. 1. Levit. XX: 13. Manere *utitur pro* concumbere, *quod licet Latinis non sit penitus inusitatum, frequentioris est usus apud recentiores Ecclesiasticos.* Aspernamento *pro* abominatione *nescio, an praeter Tertullianum* in Scorp. Cap. 2, *et una alterave vice alibi, aliquis veterum usus fuerit.* Verba sunt Cel. Venemae *l. c.*

§. 2. Elegantissima sunt, praeter ea quae de poena impurissimi istius flagitii huc contulerunt Interpretes, quae de eodem tam ex juribus Romanorum, aliorumque antiquissimis, quam moribus, erudite, ut solet, disputavit H. Noordkerk *in Differt. de matrimoniis ob turpe facinus jure solvendis.*

§. 3. (a) *Impp.* Heid. habet IMP.

(b) *Urbis Romae virtutum omnium matrem.* Lectionem vulgatam male se habentem, geminationis remedio ita sano: *Urbis Romae virtutem, virtutum omnium matrem.*

(c) *Et agreste illud ab priscis*... Heid. exhibet *ad priscis.* Corrigo: *et agreste illud ac B priscis.* . . . B *bonum* explicant notarum interpretes. Robur agreste intelligo primis priscisque Romae incolis proprium, qui scelerum insontes agros curabant, flagitiorumque inmunes, caetera rudes, agriculturae unice operam suam consecrabant, aurea vere saecula viventes. *Bonum* interpretor vitiis non taminatum. Robur hoc cum maxime a plebe, effeminato modo fracta, attenuatum *irrogat*, atque importat *convicium saeculi*, hoc est, effic't, ut jam dedecus hoc exprobretur saeculo, vel repetendum a conditoribus inde, vel novum hoc tempore, atque inauditum antea, a Principibus tolerari. Quod *Principium* hic positum pro *Principum*, noverunt Grammaticorum filii, de terminatione casus sexti singularis, et casus secundi pluralis numeri non certo constitisse inter ipsus Veteres. Ita *parentium, civitatium*, alia. Contra *venantum, peccantum, natantum, recusantum*, vid. Scheffer. *ad Phaedr. Lib.* 1. *Fab.* 12. v. 7. Exempla plura collegit Brissonius *in Parergis.*

In

nuatum, convicium faeculi vel conditorum inrogare, vel principium, [d] Orienti AGVC NOVIS. Laudanda igitur experientia tua, omnes, quibus flagitiofus luxus eft viri corpus muliebriter conftitutum alieni fexus [e] damnare patientia, nihilque difcretum habere cum feminis, occupatos, ut flagitii pofcit immanitas, atque omnibus feductos, pudet dicere, virorum lupanaribus, fpectante populo flammis vindicibus expiabit: ut univerfi intelligant, facrofanctum cunctis effe debere hofpitium virilis animae: nec fine fummo fupplicio alienum expetiffe fexum, qui fuum turpiter perdidiffet. Prop. prid. Id. Majas, Romae in atrio Minervae.

Explicit Titulus de Stupratoribus.

In viros accipi poffit pro *in viris*: poffit et aliter explicari. Nolo his immorari.

(d) *Orienti AGUC NOVIS.* Refcribo: *Orienti Am. V. C. nobis*, id eft, *Orienti amice Vicarie cariffime nobis*. *Am* pro *Amico* pofitum Probus docuit. Imo vero malim *ACVC nobis*, hoc eft, *ave Clariffime Vir Cariffime nobis.* Cujuslibet tractus Vicarios Clariffimos dictos fuiffe oftendit Guther. *de Offic. Dom. Auguft. pag.* 19.

(e) *Damnare patientia.* Mutandum effe *taminare patientia* miror non vidiffe Interpretes.

T I T U L U S. VI.

Incipit de inceftis Nuptiis.

§. 1. *MOYSES dicit:* Quicunque concubuerit cum muliere uxore patris fui, pudenda patris fui detexit, morte moriantur ambo: rei funt. Et quicunque concubuerit cum nuru fua, morte moriantur ambo: rei funt.

§. 2. *ULPIANUS libro Regulari de nuptiis fub titulo:* Inter parentes et liberos, cujufque gradus fint, connubium non eft. Inter cognatos autem ex transverfo gradu olim quidem matrimonia contrahi non poterant: nunc autem ex tertio gradu licet uxorem ducere, fed tantum fratris filiam, non etiam patris: nec amitam, nec materteram, quamvis eodem gradu fint. Eam, quae noverca, vel pri-

§. 1. Infpice *Levit. Cap.* 20. *c.* 11. 12. Mutatam diftinctionem textus videtur requirere.

§. 2. *Libro Regulari de nuptiis fub titulo.* Scriptum fuiffe fufpicor: *libro Regular. S. fub titulo*, hoc eft, *libro Regularum fingulari fub titulo*, fubaudi: de inceftis nuptiis, ita enim titulus infcribitur. v. ad Tit.

privigna, vel quae nurus, vel socrus fuit, uxorem ducere non possumus. Si quis eam, quam non licet, uxorem duxerit: incestum matrimonium contrahit: ideoque liberi in potestate ejus non fiunt: sed, quasi vulgo concepti, spurii sunt.

§. 3. *PAULUS libro* * *Sententiarum de nuptiis sub titulo:* Inter parentes et liberos jure civili matrimonia contrahi non possunt: nec filiam sororis, aut neptem ducere possumus: proneptem aetatis ratio prohibet. Adoptiva cognatio impedit nuptias inter parentes ac liberos omnimodo: inter fratres eatenus, quatenus capitis minutio non intervenit. Nec socrum, nec nurum, privignam, nec novercam aliquando citra poenam incesti uxorem ducere licet: sicut nec amitam, aut materteram. * Sed vel cognatam contra interdictum duxerit, remisso mulieri juris errore, ipse poenam adulterii legis Juliae patitur, non etiam ducta.

§. 4. *GREGORIANUS libro quinto de Nuptiis sub titulo exemplum litterarum Dioclitiani et Maximiani Impp. talem conjunctionem graviter puniri commemorat.*

Exemplum Edicti Dioclitiani et Maximiani, Nobilissimorum Caesarum: Quoniam piis religiosisque mentibus nostris ea, quae Romanis legibus caste sancteque sunt constituta, venerabilia maxime videntur, atque aeterna religione servanda, [a] dissimulare ea, quae

Tit. 4. §. 2. Quae itaque hic interserta sunt *de nuptiis*, glossemati tribuo, adjecta a sciolo loco non idoneo. Idem factum puto in § 3 et 4. *sqq.* Confer huc quae dixi ad Ulpian. *Tit.* 5. §. 6.

§. 3. In Heid. est: *inter parentes et liberos omnimodo.* Dein pro *sed vel cognatam* ibidem prostat: *si vero cognatam*, incertum utrum ex codice antiquo desumserit Editor, an Pithoei conjecturam fuerit secutus. Quid si legamus? *Sed nec cognatam* (supple ex praecedentibus *ducere licet*:) *contra interdictum* (subintellige *si*) *duxerit.*

§. 4. Reponi ac distingui malim hoc modo: *Gregorianus libro quinto* (*τα de nuptiis* ab alio in margine forte adscripta textui postea inserta) *sub titulo* hoc *exemplum litterarum Dioc. et Max. Impp. talem conjunctionem graviter punire commemorat*, (hoc est, Imperatores in exemplo.) *Exemplum. . . .* supple *hoc est.* Quid si legamus *En exemplum?*

(a) *Dissimulare.* Verbum hoc eadem significatione adhibitum apparet a Divo Marco et Commodo in *L.* 14. *D. de Officio Praesidis*, quae continet rescriptum in primis notabile, sed propositum verbis, quae non uno in loco auxiliatricem manum desiderant, quae nitori suo restituat lectionem corruptam: *Si tibi liquido compertum est*, inquiunt Impp. *Aelium Priscum in eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat, nec subest ulla suspicio matrem ab eo simulatione dementiae occisam, potes de modo poenae ejus DISSIMULARE, cum satis furore ipse puniatur: et tamen diligentius custodiendus erit, ac, si putabis, etiam vinculo coërcendus, quoniam tam ad poenam, quam ad tutelam ejus, et securitatem proximorum pertinebit. Si vero, ut plerumque adsolet, intervallis quibusdam sensu saniore, non forte eo momento scelus admiserit, nec morbo ejus danda est venia, diligenter explorabis,*

quae a quibusdam in praeteritum nefarie incesteque commissa sunt,

bis, *et*, *si quid tale compereris*, *consules nos*, *ut aestimemus*, *an per immanitatem facinoris*, *si*, *cum posset videri sentire*, *commiserit*, *supplicio adficiendus sit*. Grammaticis si credimus, dissimulare est, fingere te nescire quod scis: ita Nonius, alii. Vix tamen est, ut huic loco convenire videatur ea notio, exponendo: potes fingere non locum habere hoc casu poenam ordinariam: quorsum enim, quaeso, simulatio fictiove jus dicenti, in re praesertim gravissima, in parricidio, quod delictum exquisitissimis poenis coërceri voluerunt divina humanaque jura omnia? Haud inepte quis conjiciat, male revocasse librarios vocem *simulare*, saepius in hac et praecedenti lege repetitam, quales errores ab hoc hominum genere frequentissime erratos fuisse ostendit Noordkerk *in Obs. Dec. p.* 132. Levissima mutatione reddes verbum aptissimum, si ita rescribas: *poenae ejus dispensare*. Neque tamen diffitendum, aevo certe posteriori, pro *negligere* usurpatum fuisse *dissimulare* verbum: quo sensu id bis a Sulpicio Severo positum fuisse observat Vorstius *in Dial.* 2. *Cap.* 1. *DISSIMULATUM se a Clerico querens*, item *in Histor. Sacra Lib.* 2. *Cap.* 1. *Ne DISSIMULATUM Regis imperium consecutura macies proderet.* Addo Anianum *ad Paul. Sent. Lib.* 4. *Tit.* 5. § 3. *Si is, qui heres scriptus est, ... adire hereditatem DISSIMULET*, hoc est, detrectet. Dixerat Paulus *heredem nolle adire hereditatem*. Idem in *Interpr. Lib.* 5. *Tit.* 33. §. 1: *ad judicem, quem* (malo *ad quem*) *provocaverit*, *fine aliqua DISSIMULATIONE perveniat*, id est, fine mora, neglectuve. Papianus quoque *in Responsis Tit.* 6. *Quod si*, inquit, *admonitus a fugitivi domino* servum *eum adsignare DISSIMULAT*, id est nolit, recuset. Quod si itaque hoc mavis, *dissimulare* accipe, excusare, connivere, dispensare, remittere. Vitiata quoque sequentia *sensu saniore*, *non forte*, repono: *num forte*, hoc est, si sensu saniore fuerit, vel sit, qua de ellipsi dixi alibi, an forte eo momento, quo scilicet saniore sensu usus is fuit, scelus admiserit, atque ideo neque venia illi dari potest propter furorem, quia matri manus intulit non furens, sed eo temporis momento, quo mentis compos fuit. *Per immanitatem* expono propter, aut ita emendo. Exiguam quidem differentiam esse utriusque vocis scripturae ex Magnone constat.

Indicavi maculas aliis, quantum scio, praetermissas: pergo ad ea, quae morata fuere Interpretes, qui ad dictam legem commentaria scripserunt. *Simulationem* exhibet editio, quae Hugonis a Porta est, impressa anno 1558: verum non tanti ea videtur, ut propterea quidquam in Florentino mutandum censeamus, cum eodem redeat sensus, sive *simulatione*, sive P, hoc est *per simulationem* (quo modo eo casu rescribere necesse esset) praeferas. Majoris momenti videtur, quod in exemplaribus nonnullis negatio inferitur in his: *quoniam tam ad poenam*, quod factum quoque in ea, quam modo allegavi, Hugonis a Porta editione, quam intellexit, credo, Jauchius, cum *non* in vulgatis codicibus addi hic notavit: quam ob rem immerito vapulat a Cl. Schrodero in *Obs. Lib.* 2. *p.* 142. Necessarium equidem neutiquam duxerim, ut invito Codici Florentino, quod volunt plerique, salutarem illam, si Diis placet, particulam obtrudamus. Haud sane eam inficias, juris rationi adversari, puniri eum, qui rationis usu destitutus, ac furore correptus, crimen quamvis horrendum ac detestabile commisit, siquidem adflicto non est addenda adflictio, satisque miser iste ipso furore punitur, quod est in lege nostra: attamen recte procul dubio consulturus est et furibundo ipsi, et proximis, qui insanientem carceri mancipet, ac vinculis etiam tradat: cum ut hoc pacto audaciam ejus coërceat, tum quoque ut puniat eum, usque dum certis rerum argumentis convictus fuerit judex, non simulato furore scelus fuisse perpetratum. Quod si autem postea vel compertum fuerit, verum fuisse furorem, levis certe ea poena erit parricidae, si poena dicenda, vinculis per brevissi-

sunt, non oportere [b] credimus, * cum vel cohibenda sunt, vel etiam vindicanda, [c] insurgere nos disciplina nostrorum temporum cohortatur. Ita enim et ipsos immortales Deos Romano nomini, ut semper fuerunt, faventes atque placatos futuros esse non dubium est, si cunctos sub imperio nostro agentes piam, religiosamque, et quietam, et castam in omnibus [d] more colere perspexerimus vitam. In quo id etiam providendum quam maxime esse censuimus, ut matrimoniis religiose atque legitime juxta disciplinam juris veteris copulatis, tam eorum honestati, [e] qui nuptiarum conjunctiones sectantur, quam etiam his, qui cum deinceps servata religione nascentur, incipiat esse consultum: et honestate nascendi etiam posteritas ipsa purgata sit. Id enim pietati nostrae maxime placuit, ut sancte necessitudinum nomina obtineant apud [f] affectus suos piam ac religiosam [g] consanguinitati debitam caritatem. Nefas enim credere est ea, quae in praeteritum a compluribus constat esse commissa, cum pecudum ac ferarum promiscuo ritu ad illicita connubia instinctu exercendae libidinis sine ullo respectu pudoris ac pietatis irruerint. Sed quaecunque antehac vel imperitia delinquentium, vel pro ignorantia juris, barbaricae immanitatis ritu ex illicitis matrimoniis videntur admissa, quamquam essent severissime vindicanda, tamen contemplatione clementiae [h] nostrae ad indulgentiam volumus pertinere: ita tamen, ut quicunque in anteactum tempus illicitis incestisque se matrimoniis polluerunt, hactenus adeptos se esse nostra indulgentia sciant, ut post tam nefaria facinora, vitam quidem sibi gratulentur esse concessam: sciant tamen, non legitimos se suscepisse liberos, quos tam nefaria con-

vissimum tempus oneratum fuisse, qui nefarias manus matri suae intulit. Addo et ad poenam pertinere, ut, nocente forte reo, supplicium de praesente sumi possit.

(b) *Credimus, cum vel.* Post credimus ponendum punctum. *Cum* expone *quoniam.* Quod si pro *vindicanda* malis *vindicanda ea*, nullus intercedam. Asteriscum ante *τα. cum vel* non agnoscit Heid.

(c) *Insurgere.* Scriptum forte *IG insurgere*, hoc est, *igitur insurgere.* Vide Magnonem et Petrum Diaconum.

(d) *More.* Malim: *more R*, vel *Ro*, hoc est, Romano. Intellige Romanorum simplicitatem, castitatemque antiquam.

(e) *Qui nuptiarum conjunctiones sectantur.* Expono: qui jam matrimonio conjuncti ac copulati sunt. *Qui cum.* Lego *quicunque. Servata religione*, hoc est, hoc tempore, cum religio legum antiquarum servatur, atque adtenditur, et ex eo jure vindicantur nefarie incesteque commissa.

(f) *Affectus.* Repono *affines.*

(g) *Consanguinitati.* Praeferam *consanguinitatique*, nisi malis *et* subintelligere. Quae proxime insequuntur: *nefas enim credere est* interpretor: credendum enim nefas esse, illicita esse ac nefaria.

(h) *Nostrae ad indulgentiam.* Praestet, credo, *nostram adeo indulgentiam.*

conjunctione genuerunt. Ita enim fiet, ut de futuro quoque nemo audeat ineffrenatis cupiditatibus obedire, cum et sciant ita praecedentes admissores istiusmodi criminum venia liberatos, ut [i] liberorum quod illicite genuerunt successiones careatur, quae juxta vetustatem Romanis legibus negabatur. Et optassemus quidem, nec ante quicquam ejusmodi esse commissum, quod esset aut clementia remittendum, aut legibus corrigendum. Sed et post hanc religionem sanctitatemque in connubiis copulandis volumus ab unoquoque servari, ut se ad disciplinam legesque Romanas meminerint pertinere: et eas tantum sciant nuptias licitas, quae sunt Romano jure permissae. Cum quibus autem personis tam cognatorum, quam ex adfinium numero contrahi non liceat matrimonium, hoc edicto nostro complexi sumus: cum filia, nepte, pronepteque; matre, avia, proavia: et ex latere amita, ac matertera, sororis filia, et ex ea nepte. Itemque ex adfinibus privigna, noverca, socru, nuru, caeterisque, quae antiquo jure prohibentur, a quibus cunctos volumus abstinere. [k] Nihil enim nisi hanc tantum ac venerabiles nostra jura custodiunt, et ita ad tantam magnitudinem

(i) *Liberorum etc.* Corrigo: *liberi eorum, quos* (aut *quod*, hoc est, quia eos) *inlicite genuerunt, successionibus careant, ut quae quoque juxta. . .* Possis et retinere *liberorum*. Hoc certum est, liberos ex incestis nuptiis procreatos patri nunquam, multo minus patrem filiis successisse. Pater est, quem justae nuptiae demonstrant. Incestuosi vero, vel ex nefariis conjugiis geniti patrem nullatenus habuisse censebantur, spuriique aestimabantur. Vide Cajum *in Inst. Lib.* 1. *Tit.* 4. §. 8. Adde §. 2. *h. t.* Post *careatur* asteriscum collocat Held.

(k) *Nihil enim nisi hanc tantum ac venerabiles.* Scriptum fuisse conjicio, *nihil enim NT his aeque sanctum ac venerabile sacra.* S *sacrum* denotare, dein *sacras, sacratasque* dici Principum constitutiones et edicta notissimum est. Vivis enim etiamnum Imperatoribus rem divinam facere Romani consueverunt. Hinc Ovidius *Tristium Lib.* 1. *Eleg.* 2. *v.* 100. *sq.*

Domui si favimus illi,
Si satis Augusti publica jussa mihi.
Hoc duce si dixi felicia saecula, proque
Caesare thura pius, Caesaribusque dedi.

Variae sunt lectiones, quas vel ex libris MSSis et codicibus antiquis, vel ex ingenio supposuerunt Interpretes, ut versui 101. nitorem suum restituerent. Elegantissimi judicii, ac variae eruditionis gloria conspicuus Vir Joannes Pierson, adfinis meus, dum in vivis esset, dilectissimus, cujus immaturam mortem dolent omnes boni, ita legendum, se conjicere per epistolam mecum olim communicavit:

Si satis adjuvi publica vota meis.

Malim

Si sacra Augusti publica visa mihi.

Adjuvant opinionem meam exemplaria, in quibus *visa* pro *jussa* exstat. *Sacra* pro *satis*, quod offendit, substituendum qui fuit arbitratus, memoratur in commentariis ad *d. l. Sacros* novimus ac *sanctos* dictos Imperatores, etiam dum in terris agerent, itemque *sacra, sacrata, sancta* appellata, quaecunque ab iis proficiscebantur. Verba sic interpretor: si Augustus sacer publice mihi visus fuit colendus. Multum inter se differre constat sacra publica

nem [l] * Romanam gesta [m] cunctorum non mirum favore pervenit, quoniam omnes leges sua religione sapienti, pudorisque observatione devinxit. Quare hoc edicto nostro volumus omnibus palam fieri, [n] quod praeteritorum venia per clementiam nostram contra disciplinam videtur indulta, ad ea tantum delicta pertineat, quae in die tertio Kal. Januariarum Tusco et Anulino Conss. videntur esse commissa. Si qua autem contra Romani nominis decus, sanctitatemque legum, post supradictum diem deprehenduntur admissa, digna severitate plectentur. Nec enim ullam in tam nefario scelere quisquam existimet veniam se consequi posse, qui tam evidenti crimini, et post edictum nostrum non dubitabit * [o] in-

blica et privata. De divinis honoribus Augusto concessis ita Florus *Lib.* 4. *Cap. ult: Sanctius et reverentius visum est nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum coleret terras, ipso nomine et titulo consecraretur*, ad quem locum vide quae notarunt Commentatores. NT notam *nominatis* interpretatur P. Diaconus, intellige autem personas ante enumeratas. Eadem opera restitui posse arbitror verum sensum Proculi in *L.* 15. *pr. D. de Trit., Vin., vel Oleo leg.* Verba haec exhibentur in codicibus optimis: *Vinum cum vasis legavit:* (supple quis, vel testator) *negat Trebatius, quod in doliis sit deberi, et sensum testatoris alium putat esse, verborum alium: caeterum dolia in vasis vinariis non ESSENT. Ego, etsi dolia in vasis vinariis non SUNT, tamen non concederem Trebatio. . . .* Reparandae scripturae depravatae laborem suum impenderunt haud pauci magni nominis JCti: sententias plurimorum recensuit Cl. Wieling. *in Lect. Jur. Civ. Lib.* 1. *Cap.* 2. Omissis quae adnotarunt alii, hoc unum dico verba ESSE NT explicanda mihi videri *esse nominata*, pro NON SUNT per geminationem malo *non sunt nominata.* Latinitatem *Leg.* 206. D. de V. S, quae huc apprime convenit, optime defendit Cl. Marckart *in Interpr. Lib.* 1. *Cap.* 20.

(l) * *Romanam gesta.* Emendo: *R. Romana evecta*, hoc est, *Res Romana.* Ita R. Pl *rem privatam* exponit Diaconus. Asteriscum ante *Romanam* omisit Heid.

(m) *Cunctorum non mirum.* Rescribo: *sanctorum Deorum, nec mirum.*

(n) *Quod.* Praeplacet conjectura Molleri, Viri Cons., quam exhibet Frater *p.* 187., emendantis *quod quae.* Pro *videntur* in mox subsequentibus Heid. perperam habet *videtur.*

(o) *Infuere.* Lego *crimine. . . inficere* subintellecto pronomine *se.* Pari modo Ulpianus in *L.* 68. *D. de Rei Vind.*, quam paucis hoc loco juvat illustrare: *Qui restituere jussus, judici non paret, contendens non posse se restituere, si quidem habeat rem, manu militari, officio judicis ab eo possessio transfertur.* Quando demum adhiberi possit manus militaris, constat ex *L.* 2. *C. de his, qui latrones ecc.*, quam si cum dicta *L.* 68. conferas, evanescent, opinor, nebulae, quae visae fuerunt Ant. Fabro *in Conject. Lib.* 16. *Cap.* 17. Alio modo Tribonianum defendit Ampl. Bynkershoeck *Lib.* 3. *Obs.* 14. Pergit ibidem JCtus: *Si vero non potest restituere, si quidem dolo fecit, quo minus possit, is, quantum adversarius in litem sine ulla taxatione in infinitum juraverit, damnandus est.* Pro glossemate habenda, ac foras ejicienda esse verba *sine ulla taxatione* arbitratur D. Heraldus in *Obs. Cap.* 26., temere profecto, ac sine justa causa: certi enim juris est, dolo interveniente, in litem jurari ab adversario in infinitum, hoc est, non definitum, non definita veritate pretii, neque ratione habita quanti ea res constet adversario, adeoque sine ulla rei taxatione. Audiśis Paulum in *L.* 2. §. 1. *D. de in litem jurando: Interdum*, inquit, *quod*

infuere. Dat. [p] Kal. Maji Damafco, Tufco et Anulino Conff.

§. 5. *ERMOGENIANUS fub titulo de nuptiis*: Impp. Dioclitianus et Maximianus AA. Fl. Flaviano. His, qui inceftas nuptias per errorem contrahunt, ne poenis fubjiciantur, ita demum clementia Principum fubvenit, fi poftea quam errorem fuum refcierint, ilico nefarias nuptias dirimerint. Prop. Id. Mar. * et Diogene Conf.

Hanc quoque conftitutionem Gregorianus titulo de nuptiis inferuit, quae eft tricefima et fecunda, aliis tamen et die et Coff., id eft: CONSTITUTIO PP. V. ID. JUN. DIOCLITIANO TER ET MAXIMIANO AUGUSTIS.

§. 6. *PAPIANUS libro fingulari de adulteriis.* Qui fororis filiam uxorem duxerat per errorem, antequam praeveniretur a delatore, [a] dirimit coitum: quaero an adhuc poffit accufari. Refpon-

quod interfit agentis folum aeftimatur: veluti cum culpa non reftituentis, vel non exbibentis punitur. Cum vero dolus, aut contumacia non reftituentis, vel non exbibentis, quanti in litem juraverit actor. Add. *L. ult.* §. 1. *D. de Appellat.*

Eadem, quam dixi, *τoυ fe* ellipfis occurrit in his Alfeni in *L.* 27. *D. de Condit. et Demonftr. In teftamento quidam fcripferat, ut fibi monumentum . . . fieret: nifi factum effet, berodes fe magna pecunia multare. . . Refpondit: fi intelligeretur, quod monumentum demonftrare voluiffet is, qui teftamentum feciffet; tametfi in fcriptura NON TUM ESSET, tamen ad id, quod ille fe demonftrare animo fenfiffet, fieri debere.* De vera verborum corruptorum lectione inquifiverunt Bynkersh. *Obf. Lib.* 5. *Cap.* 25. et Conradi *in Repreb. p.* 56, item Putman in *Programmate*, quod conjecturarum decadem continet. Scriptum fuiffe puto: *tametfi in fcriptura A. nōiātum effet*, hoc eft, *aliud nominatum effet.* A itemque AL pro *alius* fcriptum teftantur *σημειογραφοι.* Quid fi hac opera reftituere tentemus Praetoris edictum in *L.* 1. *pr. D. de Publican.? Quod publicanus, ejus publicani nomine vi ademerit, quodve familia publicanorum, fi id reftitutum non erit, in duplum. . . judicium dabo. . . Si id, ad quos ea res pertinebit, non exbibebitur, in dominos fine noxae deditione judicium dabo.* Aliorum opiniones, qui lectioni laboranti medicinam adferre conati fuerunt, in medium produxere Cl. Voorda *in Elect. Cap.* 9. Bynkersh *in Obf. Lib.* 6. *Cap.* 1. et Freher *in Thef. Jur. Otton. Tom.* 4. *p.* 931. Add. Obf. Mifc. Amftel. *Vol.* 1. *p.* 141. Scriptum extitiffe conjicio: *quod publicanus ex al publicani nomine vi*, hoc eft, *quod publicanus exegerit, alius* et reliqua. *Ex* fignificaffe *exigitur* et *exactis*, tradidere Probus et Diaconus. Exegiffe autem intelligo injuria, ac *vi*, quod mox additur. Caetera fic reftituo: *Si is ad quem ea res. . .* de fervis enim loqui Praetorem indicat dicta lex 1. §. 6, ubi eadem verba, parumper tamen mutata, uti factum faepiffime, repetuntur.

(p) *Kal.* Heid. habet *KT.*

§. 5. Pro *Impp.* Heid. exhibet *Imp.*, dein ante *id eft* afterifcum ponit. Lacunam ita fupplet Schultingius: *Tiberiano II*, pro *et Diogene* emendat *et Dione.* Legendum forte, quafi per geminationem: *Mar. Max. et Diogene*, hoc eft, *Martias, Maximiano.* Diogenis nomen Romae non incognitum, in Pandectis memoratur. Fuit autem fortaffe Conful fuffectus. PP expono *propofita.* Denique in fine excidiffe credo *Coff.*, quod manifeftum videtur ex adjecta voce *ter.* Similiter ex eodem Gregoriano Codice refert nofter *Tit.* 3. *in fine: Dioclitiano A. III. et Ariftone Conff.*

§. 6. (a) *Dirimit.* Uti in §. praecedenti eft *dirimerit*, ita hoc loco *dirimit* legas, an

spondit: [b] Et qui conjunctae sororis filiae bona fide abstinuit, poenam remitti palam est: quia qui errore cognito diremit coitum, creditur ejus voluntatis fuisse, ut, si scisset se in eo necessitudinis gradu positum, non fuisset tale matrimonium copulaturus

Idem dicitur in eos, qui incestas nuptias contraxerunt. Maledicti tamen sunt omnes incesti per legem, cum adhuc rudibus populis ex Divino nutu condita iisdem adstipulantibus sancirentur. Et utique omnes maledicti puniti sunt, quos Divina et humana sententia consona voce damnavit. Lex Divina sic dicit:

§. 7. Maledictus (*inquit*) *dixit MOYSES*, qui concubuerit cum uxore patris sui: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui concubuerit cum sorore sua de patre aut de matre: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui concubuerit cum nuru sua: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui concubuerit cum socru sua: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui concubuerit cum sorore patris sui: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui concubuerit cum sorore matris suae: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui concubuerit cum sorore uxoris suae: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui dormierit cum uxore fratris sui: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat. Maledictus, qui dormierit cum omni pecore: et dicit omnis populus, Fiat, Fiat.

Explicit Titulus de adulteris, stupratoribus, et incestis.

an *diremit*, parum interest: tum quoniam E et I litteras confundi frequentissime unicuique notissimum est, vid. Brissonius *in Parerg.* §. 33. tum praesertim, quia et conjugationes veteribus haud raro mutatas fuisse novimus. Integrum de eo argumento caput decimum operis sui scripsit Nonius. *Redimeris* est in *Tit.* 10. §. 7. *sq.*

(b) *Et, qui conjunctae.* Ita in scriptis codicibus antiquis exstat: quod praeferendum prae emendatione Pithoei, quam temere in textum receperunt Editores: non enim conjunctione abstinet, quippe quae jam dudum facta fuit, adeoque infecta fieri nequit, sed uxore abstinet conjuncta, aut, quod idem est, uxoris conjunctae. Confer Fratrem *p.* 190. Pro *et* tamen malo *ei.*

§. 7. Desumta pleraque ex *Deuteron. Cap.* 27. Ita ad hunc §. Venema: *Inserta sunt aliqua ex Levit. XVIII non tantum, sed et illud singulare est, quod, uti Cod. Romanus LXX Interpretum, dissentiente tamen MS. Oxon., quod* cum sorore patris *habet, maledictionem quoque pronuntiatam dicat in eum, qui* concubuerit cum uxoris suae sorore: *cum tamen Levit. XVIII conjugium cum sorore uxoris tantum vetitum sit*, quamdiu vixerit uxor, *quod expresse additur, etiam in omnibus versionibus. Nec, mortua uxore, sororem ejus ducere prohibitum erat.*

To inquit abundare videtur: Ad legem enim vix potest referri, siquidem praecessit: *lex divina sic dicit.* Alterutrum itaque, *inquit* puta vel *dixit*, glossemati tribuo.

TITULUS VII.

Incipit de Furibus, et Poena eorum.

§. 1. [a] *Quod si duodecim tabularum * nocturnum furem, autem, si se aut telo defendere, interfici jubent, scitote, Jurisconsulti, quia Moyses prius hoc statuit, sicut lectio manifestat.*

MOYSES [a] *dicit:* Si persodiens nocte parietem inventus fuerit fur, et percusserit eum alius, et mortuus fuerit hic, non est homicida is, qui percusserit eum: Si autem sol ortus super eum, reus est mortis percussor, et ipse morietur.

§. 2. *PAULUS libro Sententiarum V., ad legem Corneliam de sicariis et veneficis:* Si quis furem nocturnum, vel diurnum, cum se telo defenderet, occiderit, hac quidem lege non tenetur: sed melius fecerit, qui eum comprehensum, transmittendum ad Praesidem magistratibus obtulerit.

§. 3. *ULPIANUS* [a] *libro VIII. ad Edictum, sub titulo: Si quadrupes pauperiem dederit:* Injuria occisum esse merito adlcitur: non enim sufficit occisum, sed oportet injuria id esse factum. Proinde, si quis servum latronem occiderit, lege Aquilia non tenetur, [b] quia non * occidit. Sed et quemcunque alium ferro se petentem qui occiderit, non videbitur injuria occidisse. Proinde si furem nocturnum, quem lex duodecim tabularum omnimodo permittit occidere, aut diurnum, quem [c] eaque lex permittit, sed

§. 1. [a] *Quod si XII tabularum.* Corrigo: *Quod si duodecim tabulae* (pro *tabular*, id est, *tabularum* acceperunt scribae) *nocturnum furem, aut om*, (hoc est, *omnem*, vide Probum) *si se audeat telo defendere.* De re vide §. 3. *sq. Quia* pro *quod* posuit Compilator, ceu notavit Frater *p.* 201.

(b) *Dicit. Exod. XXII:* 2. et 3. Addi autem explicationis ergo a Pariatore *nocte* et *alius etc.* observat Cel. Venema *l. c.*

§. 3. (a) *Libro VIII.* Probabilis videtur Pithoei conjectura reponentis *libro XVIII.* Vide Ulpiani fragmenta subjecta titulo *D. ad Legem Aquiliam*, in primis *L.* 3. et 5. *eod.* In Numeris autem error uti facilis est, ita frequens admodum in reliquiis Jurisconsultorum, aliorumque.

(b) *Quia non.* Per geminationis remedium, veram, credo, restitues lectionem, si reponas: *quia ita non.* Omissa vox media, quae per IĀ olim fuit notata, teste Magnone. Confer Fratrem *p.* 195.

(c) *Eaque.* Varie mutant Interpretes. Retenta lectione vulgata *ea* pro *eadem* accipiendum videtur. *Id* pro *idem* positum saepissime, etiam in Pandectis Florentinis, observavit H. Brencman *in Histor. Pand. pag.* 120. Dubito, utrum usui adscribendum existumem, an scripturae compendio id tribuam. *Id* pro *Idem* exarari solere affir-

sed ita demum, si se telo defendat, videamus, an lege Aquilia teneatur. Et Pomponius dubitat, [d] nunc haec lex non sit in usu. Et si quis noctu furem occiderit, [e] non dubitamus, quin lege Aqui-

affirmant Valerius et Diaconus. Permutata inter se vocabula illa fuisse dubitari non potest. *Id* pro *idem* adhibitum in *L. 11. C. Th. de Susceptorib.* Exempla plura suppeditant Best. *p.* 38. Forn. *Rer. Quot. Lib.* 3. *Cap.* 26. J. Arntzen. *ad Plin. Paneg. p.* 191. et Ant. Matthaeus *de Auctionib. pag.* 6. *num.* 6.

Multum negotii facessiverunt Viris Doctis verba Venuleji in *L.* 23. *D. de Testib: Produci testis is non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit.* Consule Cl. Heinecc. *in Praefat., praemissa Observationib. Ampl. Bynkersboeckii*, et Marckartum *in Probab. Lib.* 1. *p.* 14. Difficultatis nihil supererit, si *eum* intelligas *eundem*.

Eodem remedio adjuvanda plerique censent Ulpiani verba in *L.* 42. *D. de Verb. sign: Probrum et opprobrium id est*, ac restituendum putant *idem est.* Vid. Noodt *Prob. Lib.* 1. *Cap.* 12, quorum tamen in castra non transgredior. Probrum proprie flagitium denotat, omnemque turpitudinem, quae ignominiam habet comitem. Opprobrium convicium significat, quod fit cui propter admissum in se probrum. Vid. Popma *de Differ. Verb. Lib.* 4. Diversa ergo utique inter se sunt probrum et opprobrium. Confer Opuscula *de Lat. Vet. Jctor. p.* 110. *sq.* Frigidiora autem sunt et longius petita, quae proferunt, qui probrum aliquando opprobrium dici posse probare adnituntur. Vel sic tamen *id* notam non *idem* exponam, sed *interdum*, quam vocem per *id* signatam Magno et Diaconus testantur. Malim tamen dicto loco pro *id* substituere *injuria*. Certum apparet ex iis, quae notavit Cl. Ducker in Commentariis ad *l. c. p.* 120. desumtam esse *d. l.* 42. ex libro Ulpiani eo, in quo de injuriis egit. Probrum autem et convicium injuriam esse quis dubitet? vid. *L.* 1. *D. de Injur:* Contracta scriptura errorem peperit.

(d) *Nunc.* Rescribendum esse *num* dudum demonstrarunt alii. Pomponii opinionem, verius putantis, Aquilia etiam teneri, qui fures ejusmodi occiderit, validissimis argumentis refellit Ulpianus. Aut injuria occidit, aut, non. Si injuria, omnimodo tenetur homicida, non tantum lege Aquilia, sed insuper ex lege Cornelia damnabitur. Sin injuria absuit, neutra lege tenebitur.

(e) *Non dubitamus quin.* Scriptum fortasse fuit Q N, quam notam *quod non* interpretatur Magno. Qui noctu furem occidit, non teneri palam est: quin *et, si metu quis mortis furem occidit, non dubitatur, quin lege Aquilia non teneatur*, Ulpianus ait in *L.* 5. *pr. D. ad L. Aquil.* Variis librariorum erroribus occasionem praebuisse exiguam notarum differentiam, quibus, *qui, quis*, caeteraeque vocum harum terminationes, indeque descendentia vocabula fuere distincta, exemplis plurimis antea demonstravi. Unicum adjicere liceat cum maxime illustre hoc quidem ac notabile. Scaevola in *L.* 28. §. 1. *D. de Liberat. leg. Maevia*, inquit, *testamento suo alterum ex heredibus suis actione tutelae voluit liberari his verbis: Rationem tutelae, quam egit Julianus Paulus eum Antistio Cicerone, posci ab eo nolo, eoque nomine causa omni liberatum esse volo: Quaero, an, si qua pecunia ex tutela apud eum remansit, peti ab eo possit? Respondit: Nihil proponi, cur pecunia, quae pupillae est, et apud tutorem posita maneret, legata videretur.* Idem in *L.* 31. §. 2. *eod. Titia*, ait, *quae duos tutores habuerat, ita cavit: Rationem tutelae meae, quam egit Publius Maevius cum Lucio Titio, reposci ab eo nolo: Quaeritur, an, si qua pecunia apud eum ex tutela remansit, peti ab eo possit? Respondit: nihil proponi, cur non pecunia, quae pupillae est, et apud tutorem remaneret, legata videretur.* Eundem vides Jctum in eadem materia sententiam diversam proponere. Nihil egisse videtur Glossator, nescio quis, ad *d. l.* 31, qui negationem ibidem abundare existumat, al-

Aquilia teneatur. Sin autem cum possset adprehendere, maluit occidere, magis est, ut injuria fecisse videatur. Ergo etiam lege Cornelia tenebitur. Injuriam autem accipere hic nos oportet, non, quemadmodum et circa injuriarum actionem, contumeliam quandam, sed quod non jure factum est, hoc est, contra jus, id est, si culpa quis occiderit. *Et reliqua.*

§. 4.

allegatque *L. 24. pr. D. de damn. inf.*, aliasque leges quamplurimas, in quibus idem usu venire arbitratur. Varias aliorum conjecturas, quibus capita haec aperte sibi invicem contraria conciliare studuerunt, qui cognoscere desiderat, adeat is Celeb. J. C. Ruckeri *Interpr. Lib.* 2. *Cap.* 8. Ampl. Van de Water *Obs. Lib.* 1. *Cap.* 1. et Cons. Duirsema *Conject. Lib.* 1. *Cap.* 3.

In primis indagandum illud arbitror, utrum pecunia, quae penes tutorem reliqua est, legata videri debeat, nec ne: Ex Scaevola non quaero, quippe qui, si utramque utriusque legis lectionem retinemus, altero loco affirmat, altero negat. Audiamus Modestinum: Ita ille in *L.* 20. §. 1. *D. de Liberat. Cajus Sejus* ait . . . *cum* (malo *quam*, hoc est, *antequam.* Ellipseos istiusmodi exempla pete ex Vechnero *in Hellenol. Lib.* 1. *Cap.*5.) *in fatum concederet . . . Modestinus respondit: Si quod dolo curatores fecerunt, aut si quae res testatoris penes eos sunt, eo nomine conveniri eos posse.* Addo Ulpianum in *L.* 9. *eod: Si quis rationes exigere vetetur, . . . non impeditur reliquas exigere, quas quis se reliquavit, et si quid dolo fecit, qui rationes gessit. Quod si quis et haec velit remittere. . .* Rescribendum puto: *reliqua exigere, quibus quis se obligavit, et si* Q̣N̄ (nota haec, si Magnoni fides, significat *quando* et *quid non*: posteriorem notionem opto) *dolo fecit, qui rationes gessit. Quod si quis et haec* puta reliqua *velit remittere.* Quod *reliquavit* pro *obligavit* dederunt librarii, causam praebuit vox antecedens *reliqua.* Sententiam legis hanc accipe: si quis in testamento suo vetet heredem exigere rationes, non impeditur tamen is exigere ea, quae reliqua sunt, hoc est, pecuniam, quae apud eum, qui rationes gessit, remansit: ita enim jure est constitutum, ut ad reddendas rationes, aut dicam potius ad praestanda reliqua obligasse se videatur, etiam si quis sincera side sine dolo gesserit. Itane vero remitti nullo modo potest necessitas praestandorum reliquorum, reddendarumque rationum? Imo potest, si ita dixerit testator etc. Add. *L.* 28. §. 9. *D. eod.* De remissa reddendarum rationum necessitate tutori curatorive pluribus pertractat Vinnius *in Select. Quaest. Lib.* 2. *Cap.* 16. Quam clarissime, nisi me fallunt omnia, elucescit, quid juris statuendum circa quaestionem ante propositam, ac manifestissime apparet, attendi debere jus traditum in *L.* 28. §. 4. *c.* Quod autem contra jus statuitur in *L.* 31. §. 2. *eod.*, facile expedies, si pro *cur non* reponas mecum *quo modo. Cur non*, aut, quemadmodum olim scribi solebat *quur non*, his notis exaratum fuisse ex Magnone constat QQ N°, *quo modo* autem ita signatum ex eodem liquet Q°M°.

Urgebit tamen fortasse quispiam, et cum Cl. Ruckero vero neutiquam simile esse opponet, Tribonianum eandem sententiam ejusdem Jcti sub eodem titulo, ac quidem loco admodum propinquo, bis fuisse propositurum: Verum in memoriam revoces velim, frequentissime ita usu venire in juris nostri corpore: exemplorum quantum satis est subministrat Pratejus, qui ex professo materiam hanc persecutus est in libello Geminationum *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 3. *p.* 510. Dein id tecum reputes rogo, facillimo negotio fieri potuisse, ut Pandectarum Architecti, dum non breve aliquod caput fragmenti, sed maximam ejus partem uno tenore librariis describendam, atque operi suo inserendam mandaverunt, quod utrique legi nostrae fa-

ctum

§. 4. *ULPIANUS libro octavo de officio Proconsulis, sub titulo de furibus:* Fures ad forum remittendi sunt diurni, nocturnique extra ordinem audiendi, et causa cognita puniendi: [a] dum poena eorum sciamus operis publici modum non egrediendum. Idem et in balneariis furibus. Sed si se telo fures defendunt, vel effractores, vel ceteri similes, nec quemquam percusserunt, metalli poena humiliores, honestiores vero relegatione adficiendi erunt.

§. 5.

ctum fuisse palam est, non adeo attenti fuerint ad singulas istius partes, in medio fragmenti collocatas, ut jam antea se exhibuisse sensum illius statim fuerint recordati. Est itaque hic, si quis unquam, error excusabilis. Denique in *d. L.* 31. verba citata repetendi ratio haec fortasse fuit, ut ita daretur locus docendi contutorem non liberari, quo de in *L.* 28. cautum non fuerat. Nemo itaque temere vitio vertat juris Architectis, quod bis eandem rem, non iisdem tamen verbis, sed sensu simillimo, proponere, ac repetere maluerunt, quam rumpere sententiae nexum. Nullus itaque adsentiar illis, qui in talibus illico diversos casus ponendos esse temere sibi persuadent. Dabo, quod sententiam meam evincat exemplum unicum nostro convenientissimum: Confer quaeso *L.* 28. §. 6. et *L.* 31. §. 4. *D. d. t:* Eandem rem intelliges ab eodem Jcto proponi verbis aliquantulum variatis, idem jus doceri percipies. Quid quaeris? et hoc addo, verosimile mihi neutiquam videri, Tribonianum, si ita varie respondisset Scaevola in eodem casu, in locis adeo sibi propinquis, haud additurum fuisse differentiae rationem.

§. 4. (a) *Dum poena.* Heidelbergensis editio exhibet *cum poena.* Qui utraque loca, legem puta 1. *D. de furib. balnear.*, et hunc §. inter se confert, animadvertet is in *L.* 1. *c.* pro *cuiquam* mutandum esse *quemquam*, hic loci pro *poena* restitui posse *in poena.* Posse dico, negari enim nequit praepositionem saepissime omitti. In *L.* 239. §. 2. *D. de V. S. Oppidi finibus agrum habere* dixit Pomponius. Horatius *Lib.* 1. *Sermonum Sat.* 3. *v.* 8. vocem memorat,

resonat chordis quae quattuor ima.

Confer Vechner. *in Hell. p.* 278. Desideraretur procul dubio saepius haec vocula, nisi invitis codicibus MSS. a nasutulis plurimis locis frustra ea fuisset adjecta, quo de vide Cl. J. Arntzenium *ad Aurel. Vict. p.* 53. *et alibi.* Hac arte exponenda esse reor Ulpiani verba in *L.* 9. §. 3. *D. de Transaction: His tantum*, hoc est in his *transactio obest. . . , de quibus actum probatur: nam*, quod attinet ad *ea, quorum* id est, quarum rerum (quo eodem modo *quae utraque* pro quas utrasque res, hereditatem puta et libertatem, dixit idem Ulpianus in *L.* 13. §. *ult. D. de Testam. Mil.* quod mirandum est profecto fugisse, aut non animadvertisse Bestium *p.* 136., qui geminationis ope verba adjuvanda censuit) *actiones competere ei postea* demum post initam transactionem *compertum est, iniquum est perimi pacto id, de quo cogitatum non* fuisse *docetur.* Ita si explices, prono quasi alveo cuncta fluere deprehendis, ac tuto idcirco careri posse d'Arnaudtii, aliorumque conjecturis, propositis *in Conj. Lib.* 1. *Cap.* 7. Neque vero vanam hanc Jcti repetitionem existimes: siquidem rem ante demonstratam pluribus dein, additis etiam aliis speciebus, exsequitur. Caeterum ταυτολογιας in jure aliquando obvias esse dissimulandum non est. Consule Noodt in *Prob. Lib.* 3. *Cap.* 10. *et de Pactis Cap.* 4. Rygerbos *in Obs. p.* 25. *sq.* Vryhof *in Obs. p.* 2. *et* 104.

Addo *L.* 32. *D. de Action. emt. et vend. Si quis*, inquit Ulpianus, *a me oleum, quod emisset, adhibitis iniquis ponderibus, accepisset, ut in modo me falleret, vel emtor circumscriptus sit a venditore ponderibus minoribus, Pomponius ait posse dici, venditorem sibi dare oportere, quod plus est PETERE: quod habet rationem: Ergo*

§. 5. *PAULUS libro sententiarum, sub titulo de furibus.* Furti quocumque genere damnatus, famosus efficitur. Fur est, qui rem alienam contrectat. Furtorum genera sunt quatuor, manifesti, nec manifesti, concepti, et oblati. Manifestus fur est, qui in faciendo deprehensus est, et intra terminos ejus loci, unde furatus est, conprehensus est, vel antequam ad eum locum, quo destinaverat, pervenerit. Nec manifestus est fur, qui [a] intra rapiendo quidem conprehensus non est, sed eum fecisse negari non potest. Concepti actione tenetur, apud quem furtum est inventum. Oblati actione is tenetur, qui rem furtivam alii obtulit, ne apud se inveniretur. Furti actione is agere potest, cujus interest rem non perisse. [b] Conceptiva autem agere potest qui rem [c] concepit, et invenit. Oblati agere potest, penes quem res [d] concepti inventa est.

Explicit Titulus de Furibus.

et emtor ex emto babebit actionem, qua contentus esse possit. Transpositionis remedium adhibent nonnulli. Corrigo: *quod plus est pondere*, id est, in pondere. Emptor contentus esse debet actione empti: neque ergo competit ei actio doli, quae est subsidiaria.

§. 5. (a) *Intra rapiendo.* Heid. habet *in rapiendo.* Scriptum fortasse fuit *in re rapienda*, aut *facienda*, ut supra. Repetitionem τεν *omnibus* in *L.* 14. §. 16. *D. de Furtis* tribuo mori Ulpiani, quo de alibi dixi.

(b) *Conceptiva autem.* Licet ferri posse videatur lectio vulgata, si tamen emendari velis, reponam: *Concepti vero actione agere.*

(c) *Concepit, et invenit.* Interpretor: concepit, id est, invenit. *Et* pro *id est* a Jctis frequentissime usurpari demonstrarunt C. V. Vonk *in Spec. Crit. p.* 85. Forster *in Obs. Subsec. Lib.* 1. *Cap.* 26. et Heinnecc. *in Comment. ad L. Jul. et Pap. Lib.* 2. *Cap.* 6. add. Schroder *in Obs. Lib.* 1. *Cap.* 3. Hoc modo exponenda quoque esse arbitror Pauli verba, quae descripta ex *libro* 1. *Sententiarum* ejus, in Pandectas relata, collocata sunt in *L.* 22. *pr.* sub titulo *ad Municipalem.* Schultingius posuit in Sententiis *Lib.* 1. *in pr. Filii* inquit *libertorum, libertarumque, liberti paterni, et patroni manumissoris domicilium aut originem sequuntur.* Absona plane videntur haec plerisque: quo modo restituere tentarint ea, vide locis citatis. Quid si ita exponamus? Filii libertorum, libertarumque sequuntur domicilium aut originem liberti paterni: est autem is, qui primus manumissus est. Stichum servum manumisit Cajus: Stichus libertus sequitur domicilium Caji: filii Stichi sequuntur domicilium Stichi, patris sui, liberti, *et*, accipe: id est, patroni manumissoris, adeoque Caji, qui patrem manumiserat: filii enim Stichi, quum sequantur domicilium Stichi, patris sui, liberti, isque Stichus, (aut si mavis Cajus, quippe qui jam patroni nomine adscito momento temporis exiit Cajus) sequatur domicilium Caji patroni sui, sequuntur adeo Stichi et Caji domicilium. Perinde itaque est, utrum dicas filios sequi domicilium patris, an patroni manumissoris. Manumissores autem patronos dictos, quis sanus dubitet? v. §. 3. *legis c.*

(d) *Concepti inventa.* Elegantissime restituit Pithoeus: *concepta, id est inventa est.*

TITULUS VIII.

Incipit de falso Testimonio.

§. 1. MOYSES *dicit :* Si steterit testis injustus adversus hominem accusandum, accusans eum impietatis, stabunt duo homines, quibus est invicem contentio, ante Deum, et ante sacerdotes, et ante judices, quicunque fuerint in illis diebus. Cum inquisierint judices diligenter, et inventus fuerit testis injustus testificans injusta, insurgentes adversus eum, facietis ei, sicut voluit malefacere: et delebitis malum de medio vestrum, et ceteri audientes timebunt, nec audebunt mala facere inter vos.

§. 2. *PAULUS libro singulari de poenis omnium legum, sub titulo ad legem Juliam de adulteriis :* Qui falsum testimonium dixerit, proinde tenebitur, ac si lege Cornelia testamentaria damnatus esset.

§. 3. *PAULUS libro sententiarum quinto, sub titulo de testibus, et quaestionibus:* Hi, qui falsum, vel * aliqua testimonia dixerunt, vel utriusque parti prodiderunt, aut in exsilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curia submoventur.

§. 4 *IDEM libro * ad legem Corneliam de sicariis et veneficis:* Lex Cornelia poenam deportationis infligit ei, qui hominem occiderit, ejusque rei causa, furtique faciendi, cum telo fuerit, et qui venenum hominis necandi causa habuerit, vendiderit, paraverit, falsumve testimonium dixerit, quo quis periret, mortisve causam praestiterit. Quae omnia facinora in honestiores poena capitis vindicari placuit: humiliores vero aut in crucem tolluntur, aut bestiis subjiciuntur.

§. 5.

§. 1. Pro *dicit* Heid. habet *dixit.* Vide Deut. XIX: 16. *sq. Habet* insurgentes adversus eum *pro* insurgens, (*forte vitio librarii,*) *quod textui Hebr., omnibus versionibus, etiam rei ipsi est convenientius. Sed praeterea habet :* ante Deum et ante Sacerdotes, *uti LXX et Syr., sed Chald. et Vulg.* et *omittunt, quod rectius est.* Ita ad h. §. Cel. Venema.

§. 2. Intelligo: qui falsum testimonium dixerit in accusatione adulterii. De poena legis Corneliae de falsis, quae et *testamentaria* per eminentiam dicta est, et *de testamentis*, quoniam in primis ea prospexit ne fraus fieret in ultimis voluntatibus, itemque qui ea teneantur, multis egit Paulus *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 7. et *Lib.* 5. *Tit.* 25., ibique Interpretes.

§. 3. Ex lege 16. *D. de Testib.*, et Pauli *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 15. §. 5. sic corrigo: *qui falsum, vel varie qua* id est, aliqua *testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt* testimonia. Pro *utriusque* in Heid. exstat *utriusve.*

§. 4. Exstitit forte; *Item ad legem . . .* Nasutulus quidam mutavit: *Idem*, opinatusque quid deesse, insulse addidit *libro.* Unde desumta haec sint indicat Auctor *Tit.* 1. §. 2., quo loco idem fragmentum exhibetur.

§. 5.

§. 5. *PAULUS libro ſententiarum V, ſub titulo ad legem Corneliam teſtamentariam:* Hi, qui ob falſum teſtimonium perhibendum pecuniam acceperint, dederint, judicemve, ut ſententiam ferat, vel non ferat, corruperint, corrumpendumve curaverint, humiliores capite puniuntur, honeſtiores pubicatis bonis cum ipſo judice in inſulam deportantur.

§. 6. *IDEM eodem libro et titulo:* Falſum eſt, quicquid in veritate non eſt, ſed pro vero adſeveratur.

§. 7. *ULPIANUS ſub titulo de poena legis Corneliae* [a] *teſtamentariae libro VIII.* Praeterea factum eſt Senatuſconſultum [b] Statilio et Tauro Conſulibus, quo poena legis Corneliae inrogatur ei, qui quid aliud quam teſtamentum ſciens ſignaverit, ſignarive curaverit. Item qui [c] falſas teſtationes faciendas, teſtamentave falſa invicem dicenda aut conſignanda dolo malo curaverit, [d] Licinio V. et Tauro Conſſ. Item qui [e] ob ſtruendam advocationem

§. 5. Conſule Interpretes ad Paul. *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 25. §. 2.

§. 7. Heid. aſteriſcum collocat poſt VIII. itemque ante *Statilio.*

(a) *Teſtamentariae libro VIII.* Lego *all.* hoc eſt, allegato *libro VIII:* intellige de officio Proconſulis, quem citaverat *Tit. praecedenti* §. 4.

(b) *Statilio et Tauro Conſulibus.* Conſtat ex Faſtis Conſularibus apud Almeloveen. p. 256. T. Statilium Siſennam Taurum plures habuiſſe collegas. Unum, credo, Taurum nominaſſe hoc loco ſufficere credidit Ulpianus, ob id praeſertim, quia in poſterioribus utriuſque nomina adjunxit. Scripſiſſe cum puto *Statilio Tauro Coſ.* Emendaturus alius adſcripſit *Statilio et Tauro Conſulibus*, quae poſtea perperam, uti centies factum, in textum admiſſa.

(c) *Falſas teſtationes faciendas, teſtamentave.* Poſſis refingere: *falſas teſtationes faciendas, eas, teſtamentave.* Alia propoſui ad Ulpiani *Tit. de Libert.* §. 6. *pag.* 7.

(d) *Licinio V et Tauro Conſſ.* Collegae hi quod in Faſtis non memorantur, ratio eſt, opinor, quod alteruter eo tempore ſuffectus fuit. Caeterum Licinii plures Conſules recenſentur *l. c. p.* 144.

(e) *Ob ſtruendam advocationem.* Malo *ob l* hoc eſt *inſtruendam advocationem*, uti eſt in *L.* 1. §. 1. *D. ad L. Corn. de Falſis*, *ad litem inſtruendam advocatione* eſt in *L.* 20. *eod.* Interpretor: cavillationibus, fraudibus, dolo malo pelliciendos ac corrumpendos advocatos, qui ſunt, qui aut jus ſuggerunt, aut praeſentiam ſuam commodant amico, quo modo optime eos deſcripſit Aſconius *in Cicer. Divinat. Teſtimonia* intelligo teſtes. Struere, ſive inſtruere teſtimonia, eſt teſtes calliditate ac fallacia corrumpere. Pari modo exponi poſſit *L.* 21. §. 3. *D. de Teſtib. Non enim ad multitudinem reſpici oportet: ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem, et teſtimonia, quibus potius lux veritatis adſiſtit.* Malunt nonnulli *teſtium fidem.* Neceſſarium non putem ita reſcribi, tum quoniam cauſſa nulla apparet in ſuſpicionem vocandi dictionem elegantiſſimam *ſincera teſtimoniorum fides*, tum quia commode interpretari poſſumus *teſtium fidem.* Ita *ſervitus* pro ſervis, *officia* pro officialibus, alia, tritiſſima ſunt in jure. v. Bynkersh. *Obſ. Lib.* 3. *Cap.* 14. *Miniſteria* pro ſervis dixit Ulpianus *Tit.* 12. §. 7. *Succeſſio tota*, pro omnes ſuccedentes, Paulus *Tit.* 16. §. 3. *infra.* Repetitiones ejuſmodi Jctis eſſe uſitatiſſimas ſaepius oſtendi. Per geminationem forte haud abſurde quis praeferat: *teſtimonia ea.* Quae proxime praecedunt verba:

nem, testimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem

verba: *credendum est sed quod naturae negotii convenit*, corrigenda censent nonnulli: *credendum est id.* Propius dictantis sonum secuturus videtur, qui reponat *et.* Confer quae ad hanc legem observavit Eruditiss. Koen *in Diss. c. Cap.* I. *Testimonia* dixit Ulpianus eadem locutione, qua *operas* posuit Scaevola in *L.* 27. §. I. *D. de Instr. et Instr. Leg.* Digna verba quae nitori suo restituantur. Sic exhibet Codex Florentinus: *Adfini suo ita legavit: fundum Cornelianum Titio, ita ut est instructus, cum omnibus rebus et mancipiis, et reliquis colonorum dari volo. Haec testatrix Romae litis causa ex Africa veniens mancipia quaedam ex fundo suprascripto quo citius per byemen OPERAM ELEGERET, secum abduxit.* Haloander exhibet *ORAM LEGERET.* Gothofredus dat *OPERAM LEGARET.* Lugdunensis editio, quae anno 1557. prodiit apud Hugonem a Porta et Antonium Vincentium, habet *AD ORAM LEGARET.* Pro *Romae Romam*, pro *citius tutius* referunt notata Ruffardi in margine. Animus non est immorari hoc loco recensendis conjecturis eorum, qui ad dictam legem commentarios scripserunt. Nominasse sufficiat Scipiom. Gentil. *Lib.* I. *Parerg. Cap.* II. Catharin. *in Thes. Jur. Otton. Tom.* I. *p.* 496. et Perrenon. *ibid. p.* 650. Levissima mutatione pro *operam elegeret*, quae scriptura est optimi Codicis Pisani, substituo *OPERAS*, vel *OPERA RELEGARET:* quae emendatio in spem venio fore, ut non sit displicitura, vel propterea, quoniam omnes litterarum ductus integre atque anxie sunt servati. Testatrix quaedam *Romam* (sic malo) secum abduxit servos ex Africa, *quo citius per byemem operas relegaret*, hoc est, operarios, sive servos remitteret. Maxime enim incommodum fuisset matronae illi, si vel ob levissima quaeque negotia hominem Romanum, itinerum forte imperitum, peregrinum, neque fidei satis cognitae ac probatae, in Africam mittere debuisset: contra vero expediebat in primis paratos semper atque in promptu habere servos suos, quorum fidei adquiescebat, ut, si res exigeret, in patriam suam remittere eos posset: veluti, si quid petendum ex Africa, quo res instrueretur, si testes audiendi, nummi petendi, quibus litis impensae solverentur, aliave fierent pro re nata. *Operas* dixi intelligendos operarios, dictione usitatissima. Ita Suetonius *in Augusto Cap.* 3. *inter divisores*, inquit, *operasque campestres.* Notandum praecipue hoc ejusdem in *Vespas. Cap.* I. *Manceps*, ait, *operarum, quae ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solerent.* Pomp. Mela *Lib.* I. *Cap.* 12. *Num.* 3. *Phoenices, solers hominum genus, et ad belli pacisque munia eximium, litteras, et litterarum operas, aliasque etiam artes ....* Adde Petron. *Satyr. Cap.* 122.

Mercedibus emtae,
Ac viles operae, quorum est mea Roma noverca.

Confer Cl. Ducker. *ad Flor. Lib.* 2. *Cap.* 15. *Num.* II. Vorstius *de Lat. select. Part.* I. *Cap.* I. *p.* 51. observat operas *κατ' ἐξοχὴν* vocari, qui viliorem operam praestant, adde Kortte *ad Cic. Epist. Lib.* 13. *Ep.* 9. *Num.* 4. Quid quod in eadem hac lege *officia rustica* dicantur coloni ac servi. Caeterum *relegare* pro remittere, ne de eo dubites, usurpavit et Plinius *Hist. Nat. Lib.* 7. *Cap.* I. *Nec tamen*, inquit, *ego in plerisque eorum obstringam fidem meam, potiusque ad auctores relegabo, qui dubiis redduntur omnibus.* Libri alii habent: *de dubiis rogentur.* Quid si rescribamus: *qui dubiis creduntur omnibus:* relegat lectores ad scriptores, quibus creditur ab omnibus, etiam illis, qui alioquin dubitare solent de plerisque. Pro simplici legare, seu mittere sexcenties vox adhibetur, vid. notae ad Vellej. Paterc. *Lib.* 2. *Cap.* 44. *Num.* 2: hinc *relegare filium rus, relegare in insulam*, reliqua. Adjungo Accursii glossam, quae, quamvis inepta, facere tamen videtur ad aperiendam veram verborum lectionem: *Operam*, ait, *legaret, id est, mitteret operam, sc. effectui: operam dico eundi: nam lego te in Tusciam, id est,*

tem coierit, aut aliquam [f] delationem interposuerit. Item si quis coierit ad [g] occisionem innocentium, Senatusconsulto, quod [h] Cotta et Messala factum est, cohercentur. Sed et si quis [i] ob venundandum vel * denudandum * non remittendumve testimonium pecuniam acceperit, Senatusconsulto, quod duobus Geminis Conss. factum sit, poena legis Corneliae adficitur. *Et reliqua.*

id est, mitto, secundum Hugo. Item per hoc patet, quod non perpetuo a fundo voluit removere.

Romam reposui pro *Romae.* M. litteram novimus, lineola olim notatam, perperam saepiuscule a scribis omissam. Hac arte adjuvandam puto lectionem corruptissimam *legis* 36. *D. de Ritu Nuptiar: Tutor*, inquit Paulus, *vel Curator adultam uxorem ducere non potest: nisi a patre desponsa, destinatave, testamentove nomina conditione nuptiis secuta fuerit.* Quae sit virgo desponsa destinataque, non est quod pluribus exponam, neque item, quae sit aliorum de verbis illis sententia. Otium in his fecit industria Ampl. Van de Water *in Obs. Lib.* 3. *Cap.* 5., Cl. Marckarti *in Interpr. Lib.* 2. *Cap.* 9., et Cl. Schroderi *in Obs. p.* 236., quibus adde Jensium *in Strict. p.* 168. Sic emendo: *nominatā conditionē nuptiis*, hoc est nominatam conditionem in nuptiis, aut, si id praeferas, *nuptura secuta fuerit.* Adjungo *L.* 4. *pr. D. de Peculio.* In Florentino ita exstat: *Peculii est, non id, cujus servus seorsum a domino rationem habuerit, sed quod dominus ipse separaverit, summa servi rationem discernens.* Pro *peculii* malim *peculiā*, hoc est *peculium.* Per geminationem dein restituo *sua summa.* Eodem modo pro *sua* in *L.* 7. §. 2. *D. de Injur. summa* rescribendum putat summus Noodt *in Obs. Lib.* 1. *Cap.* 18.

(f) *Delationem.* Explico accusationem. *Obligationem* apud Marcianum in *d. l.* 1. §. 1., et Hermogenianum in *l.* 20. *c.* accipio machinationem cujus et artes dolosas, ad id ut obligetur quis crimine, quod nunquam perpetravit, instructis corruptisque testibus et advocatis.

(g) *Occisionem.* Accipio quaecunque consilia fraudulenta, dolosque malos, quibus innocens in vitae suae discrimen vocari possit, aut etiam nil tale meritus misere pereat.

(h) *Cotta et Messala.* Excidit forte *Coss.* Conf. *Tit.* 6. §. 5. *in fine.* Memorantur hi Consules fuisse in Fastis anno U. C. 773. v. Almel. *p.* 80.

(i) *Ob venundandum etc.* Refingo hoc modo: *Sed et si quis ob denuntiandum, vel denuntiatum modo, remittendum cui testimonium* . . . In *d. L.* 1. §. 2. pro *renuntiandum* restitui oportere *denuntiandum* cum Schultingio una nullus dubito.

T I T U L U S IX.

[*Incipit de familiari Testimonio non admittendo.*]

(a) *Incipit etc.* Omissa haec sunt in Heid. Desiderantur quoque in editionibus reliquis, si discesseris ab una Leidensi, quae sane non hujus valoris, ut propterea genuina

§. 1. *Item MOYSES :* falsum testimonium non dabis adversus proximum tuum.

§. 2. *ULPIANUS libro VIIII. de officio Proconsulis, ad legem Juliam de vi publica et privata :* Eadem lege quibusdam testimonium omnino, quibusdam interdicitur invitis, capite octogesimo VII. et capite octogesimo octavo, [a] in haec verba, * his verbis * HOMINIBUS HAC LEGE IN REUM TESTIMONIUM DICERE NE LICETO, QUI SE AB EO, PARENTEVE EJUS, [b] LIBERTOVE CUJUS EORUM * LIBERTUS LIBERTAVERIT, * QUIVE IMPUBES ERIT *, QUIVE EORUM IN INTEGRUM RESTITUTUS NON EST, QUIVE IN VINCULIS CUSTODIAQUE PUBLICA ERIT, QUIVE DEPUGNANDI CAUSA AUCTORATUS ERIT, QUIVE [c] BESTIAS DEPUGNARE LOCAVIT, LOCAVERIT, PRAETERQUAM QUI ACULANDI CAUSA AD URBEM MISSUS EST, ERIT, PALAMVE CORPORE QUAESTUM FACIET, FECERIT: QUIVE OB TESTIMONIUM DICENDUM PECUNIAM ACCEPISSE JUDICATUS ERIT: [d]

nuina haec, atque auctoris ipsius esse persuadeamur. Opiner potius, non novum hic titulum adposuisse Pariatorem, sed caput de falso testimonio inscriptum continuasse. Haec, credo, causa est, quod non, uti in caeteris, in fine Tituli praecedentis addita apparent verba: *explicit etc.* Manifestum quoque videtur ex §. 1. *h. t.* ubi *item* inquit *Moyses*. Ipsa autem Mosis verba de falso solummodo testimonio monent, non de familiari. Quod autem in calce adscribi vides titulum *de familiari*, factum puto, quia in §. 2 et 3. hujus capitis de ejusmodi testimonio sermo fit. Hoc certum, non eadem verba repeti inscriptionis titulo praemissae in subscriptione, qua finis ejus indicatur. Exemplo sint Tit. III. Tit. VI. Tit. VII. Tit. XI. Tit. XV. quin et aliquando nil nisi tituli numerus memoratur, vid. Tit. IV. Omittitur nonnunquam subscriptio v. Tit. II. et ult.

§. 1. *Exod. XX. c. 26.*

§. 2. (a) *In haec verba his verbis* : Scripsisse Ulpianum puto: *in haec verba*, hoc est, in his verbis. Confer *Tit.* 11. §. 7. Promiscue a veteribus, non juris modo auctoribus, sed vel ipso Cicerone, quem primum fuisse in eloquio, nemo quisquam negat, *in* praepositionem adjunctam casui quarto et sexto ante demonstravimus. Adde P. Pareum *in Lex. Crit.*, et Brisson. *in Parerg.* §. 72. Expliciturus quis dictionem, non adeo vulgarem sibi visam, in margine adnotavit *his verbis*, quae deinde ab imperitis librariis textui sunt interserta.

(b) *Libertove ejus etc.* Corrigo: *Libertove cujus* hoc est, alicujus ~~*eorum*~~ (*libertus*, *libertave erit*, sive is libertus, sive liberta erit,) *liberaverit*, *quive impubes erit*, *quive eorum* I. P. D. *in integrum restitutus non est*. Ignorantes scribae siglas propositas omiserunt. Ex Valerio Probo et Diacono sic expono: *judicio publico damnatus*.

(c) *Bestias depugnare.* Malo *bestias depugnare se locavit*, *locaverit*, hoc est, ad depugnandas bestias operam suam locavit, licet et per ellipsin sat commode *se* possit subintelligi. In sequentibus quoque est *faciet*, *fecerit*, qua de formula usitatissima vid. Cl. Marckart *in Interpr. Lib. Cap.* 23. De auctoratis et jaculatoribus ubere satis exposuerunt Interpretes. Pro *praeterquam* substituo *praeterea quoque*.

 (d)

[d] NEVE QUIS EORUM HAC LEGE IN REUM TESTIMONIUM DICAT. Capite octogesimo septimo [e] his: HOMINES INVITI IN REUM TESTIMONIUM NE DICANT, QUI SOBRINUS EST EI REO, PROPRIOREVE COGNATIONE CONJUNCTUS, QUIVE SOCER, GENER, VITRICUS, PRIVIGNUSVE EJUS ERIT. *Et reliqua.*

§. 3. *PAULUS libro sententiarum V, sub titulo de testibus et quaestionibus:* [a] Susceptos testes, et eos vel maxime, quos accusator de domo eduxit, vel vitae humilitas infamaverit, interrogari non placuit: in testibus enim et vitae qualitas spectari debet, et dignitas * [b] si sint adfinem, vel cognatum, inviti testes interrogari non possunt. Adversus se invicem parentes et liberi, itemque liberti, nec volentes ad testimonium admittendi sunt, quia rei verae testimonium necessitudo personarum plerumque corrumpit.

Explicit Titulus de familiari Testimonio non admittendo.

(d) *Neve quis eorum.* Reponendum censeo *reorum.* Reos intelligo, qui delictorum socii, ac participes sunt. *Legem* accipio legem Juliam de vi publica, de qua egit in antecedentibus.

(e) *His* supple *verbis*, quod praecessit. Haec si ita restituas conspirare optime omnia perspicies cum *L.* 3. §. 5. *D. de Testib.*

Reliquum est, ut, in quibus differat scriptura editionis Heidelbergensis, adjungamus. Pro *capite octogesimo VII.* exhibet: *capite octogesimo et VII*, pro *dicere ne liceto* dat: *dicere non liceto.* Asteriscum post *eorum* non admittit. Pro *in integrum* habet *integrum.* Plene dein scribit *qui jaculandi.* Denique pro *propriore* habet *propiore.*

§. 3. (a) *Susceptos.* Apud Paulum *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 15. §. 1. exstat: *Suspectos gratiae testes.* Quamobrem et hic praelero *suspectos.* Confer Schultingium.

(b) *Si sint adfinem etc.* Heid. exhibet: *si sint in affinem.* Lego: *si sint adfines, vel cognati, in eos inviti.* . . . .

T I T U L U S X.

Incipit de Deposito.

§. 1. *MOYSES dicit:* Si aliquis dabit proximo suo argentum, vel vas servare, et furatum fuerit de domo hominis; si invenitur, qui furatus est, reddet duplum: quod si non fuerit inventus fur, accedet is, qui commendatum susceperat, ante Dominum, et jurabit, nihil se nequiter egisse de omni re commendata proximi sui, et liberabitur.

§. 2.

§. 1. Ita ad h. §. Venema: Exod. XXII: 7. *Pro* dominus domus, *ut in textu Hebr. est; et omnibus versionibus, habet:* qui commodatum susceperat, *rem ipsam exprimens:* do-

§. 2. *MODESTINUS libro Differentiarum ſecundo, de depoſito, vel commendato*: Commendati judicio conventus etiam culpam praeſtare cogitur: qui vero depoſiti convenitur, de dolo, non etiam de culpa condemnandus eſt: [a] commodati enim contractu, quia utriuſque contrahentis utilitas intervenit, utrumque praeſtatur: in depoſiti vero cum ſola deponentis utilitas vertitur, ibi dolus tantum praeſtatur. Sed in ceteris quoque partibus juris iſta regula cuſtoditur: ſic enim et in fiduciae judicio, et in actione rei uxoriae et dolus, et culpa deducitur: quia utriuſque contrahentis utilitas intervenit. [b] In mandati vero judicio dolus * non etiam tutoris utilitas in adminiſtratione verſatur. Depoſiti damnatus infamis eſt: qui vero commodati damnatur, non fit infamis: alter enim propter dolum, [c] alter propter culpam condemnatur. [d] Actione depoſiti conventus ciVariarum nomine apud eundem judicem utiliter experitur: at is, cui res commendata eſt, improbe ciVariarum exactionem intendit. Impenſas tamen neceſſarias jure perſequitur, quas

dominus *enim* domus *intelligitur*, qui commodatum ſuſceperat. *Praeterea notandum eſt, verbum* furari *in paſſivo occurrere, quod poſt Plautum obſoletum invaluit demum aevi labentis ſcriptoribus, et in legibus Ripuar. ac Alemann.*

§. 2. Pro *Commendato* plus ſemel *commodatum* vitioſe exbibetur. Confer Schulting. Erroris cauſa eſt, puto, quia in §. praecedenti commendati mentio facta fuerat.

(a) *Commodati enim contractu, quia utriuſque.* Lego: *Commodati enim in contractu, quiA*, hoc eſt, *quia aliquando*, vel *quando utriuſque.*

(b) *In mandati vero judicio dolus non etiam tutoris.* Corrigo: *In mandati vero judicio dolus* ſupple deducitur, vel praeſtatur: *niſi etiam procuratoris.* Dubito, an forte *tutoris* nomine procuratorem noſter intellexerit. Quam manifeſtiſſime conſtat ex certi juris regulis, ipſoque hoc §., cum unius tantum verſatur utilitas, ſolum dolum, cum utriuſque, etiam culpam praeſtari, quo refero *L.* 10. *pr. D. Mandati.*

(c) *Alter propter culpam.* Explica: alter propter dolum tantum, alter etiam propter culpam. Perſpicuitatis majoris cauſa geminationis quaſi remedio facile reſtituas: *alter et propter culpam.* Vide Fratrem *p.* 230.

(d) *Actione depoſiti conventus civariarum etc.* Plenius Modeſtini verba proponit Tribonianus *in Digeſtis in L.* 23. *Depoſiti: Actione depoſiti conventus, ſervo conſtituto, cibariorum nomine apud eundem judicem utiliter experitur.* Cujacii ac Pithoei emendationes videre eſt in notis. Cl. Hofman *in Meletem. ad D.* ſubſtituendum putat: *ſervo conſtitutorum cibariorum nomine.* Vulgata lectione retenta interpretor: *ſervo conſtituto*, id eſt, depoſito: quia de homine, aut potius re animata, ſermo eſt, non *depoſitum* dicit Jctus, ſed *conſtitutum.* Actione depoſiti repetis ſervum apud me depoſitum, vel conſtitutum, ego cibariorum, ſervo exhibitorum, nomine, apud eundem judicem te convenio. Caeterum depoſita re inanimata improbe, hoc eſt, avare exiguntur cibaria ab eo, *cui res commendata eſt*, id eſt, apud quem res depoſita eſt. *Civariarum* pro *cibariorum* poſitum non mirabitur, qui reputet vulgatius poene nihil eſſe in membranis vetuſtis, quam V pro B poni. v. Briſſon. *in Parerg.* §. 8. *ſq* A item et O confundi inter ſe, ſaepenumero conſtat vid. Sciopp.

quas forte in aegrum, vel alias laborantem impenderit * [c] Respondit deposita si subripiatur, dominus domus habet furti actionem, quamvis apud quem res deposita est intersit ob impensas in rem factas se retinere: is vero, cui res commodata sit, furti experiri debebit, si modo solvendo fuerit. Actio commodati semper in simplum competit: depositi vero nonnunquam in duplum, scilicet, si ruinae, vel naufragii, vel incendii, aut tumultus causa res deponatur.

§. 3. *ERMOGENIANUS sub titulo de deposito, hujusmodi inserit constitutionem:* [a] Idem Augustus Caesar Fl. Munatio. Eum, qui suscepit depositum, dolum, non etiam casum praestare, certi juris est. Cum itaque proponas, ignis vi quaedam cremata de his, quae tibi fuere commendata, nec ullum dolum in subtrahendis rebus adhibitum, Rector provinciae nihil contra juris rationem fieri

Sciopp. *de Art. Crit. pag.* 41. *et* 52. Eo corrigenda puto Apuleji verba in *Metam. Lib.* 6. *pag. m.* 168., quae miror non observasse Elmenhorstium mendae subjacere. *Oves ibi nitentes*, ait, *aurique colore FLORENTES, incustodito pastu vagantur.* Nullus temere dubitet reponendum *flaventes*, quemadmodum in eadem pagina *flaventis auri mollisiem* dixerat Auctor. Addo *L.* 16. *D. de Admin. et per. tut. Cum quaeritur judicio tutelae, quae nomina a tutore facta agnoscere pupillus debeat, Marcellus putabat, si tutor pecuniam pupilli mutuam dedisset, et suo nomine stipulatus esset, posse dici: nomina integra pupillo SALVA esse, deperdita, et male contracta ad tutorem pertinere.* Frustra, opinor, Des. Heraldus *in Obs. et Emend. Cap.* 1. *in Thes. jur. Otton. Tom.* 2. *p.* 1313. vocem *salva* e textu proscribendam existimat: retenta enim ea plenior videtur ac rectior verborum sensus. Distinguit Paulus inter nomina, hoc est debita, sive pecuniam pupilli a tutore mutuam datam, integram, et deperditam. Integram solam, id est, quae bene fuerat collocata, et quam salvam non fore metus nullus est, ad pupillum dicit pertinere, siquidem exinde pupillo damnum non imminet: ea itaque quasi ab ipso pupillo data censetur: deperditam vero praestat tutor, qui suo nomine stipulatus tenetur de omni damno, fingitur enim tutor pecuniam salvam fore in se recepisse, vid. *L.* 5. §. 1. *D. Naut. Caupon. Stab.* Pro *salva* itaque malim mutatione facili SOLUM.

(e) *Respondit deposita si subripiatur, dominus domus.* Restituo: *Res forte deposita si subripiatur, dominus* DT9. Notam additam *duntaxat* exponit Petrus Diaconus. Possis et legere *dominus, non* AL, id est, *alius*, dixi de scriptura vocis ante. Hinc corrigenda forte verba *L.* 63. §. 3. *D. de Adquir. Rer. Dom: Quod vero subito in abdito loco positum, nihil agens, sed aliter ambulans invenit.* Repono: *sed aut et alio perambulans.*

§. 4. (a) *Idem Augustus Caesar.* Caesares qui dicti fuerint tempore Diocletiani, manifestum est ex Spartiano in *Aelio Vero Cap.* 2: *Aelius Verus, inquit . . . tantum Caesar appellatus . . . . eo prope genere, quo nostris temporibus a Vestra Clementia* intellige Diocletianum Augustum, cui librum suum inscripsit Spartianus, *Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt, quasi quidam Principum filii viri*, (an *veri?*) *et designati Augustae Majestatis heredes.* Imperii socius et particeps jam ante Caesares illos creatos adscitus fuerat a Diocletiano Maximianus, Herculeus dictus. Quis vero hic *Augustus Caesar* sit accipiendus, quaero. Designari certum videtur Diocletianum, et Maximianum,

fieri patietur. Et quoniam nec tu quereris [b] moras, adhibita varietatem, negotium inter vos ortum ſecundum ordinem ſua ratione decidetur. Subſcripta VIII. Kal. Jul. [c] Serdica, Auguſtis [d] Caeſaribus.

§. 4. [a] Idem Auguſtus et Caeſar Fl. Aurelio Attenico Andronico. Eos, penes quos veſtem, et argenti materiam depoſuiſſe proponis, apud Rectorem provinciae convenit interrogari. Quod ſive teneant, ſive dolo fecerunt, quo minus poſſint reſtituere, ſecundum bonam fidem tibi ſatisfacere compellet. Subſcripta [b] VI. Kl. April. Syrmi. Caeſſ. Conſſ.

§. 5. Idem Auguſtus et Caeſares Aurelio et Euſtatio et Dioſimo. Is, qui depoſitum ſuſcepit, ultra dolum, ſi non aliud ſpecialiter convenit, praeſtare nihil neceſſe habet. Cujus memor juris Rector provinciae, partium allegationibus auditis, pro ereptorum qualitate ſua ordinabit ſententia. Subſcripta XIIII. Kl. Nov. Appiaria.

§. 6. Idem Auguſtus et Caeſares [a] VII. et Quadrat. Ille, qui dolo malo depoſitum non reſtituit, ſuo nomine conventus ad ejus cum infamiae periculo reſtitutionem [b] urguetur. Scripta Id. Dec. [c] Nicomedia. CC. Conſſ.

§. 7.

num, et Caeſares, ſi conferas *L.* 10. *et* 6. *C. Depoſiti* cum §. 6. *h. t.* Reſcribendum itaque forte hoc loco et in §. 4. *et ſqq. Iidem AA et CC*, id eſt, *iidem Auguſti et Caeſares. In L.* 6. *C. c.* eſt, *Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC.* Propoſita apparent reſcripta nonnulla amborum Impp. nomine, veluti in *L.* 7. 8. *et* 9. *C. d. t.* alia Impp. et Caeſarum nomine. Conſtat enim in Inſcriptionibus Caeſarum quoque mentionem aliquando fieri, v. *L.* 5. *C. eod.*

(b) *Moras adhibita varietatem.* Corrigo: *moras Adhibitâ varietatem:* per geminationem reddes *moras, aut*, quae vox per ſimplex A ſcribi ſolebat, *adhibitam varietatem.* Varietatem intelligo ſpeciem doli: varii enim in jure dicuntur, qui dolos nectunt, aut varietas accipienda eſt excuſationis ſeu defenſionis.

(c) *Serdica.* Serdica, quae Sardica appellatur a nonnullis, a Trajano Imp. incrementa accepit, quapropter illius nomine *Ulpia* cognominatur. Moeſiaene inferioris, an Thraciae finibus adſcribenda ſit urbs, certant inter ſe Geographorum filii. Pluribus de ſitu ejus et nomine tractavit Cellarius in *Geogr. Ant. Lib.* 2. *Cap.* 1. *p.* 376.

(d) *Caeſaribus.* Lego *Conſſ.*, uti in fine §. 4. et 6. *h. t.* vide Schultingium.

§. 4. (a) *Idem.* Praeſtet forte *item*, ſupple: Ermogenianus talem conſtitutionem ponit. Sic ſolet Noſter. Vid. *Tit.* 4. §. 11., et alibi. Idem dicendum de §§. 5. et 6. *ſqq.*

(b) *VI. Kl. April. Syrmi.* Heid. exhibet *VI. April. Syrmi* omiſſa *Kalendarum* nota. Legendum *Syrmii* vel *Syrmio.* Σιρμιον πολις Παιονων vocatur Stephano. Sirmium urbs Pannoniae inferioris, non procul a Danubio flumine remota, deſcribitur Ptolem. *Lib.* 2. *Cap.* 16. Theodoſius in ea Imperator creatus, Probus vitam cum morte commutavit. Plurimae ibidem leges datae memorantur. Conſule Cellar. *l. c. p.* 356.

§. 5. In Heid. proſtat: *ſuam ordinabit ſententiam. . . . . Appiaria.**

§. 6. (a) *VII. et Quadrat. Septimio et Quadrato.* Septimii nomen vulgatiſſimum Romae.

§. 7. *PAULUS libro secundo Sententiarum*, *sub titulo de deposito*: Deponere possumus apud alium id, quod nostri juris est, vel alieni. [a] Depositum est, quasi diu positum. Servandum est, quod ad breve tempus custodiendum datur. Deponere videtur, qui in metu ruinae, incendii, naufragii, apud alium custodiae causa deponit. Deponere videtur et is, qui suspectam habens, vel minus idoneam custodiam domus, vel vim latronum timens, apud aliquem rem custodiendam commendat. Si [b] sacellum vel argentum deposuero, et is, penes quem depositum fuit, me invito contrectavit, et depositi, et furti actio mihi in eum competit. Ob res depositas dolus tantum praestari solet. In judicio depositi ex mora et fructus veniunt, et usurae rei depositae praestantur. Si quis [c] rem penes se positam apud alium deposuerit, tam ipse directam, quam is, qui apud eum deposuit, utilem actionem depositi habere possunt. Si pecuniam deposuero, eamque [d] in * tibi

Romae. Hinc et emendanda inscriptio *L.* 10. *C. h. t.*

(b) *Urguetur*. *Urgetur* est in Heid. Antiquis etiam placuit *urgueo*. Vid. Popmam *de Ant. Loc. Lib.* 1. *Cap.* 4. adde Brisson. in Παρεργ. §. 23. ibique Trekel.

(c) *Nicomedia*. Urbs haec fuit Bithyniae.

§. 7. (a) *Depositum est*, *quasi diu positum etc.* Ad vocabuli derivationem potius respexit Paulus, quam ad definitionem. Diximus de etymologiis ejusmodi, quales Jctis antiquis, quin et Oratoribus in deliciis fuere, alibi. Deponere et servandum dare plerumque confunduntur, quod et factum ab Auctore in §. 1. *h. t.* Proprie tamen, si distinguere placeat, depositum nominatur, quod custodiendum datur, usque dum cesset causa, quamobrem datum fuit: servandum datur, quod, brevissimo temporis spatio elapso, repetitur.

(b) *Sacellum vel argentum.* *Sacculum* exhibet Heid. Sacellus, aut, quemadmodum scribit Scholiastes ad Pauli *Sentent. Lib.* 2. *Tit.* 12. §. 5., *saccellus*, est diminutivum vocis *saccus*. *Locellos*, *aut sonantes aere sacellos* dixit Petron. *Sat. Cap.* 141. Si deposuero sacculum unionibus, margaritis, aliave qua re pretiosissima repletum, exempli gratia argento plenum. Dixi de notione hac vocis *vel* alibi. Confer Fratrem *p.* 242.

(c) *Rem penes se positam.* Uti *movere* pro *amovere*, ac generaliter simplicia saepenumero pro compositis usurpantur, ita hoc loco *positus* pro *depositus* adhibetur. Eodem modo, quod in §. *ult. h. t.* dicitur: *si quid ex positis rebus*, *L.* 1. *C. de Locato* habet *depositis*. Similiter *de termino moto* pro amoto vulgo effertur: tenetur enim et qui terminum amovit. vid. *Tit.* 13. §. 2. *et* 3. *Pecuniam positam habere* Scaevola in *L.* 13. §. 1. *D. de Usuris* eum dixisse videtur, qui, dum alterius negotia gerit, reliquam, quae ex administratione superest, pecuniam non foenori collocat, sed otiosam apud se positam, hoc est, depositam retinet: *Osiosam* rescribi vult in *d. lege* Van de Water *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 12.

(d) *In * tibi commisero.* *In * usum tibi commisero* est in Heid., ex emendatione forte Pithoei. Nihil quidquam mutandum censeo, neque etiam addi aliqua necessarium puto, quo lacuna, quam hic statuunt Interpretes, suppleatur. Notam tantummodo, quae per IN signata exstat, explico IN NOMEN. I *In* significare Magno testatur. N *nomen* designare refert Diaconus. In nomen committo pecuniam depositam, si nummos, quos ante apud te deposui, mutuos tibi credo, eaque ex causa

tibi commisero, mutuum magis videtur, quam depositum: ac per hoc periculo tuo erit. Si rem apud te depositam vendideris, eamque [e] redimeris, [f] postquam perdideris, semel admisso dolo, perpetua depositi actione teneberis. Ex causa depositi lege duodecim tabularum in duplum actio datur, edicto Praetoris in simplum.

§. 8. *GREGORIANUS libro IIII, sub titulo de deposito*: Imp. Alexander A. Mestrio militi. [a] Incursu latronum ornamenta deposita apud interfectum ab eis perierunt. Detrimentum ad heredes ejus, qui depositum accepit, qui dolum tantum praestare debent, non pertinet. Quod si ex praetextu latrocinii commissi res, quae in potestate heredis sunt, non restituuntur, tam depositi, quam ad exhibendum actio, sed et in rem vindicatio competit. Prop. VII. Kl. Jul. [b] Maximiano bis et Urbano Conss.

§. 9.

causa nomen tuum refero in codicem meum expensi. Nomen itaque est debitum dictione vulgari, unum vide, ne plures memorem, Hottomannum *ad Cicer. in Verr. de Praet. Urb. p.* 247. Hinc explicanda verba Senatusconsulti Macedoniani, quae refert Ulpianus in *L.* 1. *pr. D. ad Sctum Mac. Cum inter caeteras sceleris causas Macedo . . . pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet.* Varie exponunt Commentatores. Consule in primis G. Noodt in elegantissimo libello *de Foenore et Usuris Lib.* 2 *Cap.* 13., quem secutus fuit Cl. Heineccius in *Antiq. Juris lib.* 4. *Tit.* 7. §. 8. Sic paucis interpretor: Macedo credebat per fiduciam quasi, intervenientem inter se et filium, ita, ut nomen, hoc est, debitum esset incertum, et fide filii constaret: non quidem respectu summae creditae, sed quantum attinet ad accessiones majores, sive usuras graviores, quae in scripto, sive libello accepti et expensi non erant expressae, sed incertae erant, et non adjectae: neque enim licitum id fuit, ne diceretur inesse quid amplius, id est, usuras licito graviores exigi, ac propterea incurreret poenam legibus statutam, quibus ultra centesimas stipulari permissum non fuit, vid. Noodt *ibid. Lib.* 2. *Cap* 3. Per nudum itaque pactum convenit tantummodo, ut deberentur usurae graviores.

Cum eadem olim nota designata fuerint *non* et *nomen*, una scilicet littera N, auctoribus Valerio et Diacono, mirum, credo, nulli videbitur permutata fuisse inter se vocabula illa a librariis. Exemplum exstat manifestissimum in *L.* 183. *D. de V. S. Tabernae appellatio*, ait Ulpianus, *declarat omne utile ad habitandum aedificium: non ex eo, quod tabulis cluditur.* Scripseram haec, quum aliud quaerens incidi forte in B. H. Reinoldi *Observat. ad Fabric. Bibl. Lat.*, *insertas Opusculis Ejusdem Juridicis p.* 716., ubi Virum Doctiss., a nobis haud multum dissentientem, sic notasse cognovi: *In editione Leeuwiana legitur* nempe ex eo, *quae est lectio corporis Glossati. Recta est lectio Florentina:* vox non *in siglis significat* nomen. Catharinus *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *p.* 492. substituit *nominatum.*

(e) *Redimeris.* H. *redemeris.* v. ad *Tit.* 6. §. 6. *supra.*

(f) *Postquam.* H. *postque eam*, secutus, puto, Pithoeum.

§. 8. (a) *Incursu.* Minime necessarium existimem, ut ex *L.* 10. *C. h. t. si* addamus. Millies eam voculam omitti constat. Ita Ovid. *Amor. Lib.* 1. *El.* 4. *v.* 29.

Quod tibi miscueris, sapias, bibat ipse jubeto.

Add. *Lib.* 3. *El.* 2. *v.* 9. *Hoc mihi contingat* pro *si hoc*, ubi v. Commentatores egregios.

(b) *Maximiano. Maximo* rescribi vult

Schul-

§. 9. *PAULUS libro Responsorum quinto, sub titulo ex locato et conducto:* Imp. Antoninus Julio Agrippino. Dominus horreorum periculum vis majoris, vel [a] effracturae praestare non cogitur. His cessantibus, [b] si quid ex positis rebus, inlaesis extrinsecus horrei * damnum depositorum sarciri debet. Prop. IIII. Non. Nov. Antonino III. Cons. Paulus respondit: satis praepositam constitutionem declarare, his, qui horrea locant, majorem vim imputari non posse.

Explicit Titulus de Deposito.

Schultingius. Maximus et P. Urinatius Urbanus Consules memorantur in Fastis anno U. C. 987. post C. N. 234. scriptum fuisse suspicor *Maxim.*

§. 9. (a) *Effracturae.* Editor Heid. evulgavit: *efracturae latronum.* In *L.* 1. *C. de Locato* est: *vel effracturam latronum.*

(b) *Si quid etc.* Corrigo: *si quid ex positis rebus* (id est, ex rebus ibi collocatis, depositis, v. supra §. 7.) *illaesis extrinsecus horreis piit,* (hoc est, *periit*) *damnum depositorum* (*rerum depositarum* est in *d. l.*) *sarcire debet* dominus horreorum.

TITULUS XI.

Incipit de Abigeatoribus.

§. 1. *MOYSES dicit:* Si quis involaverit vitulum, aut ovem, et occiderit, aut vendiderit, quinque vitulos restituet pro vitulo uno, quatuor oves pro ove una. Quod si non habet, unde reddat, venundetur pro furto.

§. 2. *PAULUS libro Sententiarum, sub titulo de* [a] *abigeatoribus:* Atroces pecorum abactores plerumque ad gladium, vel in metallum, nonnunquam autem in opus publicum dantur. Atroces autem sunt, qui equos et greges ovium de stabulo, vel de pascuis abigunt, vel si id saepius, [b] aut a ferro conducta manu faciunt.

§. 3.

§. 1. Sic ad hunc §. Venema: Exod. XXII: 1. *Addit ex versu* 3: quodsi non habet, unde reddat, venundetur pro furto. *Praeterea pro* furari *utitur* involare, *verbo hoc sensu in legibus Goth. et aliorum frequentiore: sed et in Philoxeni, et aliorum Gloss. obvio, ubi* involo κλεπτω *et* involator κλεπτης. Confer H. Bignon. *ad leges Salicas p.* 181.

§. 2. (a) *Abigeatoribus.* In H. est *abactoribus.* Idem in sequentibus refert: *aut * cum ferro aut conducta manu,* quemadmodum etiam legendum voluit Faber.

(b) *Aut a ferro conducta manu.* Lego: *aut a ferro, conductave manu,* nisi malis *aut* subintelligere. *A ferro* expono per ferrum: *cum gladio* dicit Ulpianus in fine hujus

§ 3. *Idem PAULUS eodem libro et titulo:* [a] Abigeatores sunt, qui unum equum, vel duas equas, totidemque boves, vel capras decem, porcos quinque abegerint. Quidquid vero intra hunc numerum fuerit ablatum, poena furti, pro qualitate ejus, aut in duplum, aut in [b] triplum convenitur, [c] aut fustibus caesus in opus

hujus tituli: ita *ab dente laedere*, alia, vid. Pater ad Avian. *pag.* 174. *Col.* 1.

Quod si vera sit Pauli sententia, *atroces* esse, *qui equos et greges ovium de stabulo, vel de pascuis abigunt*, uti certe verissima, quid faciamus Callistrato in *L.* 3. §. 1. *D. de Abigeis*, qui statuit, *eum quoque plenius coërcendum, qui a stabulo abegit domitum pecus, non a sylva, nec grege?* Pro *plenius* substituunt alii *levius*: sed neque hoc modo lis sopitur. Plana, ni fallor, futura sunt omnia, juri quoque et rationi consentanea, si ita reponas: *eum quoque plenius coërcendum, qui a stabulo abegit domitum pecus*, N M *ac sylva et grege.* Litteras N M *non minus* denotare, Diaconus testatur. Confirmat lectionem propositam Ulpianus in *L.* 1. §. 1. *D. de Abigeis: Abigei autem proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrabunt.* Confer §. 8. *infra.*

§. 3. (a) *Abigeatores.* H. *Abactores.*

(b) *Triplum.* Nova est atque inusitata tripli poena furibus proposita, quos in duplum aut quadruplum damnari sciunt dupondii. Quas proferunt conjecturas, ut difficultatem hanc removeant, Interpretes, vix credo fore ut placeant omnibus. Quid si ita accipiamus? *Abigeatores* proprie *sunt, qui unum equum . . . . abegerint.* Hi poena gravissima atque ordinaria adversus abactores statuta plectuntur, qua de v. §. 7. *sq.* Qui vero *intra hunc numerum* abegerint, abigeatores etiam sunt, puniunturque poena abigeatus, ea tamen leviore. Potius enim furtum videtur, quam abigeatus, hinc et poena furti, hoc est, tali, qualis furibus infligi solet, condemnantur, ita ut non gladii poena adficiantur, sed, sicuti in furto locum habet, dupli et quadrupli, ita in abigeis locum habeat dupli aut tripli poena. Clarius dico: abigeus convictus in duplum aut triplum *furis more* damnatur, v. §. 4. *b. t.*, hoc est, non ipsa furti poena, sed, quasi fur, poena simili poenae furti. In hoc itaque unice diversa est furti poena ab poena abigeatus, quod fur in duplum aut quadruplum tantummodo damnetur, abigeus, in duplum, triplum, quin et aliquando in quadruplum, eo, puta, casu, si *pecora, de quibus litigabat, abegit:* talis enim victus *in duplum, vel quadruplum condemnandus*, v. §. 6. *b. t.* Intelligo: pro qualitate facti in duplum, triplum, imo etiam quadruplum. *Vel* pro *etiam* poni rarum non est. Exempla in jure obvia plurima collegit Noodt locis multis. Idem et aliis scriptoribus antiquis frequenti in usu esse observavit Weitz *ad Pervig. Vener. p.* 52. Eadem significatione exponenda puto haec Ulpiani in *L.* 49. *D. de Legat. III: Legato continentur mancipia, . . . item jumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones.* Burdones intelligo mulos: ita in epigrammate Poëtae veteris, quod exhibet Pithoeus *in Collect.* 1. *edit. Lugd.*

Aurea matronas claudit basterna pudicas,
Quae radians patulum gestat utrimque latus:
Hanc geminus portat duplici sub robore burdo,
Provehit et modico pendula septa gradu.

Confer Cujacium *Obs. Lib.* 11. *Cap.* 16, et Grotium *in Flor. Spars. ad b. l.* Pari modo *vel* pro *et* accipere possis in *L.* 22. §. 7. *D. Sol. Matr.* ubi, postquam docuisset Ulpianus, quid faciendum esset, si constante matrimonio furere coepissent maritus vel uxor, *quid* inquit *tam humanum est, quam ut fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse?* Nisi malis pro *ut* substituere *aut:* quas voces confundi saepissime solere notarunt Noodt non uno in loco, Rygerbos *in Obs. p.* 12. *sq.* Forn. *Rer. Quot. Lib.* 5. *Cap.* 5.

(c) *Aut fustibus caesus in opus publicum*

 unius

opus publicum unius anni datur, aut ſub poena vinculorum domino reſtituitur.

§. 4. *Idem PAULUS eodem libro et titulo*: Si ea pecora, de quibus quis litigaverat, abegerit, ad forum remittendus eſt, atque ita convictus in duplum, vel triplum, furis more damnatur.

§. 5. *Idem PAULUS eodem libro et titulo:* Qui bovem, vel equum errantem, quodve aliud pecus abduxerit, furem magis eum, quam abigeatorem conſtitui placuit.

§. 6. *PAULUS libro ſingulari de poenis paganorum, ſub titulo de abigeis, dixit:* Cum durius abigei damnantur, et ad gladium tradantur. Itaque Divus Pius ad concilium Baeticae reſcripſit. Qui pecora, de quibus litigabat, abegit, ad forum remittendus eſt: et, ſi victus fuerit, in duplum, vel quadruplum condemnandus.

§. 7. *ULPIANUS libro octavo de officio Proconſulis, ſub titulo de abigeis:* De abigeis puniendis ita Divus Adrianus reſcripſit concilio Baeticae: „ Abigei cum duriſſime puniuntur, ad gladium damnari „ ſolent. Puniuntur autem duriſſime non ubique, ſed ubi frequen„ tius eſt hoc genus maleficii: [a] alioquin et in opus, et nonnun„ quam temporarium damnantur. Ideoque puto apud vos quoque „ ſufficere genus poenae, quod [b] maximo huic maleficio irrogari ſolet, ut ad gladium abigei dentur: aut ſi quis tam notus, „ et tam gravis in abigendo fuit, ut prius ex hoc crimine aliqua „ poena adfectus ſit, hunc in metallum dari oportere." Reſcriptum Divi Adriani ſic loquitur, quaſi gravior poena ſit metalli: niſi forte [c] hoc ſenſit Divus Adrianus, gladii poenam dicendo, ludi damnationem. Eſt autem differentia inter eos, qui ad gladium, et eos, qui

unius anni datur, aut ſub poena vinculorum domino reſtituitur. Tradit Schulting. *ad Paul. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 18. §. 1. in margine editionis cujusdam addi: *ſi ſervus fuerit, fuſtibus etc.* Erroris convincit gloſſatorem iſtum Macer in *pr. L.* 10. *D. de Poenis: Ex quibus cauſis liber fuſtibus caeditur, ex his ſervus flagellis caedi, et domino reddi jubetur.* Fuſtibus caedebantur humiliores, liberi tamen, flagellis ſervi. Add. Paul. *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 4. §. *ult.*, ibique Cujacium. Apparet itaque alterum de liberis, alterum de ſervis accipiendum. Non ſolent tamen indiſtincte adeo poenas proponere JCti. Scriptum puto fuiſſe. Sv9 *ſub poena . . . :* hoc modo *ſervus* olim deſignatum fuiſſe novimus. Librarii *aut* expreſſerunt. De vinculorum poena conſule Bynkersh. *Lib.* 1. *Obſ.* 21.

§. 7. (a) *Alioquin et.* Heid. exhibet: *alioqui nec*, quae ſcriptura eſt Codicum vetuſtorum: confirmat haec conjecturas noſtras, quibus ex confuſione vocum *et* et *nec* errores multos promanaſſe, indeque varia juris capita emendanda eſſe pluries propoſui. *Et* hic reponendum eſſe dubium non eſt.

(b) *Maximo.* Cum aliis praeferam *maximum.* Scriptum fuit procul dubio MAX.

(c) *Hoc.* Hoc dicto, in his verbis, in hoc reſcripto.

(d)

qui ad ludum damnantur: nam ad gladium damnati confestim consumuntur, vel certe intra annum debent consumi, [d] hoc enim mandatis continetur. Enimvero qui in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileari, et rudem accipere possunt [e] post intervallum; si quidem post quinquennium [f] pileari, post triennium autem [g] rudem induere eis permittitur. Eodem rescripto Divi Adriani diligentissime expressum est, non [h] ubique parem esse poenam abigeorum.

§. 8. *Item ULPIANUS libro et titulo qui supra:* Abigei autem proprie hi habentur, qui pecora [a] ex pastu, et ex fermentis subtrahunt, et quodammodo depraedantur, et abigei studium quasi artem exercent, equas de grege, vel boves de armentis abducentes. Ceterum si quis bovem aberrantem, vel equum in solitudinem abduxerit, non est abigeus, sed fur potius. Sed et qui porcum

(d) *Hoc enim mandatis.* In Heid. est: *hoc enim * damnatis.*

(e) *Post intervallum.* Heid. habet: *post inter * palam.*

(f) *Pileari.* Hoc est, pileo donari. Proprie pileus manumissionis, libertatisque fuit insigne. Hinc nata dictio *ad pileum vocare, pileata plebs.* Virtutis etiam spectatae insigne fuisse pileum existimat Erasmus *in Adagiis p.* 471., indeque profluxisse morem pileo donandi eos, qui Magistri Doctorisque titulo decorantur.

(g) *Rudem induere.* Fuit rudis virga, aut potius ξιφος ξυλινος, gladiolus ligneus, quo donabantur, induebanturque gladiatores, quibus permittebatur a gladiatorio munere cessare, quales rudiarii dicti. Suet. *in Tib. Cap.* 7. *Rudiariis quoque quibusdam revocatis.*

(h) *Ubique.* Poenam eorum, qui ad gladium damnantur, omnium esse gravissimam, uti hoc loco, ita quoque indicat Ulpianus in *L.* 1. §. 3. *D. h. t. Quanquam autem*, inquit, *Adrianus metalli poenam, item operis, vel etiam gladii praestituerit.* Confer §. *sq.* In metallum tamen damnari vult idem Imp. abigeos atroces, eamque poenam graviorem esse innuit poena gladii. Dudum desudarunt plurimi, ut in his veram Principis sententiam expiscarentur. Missis aliorum opinionibus, quas videre est apud Interpretes, sic conjicio: Varia fuit poena abigeorum pro diversitate loci regionisque, ubi crimen hoc commissum fuit: Romae omnium gravissima fuit ad gladium damnatio, in Baetica hac major censebatur metalli poena: id certe in ea provincia viguisse ac statutum fuisse videtur jus, ut abigei atroces in metallum darentur, caeteri ad gladium condemnarentur. In metallum dati gravissimis vinculis pressi, adeo ut vita his aerumna, mors solatium fuerit. v. *L.* 8. §. 6. *D. de Poen.*. Ipse, ni fallor, Adrianus, ita se in rescripto sensisse demonstrat in verbis: *puto apud VOS sufficere genus poenae, quod maximum huic maleficio irrogari solet, ut etc.*, quam Imperatoris mentem recte intellexit Ulpianus, dum in fine addit: *diligentissime expressum est, non UBIQUE parem esse poenam abigeorum.* Adde haec ejusdem in §. *sq*: ROMAE *tamen etiam bestiis subjici abigeos videmus.*

§. 8. (a) *Ex pastu, et ex fermentis.* Lego: *qui pecora ex pastu, et ex fundo armentis subtrahunt.* *E fundum* designare auctor est Magno. *Equas* intellige duas v. §. 3. *h. t. Equum in solitudinem* expono in solitudine degentem. *In* novimus cum accusativo et ablativo promiscue poni.

cum, vel capram, vel [b] Berbicem abducunt, non tam graviter, ut hi, qui majora animalia abigent, plecti debent. Quanquam autem Adrianus metalli poenam, item operis, vel etiam gladii praestituerit, adtamen qui honestiori loco nati sunt, non debent ad hanc poenam pertinere: sed aut relegandi erunt, aut removendi ordine. Romae tamen etiam bestiis subjici abigeos videmus. Et sane qui cum gladio abigunt, non inique hac poena afficiuntur.

Explicit de Abigeis.

(b) *Berbicem.* In H. est *vervicem.* V et B, item C et l confundi vulgatissimum est. *Bervices* est in lege Salica *Tit.* 4, ubi v. Bignon. In eadem editione pro *adtamen* prostat *attamen*, pro *videmus* perperam exhibetur *videamus.* Denique plenius illa: *explicit titulus de Abigeis.*

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

T I T U L U S XII.

Incipit de Incendiariis.

§. 1. MOYSES *dicit:* Si exibit ignis, et invenerit spinas, et comprehenderit areas, vel spicas, aut campum, aestimationem restituet ille, qui succendit ignem.

§ 2. *PAULUS libro * Sententiarum, sub titulo de incendiariis:* Qui casam aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum, aut in opus publicum damnantur: honestiores in insulam relegantur. [a] Fortuita incendia, quae casu venti * fuerunt, his, vel incuria ignem supponentis, ad usque vicini agros evadunt, et si ex eo seges, vel vinea, vel oliva, vel fructiferae arbores concrementur, datum damnum [b] aestimatione sarciatur.

§. 3.

§. 1. *Exod. XXII: 6.* Addi hoc loco ab Auctore, explicationis ergo *aestimationem* Cel. Venema observat.

§. 2. (a) *Fortuita incendia etc.* Repono: *Fortuita incendia, quae casu venti L fuerunt,* (hoc est, *facta fuerunt*) *hominis* SCL (hoc est, *scilicet:* vidimus de hac nota antea) *incuria, ignem supponentis, et* vel *si* (nisi malis alterutrum subaudire) *ad usque etc.* L *factum, factus* interpretatur P. Diaconus.

(b) *Aestimatione*, adeoque simpli poena sarciri debere damnum negligentia datum docet Paulus *b. l:* Idem tamen *in Sent. Lib. 5. Tit.* 3. §. 6. *Incendiarii*, inquit, *qui consulto incendium inferunt, summo supplicio adficiuntur, quod si incuria EORUM ignis evaserit, dupli compendio damnum ejusmodi sarciri placuit.* Nil mutandum censeo. Scio equidem, summum Schultingium per *eorum* incendiarios intelligi non posse arbitrari, neque ignoro, Ampl: M. Röverum eandem ob caussam *in Differt. p.* 33. corrigere *aliorum:* attamen, si vera fateri licet, rationem perspicio nullam, quam propter incendiarii dici nequeant, quorum incuria incendium factum est. Eventus rei fatalis incendium illatum fuisse probavit: incendiarii itaque dicendi, qui, sive dolo, sive incuria illud

§. 3. *Idem PAULUS eodem libro et titulo:* Commiſſum vero ſervorum, ſi domino videatur, noxae deditione ſarcitur. Meſſium ſane * perdum incenſores, vinearum, olivarumve; aut in metallum humiliores damnantur: aut honeſtiores in inſulam relegantur.

§. 4. *Idem PAULUS libro et titulo qui ſupra:* Incendiarii quidquid in oppido praedandi cauſa faciunt, facile capite puniuntur.

§. 5. *ULPIANUS libro VIII. de officio Proconſulis.* [a] De naufragiis et incendiariis lex quidem Cornelia aqua et igni interdici juſſit: ſed variae ſunt punitionum. * Nam qui data opera in civitate incendium fecerunt, ſi in humillimo loco ſunt, beſtiis ſubjici ſolent: ſi in aliquo gradu, et Romae id fecerunt, capite puniri, aut

lud procuraverunt. Quod ſi pernegas, lege *reorum.* Caeterum duplum inficiationis poenam accipio cum Schultingio. In interpretatione Aniani pro *miſerit* ſubſtituendum *immiſerit* recte monuiſſe videtur Rittershuſius. Pro his: *damnum, quod cuicunque illatum fuerit, res, quae. . . .* reſcribo: *fuerit i.* vel *id eſt, res, quae.* Scrupulum movit Pithoeo Calliſtrati ſententia in *L.* 28. §. 12. *D. de Poenis. Incendiarii*, ait, *capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel praedae cauſa incenderint intra oppidum, et plerumque vivi exuruntur: qui vero caſam, aut villam*, extra oppidum poſitam, incenderint, *aliquo*, id eſt, aliquanto *lenius.* Vide de poena eorum Paulum *h. l. Nam* (hoc eſt, *caeterum.* Particula haec ſaepiſſime tranſitioni tantummodo inſervit, ac nihil ſignificat: exempla collegerunt plurima Noodt et Bynkershoeck. Eodem modo γαρ adhibitum fuiſſe a Graecis demonſtrat locus Matthaei *Cap.* 1. *c.* 18. Ita quoque accipiendam arbitror voculam in his Ulpiani in *L.* 9. §. 4. *D. de Tut. et rat. Diſtr: Quem igitur effectum haec* [*ex*] (lego *hic ea*) *ſententia habeat videamus: Nam, ſi ſolus tutor eſt, . . . qui poſſit adverſus eum judicem accipere, ex qua cauſa cum eo tutelae agi poteſt.* Accipere poteſt judicem in cauſa ea, ex qua agi poteſt tutelae judicio. Alia conjecit Beſtius *p.* 143.) *fortuita incendia, ſi, cum vitari poſſent, per negligentiam eorum, apud quos orta ſunt, damno vicinis fuerunt, civiliter exerceantur* (forte *coërceantur*) *ita, ut, qui jactura affectus eſt, damni* nomine, cauſa, actione, puta, legis Aquiliae, *diſceptet, vel modice vindicetur.* Corrigo VL, hoc eſt, teſte Diacono *videlicet, modice vindicetur. Ut* ſaepiſſime omittitur. Modica eſt negligentiae poena damnum datum aeſtimatione ſarcire. Duplum, fateor, praeſtat, qui inficiatus fuit culpam, ſed habet is, quod ſibi imputet, qui moroſus ac pertinax negavit factum, quod fateri ſi voluiſſet, ſimplo ſatisfacere potuiſſet.

§. 3. *Perdum.* PDM, hoc eſt, *per dolum malum.*

§. 4. Offendit admodum τὸ *facile:* malim ita reſcribi: *Incendiarii, qui quid in oppido praedandi cauſa faciunt facinus, capite puniuntur.*

§. 5. (a) *De naufragiis et incendiariis.* Subintelligo: agens haec memorat. Dein ita repono: *Incendiariis* (per geminationem vocem repeto, aut addo *iis*, aut *bis*) *lex quidem . . . . ſed variae* S (hoc eſt, *ſunt*) *notae punitionum . . . capite puniri* ſolent, *aut urbe ejiciendi ſunt, qui . . .* Confer *L. ult. D. de Incend. Ruin. Naufr.* Geminationum ejusmodi, quas modo dixi, in jure noſtro exempla proſtant innumera: ſaepiſſime vero a librariis eae fuere neglectae. His accenſenda arbitror Labeonis verba in *L.* 10. §. 1. *D. ad L. Rhodiam de Jactu: Idem juris erit, cum ea conditione a te conduxiſſet, ut certam poenam tibi praeſtaret, niſi ante conſtitutum diem merces tuas eo loci expoſuiſſet, in quem devehendas eas merces locaſſet, nec per eum ſtaret,*

aut certe * adficiendi ſunt qui haec committunt. Sed ei, qui non data opera incendium fecerit, plerumque ignoſcitur, niſi in lata et incauta negligentia, vel laſcivia fuit.

§. 6. *PAULUS libro ſingulari de poenis paganorum, ſub titulo de abigeis, dicit:* Incendiarii, qui in oppido praedae cauſa [a] id admiſerint, capite puniuntur: qui caſu inſulam, aut villam, non inimicitia incenderint, levius. Fortuita enim incendia ad forum remittenda ſunt, ut damnum vicini ſarciatur.

§. 7. [a] *ULPIANUS libro ad Edictum, ſub titulo: ſi fatebitur injuria occiſum eſſe, in ſimplum,* * [b] *et cum doceret:* Item ſi inſulam meam aduſſeris, vel incenderis, Aquiliae actionem habebo. Idemque eſt, et ſi arbuſtum meum, vel villam meam. Quod ſi dolo quis inſulam exuſſerit, etiam capitis poena plectitur, quaſi incendiarius. Item ſi quis inſulam voluerit exurere, et ignis etiam ad vicini inſulam pervenerit, Aquilia tenebitur lege [c] vicini

ſtaret, quo minus remiſſa ſibi ea poena ſpectaret. Idem juris etc. Pro *locaſſet* Cujacius *in Obſ. Lib.* 3. *Cap.* 2. reſtituit *locaſſes*: Idem pro *remiſſa ea poena* reponit: *poenam eam remiſſam.* Aliter ſuccurrendum arbitrantur Bynkershoeck *in Obſ. Lib.* 3: *Cap.* 12. et Van de Water *Lib.* 2. *Obſ. Cap.* 2. Gloſſator interpretatur *ſpectare* exſpectare, differre. Neque ſane negari poteſt *ſpectare* et *exſpectare* verba inter ſe confundi. Vid. Ducker *ad Flor. Lib.* 2. *Cap.* 7. *Num.* 2. Pro *ea* legendum puto *et*, quod pro *etiam* ſcriptum fuiſſe docet Magno. *Spectaret IDem* interpretor *ſpectaret id. Idem.* Poenae immunem fore nautam Jctus reſpondet, qui certa poena propoſita conduxit ac ſtipulatus eſt, ſe merces ante diem dictum transvecturum, exempli gratia, Athenas, ſi non ſteterit per magiſtrum navis, quo minus is *ſpectaret id* ſcilicet *loci*, praeceſſit enim *eo loci:* hoc eſt, adpelleret et adveniret: praeſertim cum quoque poena fuiſſet remiſſa. Apprime huc facit, quod obſervavit O. Arntzenius *ad Caton. Lib.* 1. *Diſt.* 12. *τὸ id* omiſiſſe non raro librarios, ejuſque erroris varia ſupereſſe veſtigia.

Notae dicuntur quae res a ſe invicem diſtinguunt. Gratius Faliſcus in Cyneg. v. 497: *Reſtat equos finire notis*, id eſt, definire, diſtinguere, licet referant alii ad notam cenſoriam. Vide Eruditorum commentarios ad *Poët. Lat. Min. Vol.* 1. *p.* 300. *Notas hominum* dixit Phaedr. *Lib.* 4. *Fab.* 23. *v.* 22. Poëtis tamen non inſolens locutio. Lucret. *Lib.* 1. *v.* 660.

Ardua non metuunt, amittunt vera viai.

Id eſt, veram viam, niſi malis *viarum*, quod per *viar* ſcriptum.

§. 6. (a) *Id.* Aut emendandum *quid*, uti in §. 4. *ſupra*, aut *id* referendum ad *incendium*, quae vox mente potius intellecta a Paulo, quam ſcripto addita: quo modo frequentiſſime loqui ſolent Jcti.

§. 7. (a) *Ulpianus libro.* Deſumta eſſe haec ex libro Ulpiani 18. manifeſtum eſt ex *L.* 27. *D. ad L. Aquil:* num tamen numerum addiderit Auctor valde dubito. Vide quae dixi ad *Tit.* 4. §. 12.

(b) *Et cum doceret.* In *Tit.* 2. §. 4. exſtat: *et cum diceret:* ubi noſtram ſententiam expoſuimus.

Apertum eſt ex *L.* 27. §. 5. *D. ad L. Aquil.* agi hoc loco de capite tertio legis Aquiliae, quo quid cautum fuerit, ibidem licet cognoſcere.

(c) *Vicini etc.* Corrigo: *vicinis*, aut *vicino etiam, non*, aut potius *nec minus inquilinis.* Voculas *non* et *nec* iiſdem notis fuiſſe ſignatas, una ſcilicet littera N, conſtat

cini etiam non minus inquilinis ob res eorum exustas: et ita Labeo libro XV. Responsorum refert. Sed si stipulam in agro tuo incenderis, ignisque pervagatus ad praedium vicini pervenerit, et illud exusserit, Aquilia lex locum habeat, an in factum actio sit, fuit quaestio: Sed plerisque Aquilia lex locum habere non videtur: et ita Celsus libro XXXVII. [d] Digestorum scribit: * id enim, si stipulam incendentis ignis fugit, Aquilia lege eum non teneri: sed in factum agendum, [e] quia principaliter hic exussit: sed, dum aliud

constat ex Diacono, adde Valerium Probum. Confer *d. l.* 27. §. 8. Nescio, an hac arte restitui possit lectio vera *L.* 1. *D. de Interd. et Releg.* Optimus Imp. Trajanus novo ac laudabili rescripto constituit, bona relegatorum, quae fisco solebant vindicari, poenae hujus fore immunia. *Caput ex rescripto Divi Trajani ad Didium Secundum.* Sic exhibet Pomponius: *Scio relegatorum bona avaritia superiorum temporum fisco vindicata: sed aliud clementiae meae convenit, qui inter caetera, quibus innocentiam rationum meorum temporum, hoc quoque remisi exemplum.* Manifesto vitio laborare verba proposita nullus dubitet. Codicum scriptura nil quidquam extricat. Elb. Leoninus *in Emendat.* ex MS. nescio quo ita substituit: *quibus innocentia rationem meorum temporum tueor.* Audacior videtur crisis, quae integrum addit vocabulum, cujus vestigium non apparet in libris optimae notae antiquissimis. Malo itaque: *inter caetera, quae innocentiae ratio non voluit meorum temporum.* Male librarii τὸ *ratio N V* explicuerunt *rationum. Voluit* autem per simplex V scriptum fuisse testatur Diaconus.

Quod de Labeone memorat Ulpianus, Jctum eum fuisse auctoritatis maximae famaque celebratiore, notissimum est. Antistius Labeo et Atejus Capito *primum veluti diversas sectas fecerunt. Ex his Atejus Consul fuit: Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto Consulatus, quo suffectus fieret, et honorem suscipere.* Verba sunt Pomponii in *L.* 2. §. 47. *D. de Orig. Jur.* Aliorum de testimonio hoc lucubrationes recensuit, ibidemque de praestantibus Labeonis meritis pertractavit Vir Consultiss. A. N. Mollerus in elegantissima *Dissert. Jurid., Trajecti ad Rhenum publicata Anno* 1763. *Cap.* 1. *et* 2. Ita Tacitus, de eodem differens, *Annal. Lib.* 3. *Cap.* 75: *Capito Atejus, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus, sed Consulatum ei acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, iisdem artibus praecellentem, dignatione ejus magistratus anteiret. Illi, Labeoni quod Praeturam intra stetit, commendatio ex injuria, huic* Capitoni, *quod Consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.* Sic itaque intelligo. *Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto Consulatus, quo* (facto, aut si hoc mavis *quia*) *suffectus fieret*, (id est, successor daretur Capitoni: ita Cicero *Lib.* 5. *Epist.* 10: *Appii, in cujus locum suffectus sum.* Noluit autem, quoniam ex eo injuriam sibi factam esse aestimabat, quippe cui Praetura jam functo, siquidem ratio haberetur legitimi honorum gradus, Consulatus debebatur. Praelatum ergo sibi Atejum videns Consulem suffectum, recusavit Consulatum, quo Atejo postponeretur) *eum honorem suscipere*, vel expone: noluit etiam, vel oblatum honorem accipere.

(d) *Digestorum scribit: id enim etc.* legere possis *Digestorum:* (subaudito *dicit* simileve. *Dixit* haud raro omitti observat P. Burmannus ad Ovid. *Amor. Lib.* 3. *El.* 1. *v.* 15.) *scribit enim.* Aut, si id mavis per geminationem possit reponi: *Digestorum scribit: scribit enim, si stipulam incendentis ignis fugit*, interpretor: si ignis, quo usus fuit ille, qui stipulam incendit, profugit.

(e) *Quia principaliter etc.* Lego: *quia principio aliter:* non enim principio praedium vicini incendit, sed stipulam in agro suo

aliud legit, ſic ignis praeceſſit: cujus ſententia ſic reſcripto Divi Severi comprobata eſt [f] in haec verba: „ * [g] Profiteri propter ignem pabuli gratia factus culpa ſervorum Vectoriae Aſtiliae evagatus, agrum tuum, ut proponis, depopulatus eſt, ad exemplum legis Aquiliae noxali judicio acturus, ſi litis aeſtimatio permittitur, judicium cum adire poteſt. Videlicet non eſt viſa Aquilia ſufficere. [h] Si forte ſervus quae idem conductores coloni ad fornacem obdormiſſent, et villa fuerit exuſta, * [i] Muneris ſcribit, ex locato conventum praeſtare debere, ſi neglegens in legendis miniſteriis fuit, tenetur ceterorum ſi alius ignem ſubjecerit fornaci, alius neglegenter cuſtodierit, tenetur namque qui non cuſtodit, ſi nihil hic fecit, quae recte ignem ſubjecit, non peccavit: quemadmodum ſi hominem Medicus recte ſecuerit, ſed neglegenter vel ipſe, vel alius curaverit, Aquilia ceſſat. Quid ergo eſt? Et hic puto ad exemplum Aquiliae dandam actionem [k] tamen eum, qui ad fornacem obdormivit, vel neglegenter curavit, ſive homo periit, ſive debilitatus eſt. Nec quiſquam di-

ſuo exuſſit. *Sed dum aliud ille egit*, dum non amplius cogitat de igne, ſed, ex agro forte alio tendens, parum ſollicitus fuit de igne, incendiove, *ſic* (forte SCL, hoc eſt, *ſcilicet*) *ignis proceſſit.* In Heid. eſt *praeciſſit*, errore fortaſſe typographico.

(f) *In haec verba:* id eſt, in his verbis. Confer quae notavi ad *Tit.* 9. §. 2.

(g) *Profiteri etc* Lego: *Profiteris, propter ignem, qui pabuli gratia factus* . . . *noxali judicio acturum*, (ſubaudi *te*) ... *judicium* (aut *judicem*) *cum ea adire potes tu.* Confer Fratrem *p.* 269.

(h) *Si forte ſervus quae idem conductores.* Heid. exhibet: *quae idem conductores.* Sic repono: *Si forte ſervus qui* (aut *ſervor*, id eſt, *ſervorum quis.* Pari modo Ulpianus noſter in *Tit.* 14. §. 3. *ſi ſervus qui*) IDOV. *conductores* (hoc eſt, *indulgentia conductorum*, ſicuti ſiglas illas expoſuit Magno. Errori cauſam dedit, quod eadem nota conſcribi olim ſolebant *res* et *rum*) *coloni ad fornacem obdormiſſet.*

(i) *Muneris.* Reſcribo *Numerius.* Juriſconſulti, puto, id nomen fuit, Romae ſaltem non incognitum, vide opus praeſtantiſſimum *de Nominib. Pandectarum*, *inſertum Theſ. Jur. Otton. Tom.* 1. *p.* 389. et 400. Praenomen hoc olim fuiſſe, dein gentis nomen factum, docuit Pater *de Nominibus Cap.* 2. *pag.* 7. Adjuvat conjecturam codex MS. Scaligeri, qui *Numerius* exhibet. Scio *Neratius* dari in *L.* 27. *c.* §. 9., verum nimium quantum diſtat hoc verbum a ſcriptura vulgata: neque ergo eſt, quod ob id ſolum contra librorum fidem illud hic loci obtrudamus. Suppoſuit forte Neratii nomen ſibi magis cogniti Tribonianus. Dein in pluribus variare utriuſque fragmenti ſtilum, unuſquiſque animadvertit.

In ſequentibus ſic diſtinguo ac corrigo: *Numerius ſcribit, ex locato conventum praeſtare debere. Si negligens in legendis miniſteriis fuit, tenetur.* (Ante *ſi* aut adde, aut ſubintellige *et.*) *Caeterum, ſi alius ignem ſubjecerit fornaci, alius negligenter cuſtodierit, tenetur unice, qui non cuſtodiit, ſi* (aut expone, aut ſcribe *etſi*) *nihil hic fecit: qui* AT (hoc eſt, *autem*) *recte ignem ſubjecit, non peccavit.*

(k) *Tamen eum.* Corrigo: *tamen in eum.*

(l)

dixerit in eo, qui obdormivit, [l] rem humanam et naturalem passum, cum deberet vel ignem extinguere, vel ita munire, ut non evagaret. Item libro VI. ex Viviano relatum est, si [m] fornum secundum parietem communem haberes, an damni injuria teneris? * [n] Et ait non posset id Aquilia lege, quia nec cum eo, qui focum haberet. Ideo aequum putat in factum actionem dandam. Sed non proponit exustum parietem. Sane enim quaeri potest, [o] nondum mihi damnum dederit, et ita ignem habeat, ut metuam, ne mihi det, * [p] aequum sit me inter actionem idem in factum imperare: fortassis enim de hoc senserit Proculus: nisi quis dixerit, damni non facti sufficere cautionem. [q] Sed et quis servi inquilini insulam exusserit, libro X. Ursejus refert, Sabinum respondisse, lege Aquilia servorum nomine dominum noxali judicio conveniendum; ex locato autem dominum teneri negat. [r] Proculus autem R. cum coloni servi villam exusserint, colonum vel ex locato * lege Aquilia, ita ut colonus servos posset noxae dedere: et si uno judicio

(l) *Rem humanam.* Placet admodum scriptura editionis Heid., quae refert: *rem eum humanam.*

(m) *Fornum.* In H. est *furnum.*

(n) *Et ait etc.* Lego: *et ait non posse ad id Aquilia lege agi, quia nec cum eo,* subaudi: agi potest,

(o) *Nondum* Per ellipsin omissum *si.*

(p) * *Aequum sit etc.* Asteriscum ante haec omittit Heid. Hic quoque subintelligo *si*, id est, *an*, nisi malis *aequum si sit.* Porro sic emendo: *me interim* vel *interea actionem item in factum impetrare.*

(q) *Sed et si quis servi inquilini.* Restituo: *Sed et si quis serv. inquilin.* hoc est, *servorum inquilinorum*, aut forte: *qui servi inquilini insulam exusserint.*

(r) *Proci autem R. etc.* R. auctore Valerio P[illegible]bo exponi possit *recte:* qua eadem ope reparari posse puto scripturam corruptam, vel certe obscuram *L.* 1. §. 28. *D. de Scto Silaniano.* In haec verba rescripsisse Divum Adrianum refert Ulpianus: *Servi, quoties dominis suis auxilium ferre possunt, non debent saluti eorum suam anteponere. Potuisse autem ancillam, quae in eodem conclavi cum domina sua fuerat, auxilium REI ferre, si non corpore suo, at certe voce, plorantem, ut hi, qui in domo fuerant, aut vicini, audirent.* . . . Sequor interpunctionem, quam proposuit Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 105., qui idem pro *rei* substituit *herae.* Praeferam *R. ei* hoc est, *recte ei*, aut *retro ei:* et haec enim vox eodem Probo teste una R signata fuit. Magis tamen placet scriptura libri Heidelbergensis qui exhibet ℞, quod *respondit* interpretantur Magno et Diaconus. *Proculus autem respondit, . . . colonum vel ex locato,* (revoca *teneri* ex modo praecedentibus) v (Magno *vel* exponit) *lege Aquilia.* Quod dixi repetendam, hoc est, subintelligendam vocem *teneri*, quae mox fuerat usurpata, solennem fuisse scimus JCtis antiquis loquendi hunc morem. Ita, neglecta crisi, quam adhibendam censuerunt nonnulli, vid. Best. *p.* 249. et Obs. Miscell. Amstel. *Vol.* 3. *p.* 295., recte exponas lectionem, optimi Codicis Tusci auctoritate firmatam, in *L.* 7. §. 2. *D. quib. mod. pign. vel hyp. solv.* Sic Cajus: *Si cum debitoris procuratore convenit, ne sit res obligata, dicendum est, id debitori per doli exceptionem prodesse: cum autem cum servo ejus convenit, per ipsam pacti conventi exceptionem debet.* Interpretor: *debet prodesse.* Non dabitur eo casu exceptio doli subsidiaria: sed pacti conventi.

dicio res esset judicata, altero amplius non [s] agendam. Item Celsus libro XXVII. Digestorum scribit, si, cum apes meae ad tuas advolassent, [t] totas exusserit, quosdam negare competere legis Aquiliae actionem, inter quos et Proculum, quasi apes [v] dominI mei non fuerint. Sed id falsum esse Celsus ait, cum apes revenire soleant, et [w] fructui missi sunt. Sed Proculus eo movetur, quod nec mansuetae, nec ita clausae fuerint. [x] Hd. Ipse autem Celsus ait, nihil inter has, et columbas interesse, quae si manu refugiunt, [y] domi tamen fugiunt.

Explicit Titulus de Incendariis.

(s) *Agendam.* Rectius H. exhibet *agendum*: licet et illud ferri possit.
(t) *Totas exusserit.* Lego: *tu totas exusseris*, hoc est, tuas et alterius.
(v) *DominI.* H. *Dominii.* Possent apes censeri non esse in dominio, quippe quae nunc huc, nunc illuc avolant.
(w) *Fructui missi sunt.* Asteriscum collocat H. ante *missi.* Reponendum *mihi* nil dubito. Scriptum forte *micHi.*
(x) *Hd.* H. scribit: *h. d.* Expono: *hac domo.*
(y) *Domi tamen.* Lego: *domum tamen.*

T I T U L U S XIII.

De [a] *Terminia mota.*

§. 1. *MOYSES dicit*: Non transmovebis terminos proximi tui, quos constituerunt patres tui, vel principes possessionis tuae.

§. 2. *PAULUS libro sententiarum, sub titulo finium regundorum:* In eum, qui per vim terminos dejecit, vel amovit, extra ordinem animadvertitur.

§. 3. *ULPIANUS libro IX. de officio Proconsulis sub titulo de ter-*

(a) *Terminia mota.* Uti *Termo* et *Termen* veteribus quoque dicta fuisse constat ex Festo et Varrone, ita *Terminiam* forte posteriores usurparunt pro *Termino.* In fine tituli scriptum fuisse *Terminea* memorat Du Cange *in Glossario v. Terminia*, quam editionem secutus, nescio.
§. 1. Inspice *Deuteron. Cap.* 19. *c.* 12.
§. 2. Ante *sententiarum* asteriscum habet Heid. Exhibentur autem haec *Lib.* 1. *Tit.* 16., quo loco et haec adduntur: *Ut fines terrae per terminos regantur, ne dispentur* termini, *ut* (malo *at*) *ab utrisque* confinibus *quinque pedum loco teneantur*, ita teneantur, ut quinque pedum spatium intercedat inter agros vicinos. Ipsius Pauli esse, quae proposui, nullus dubito.
§. 3. Heid. habet: *mente facientis magistratui ponam*, omisso asterisco. Deinde pro

termino moto: Eos, qui terminos moverunt, non impune id facere debere, Divus Adrianus Terentio Gentiano XVII. Kl. Sepembriarum se III. Consl. rescripsit: quo rescripto poenam variam statuit. Verba rescripti ita se habent: „ Pessimum factum eorum, „ qui terminos finium causa impositos abstulerunt, dubitari non „ potest. Poenae autem modus ex conditione personae, et „ mente facientis * magistratui poenam. Si splendidiores sunt „ personae, quae convincuntur, condubito, quin occupandorum „ aliorum finium causa id admiserint: et possunt ad tempus, ut „ cujusque cumpatitur aetas, relegari, et sic in biennium, aut triennium ad opus publicum dari. Quod si per ignorantiam aut for- „ tuitu [a] lapides * visus causa furati sunt, sufficit eos verbe- „ ribus coërceri. "

Explicit de Terminia mota.

pro *condubito* dat *non dubito*, item pro *fortuitu*, *forsuiso*. Denique plenius exhibet: *explicit sisulus de Terminia mosa. Pessimum factum eorum* supple *esse*. Similiter supra *Tit.* 6. §. 4. *Nefas credere est ea.* Legi debere: *faciensis magis statui pos*, (hoc est *posest*) *nam*, *si* . . . evincere videtur *L.* 2. *D. de Termino moso. Posest* accipe *debet*, qua notione verbum hoc frequentissime usurpari docuit nuper H. J. Arntzenius *in Miscell. Cap.* 13. Paulus *Sens. Lib.* 4. *Tit.* 1. §. 14. *beres*, inquit, *ante adisam beredisasem*, *legasarius anse quam legatum accipiat*, *fideicommissum praestare non possunt.* Recte exponit P. Faber *non debens.* Idem *Lib.* 1. *Tit.* 21. §. 13: *Parentes es filii majores sex annis anno lugeri possuns*, id est, *debens. Posse* pro *debere*, itemque *debere* pro *posse* Jctis saepissime adhiberi notavit Rittershus. ad Paul. *Sens. Lib.* 4. *Tit.* 14. §. 1. Accensendum puto modestis loquendi formulis, quas prae caeteris in deliciis habuerunt Prudentes veteres, secuti etiam nonnunquam Imperatores. *Non dubiso* substituendum esse in sequentibus verosimile fit. Porro *cujusque eorum*, an forte *reorum? patisur aesas* reponendum censeo.

(a) *Lapides * visus causa furati.* Restituendum arbitrantur plerique *usus causa*: num recte dubito: Levior certe poena videatur necesse est, verberibus coërceri eum, qui sciens prudensque dolo malo usus sui causa amovit terminum sacrum, ac furatus est. Malim equidem V *lusus causa.* Notam exponit Magno *vel.* Levis castigatio sufficit iis, qui ignorantes terminum esse, id est, fodientes forte lapidem inventum secum abducunt: idem dicendum de illis, qui ludi causa terminum furantur. Terminorum defigendorum ritus, forma eorum atque ornatus, leges denique terminorum causa latae, cognosci poterunt ex illis, qui antiquitates tradidere.

TITULUS XIV.

Incipit de Plagiariis.

§. 1. MOYSES *dicit:* Quicunque plagiaverit quemquam in Iſraël, et vendiderit eum, morte moriatur.

§. 2. *PAULUS libro ſententiarum V, ſub titulo ad legem Fabiam:* Lege Fabia tenetur, qui civem Romanum ingenuum, libertinum, ſervumve alienum celaverit, vendiderit, vinxerit, comparaverit. Et olim quidem hujus legis poena ſummaria fuit: ſed translata eſt cognitio in Praefectos Urbis: itemque Praeſidis provinciae extra ordinem meruit animadverſionem. [a] Ideoque humiliores aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur: honeſtiores adempta dimidia parte bonorum [b] in perpetuum relegantur. Si ſervus ſciente domino alienum ſervum ſubtraxerit, vendiderit, celaverit, in ipſum dominum animadvertitur. Quod ſi id domino ignorante commiſerit, in metallum datur.

§. 3. *ULPIANUS libro IX. de Officio Proconſulis, ſub titulo ad legem Fabiam:* Frequens eſt etiam legis Fabiae cognitio in tribunalibus Praeſidum: quanquam qui lam Procuratores Caeſaris uſurpaverint, quam Romae, tam in provinciis. Sed enim jam eo perventum eſt conſtitutionibus, ut Romae quidem Praefectus Urbi ſuper ea re cognoſcat, ſi [a] intra miliarium centeſimum ſit in via commiſſa. Enimvero ſi ultra centeſimum, Praefectorum Praetorio erit cognitio. [b] In provinciam enim Praeſidum provinciarum:

§. 1. Sic ad hunc §. Cel. Venema: Exod. XXI: 16. *Hic cum Chald. et LXX. addit* quemquam in Iſraël, *ex* Deut. XXIV: 7. *contra textum Hebr. et Lat. Vulg. Omiſit vero* et, *vel* aut, deprehenſus fuerit in manu ejus. *Praeterea ſingulare eſt, quod* plagiare *dixerit pro* furari *hominem et vendere, non niſi ſaeculo* V *et deinceps uſitatum, in legibus Gothicis et Salicis quoque obvium. Adfini tantum ſenſu* plagiator *occurrit apud Tertull:* contra Marcion. *Lib.* 1. *Cap.* 23. *pro* ſuppreſſore, celatore *hominis liberi aut ſervi.*

(a) *Dicit.* Heid. habet *dixit.*

§. 2. (a) *Ideoque.* Malim *hodieque:* error forte ortus ex malo auditu ſcribae.

(b) *In perpetuum.* In H. exſtat: *impp.*

§. 3. (a) *Intra miliarium centeſimum.* H. plenius: *intra miliarium lapidem centeſimum.* Pro *in via* lego *intra Italiam*, vid. *L.* 1. *pr. D. de Off. Praef. Urb.* Conf. Fratrem *p.* 282.

(b) *In provinciam etc.* Expono: in provincia enim Praeſidum provinciarum cognitio eſt: *nec aliter Procuratori Caeſaris haec cognitio injungitur, quam* (ſubintellige *ſi*, aut *ut*) *Praeſidis* . . . ſequentia ſic interpretor, atque interpungo. *Plane poſt*

ciarum: nec aliter Procuratori Caesaris haec cognitio injungitur, quam Praesidis partibus in provincia fungatur. Plane post sententiam de Fabia latam Procuratoris partes succedunt. * Hujus certae admamen Procuratori, qui illam provinciam regit, licet de capitalibus causis cognoscere nec soleat, tamen ut de lege Fabia possit cognoscere, Imp. Antoninus constituit. Idem legis Juliae de adulteris coërcendis constitutione Imperatoris Antonini quaestionem accepit. Lege autem Fabia tenetur, qui civem Romanum [c] eundemque, qui in Italia liberatus sit, celaverit, vinxerit, [d] vinctum-

post sententiam de Fabia latam Procuratoris partes succedunt hujus, scilicet Praesidis partibus. *Certae attamen* provinciae *Procuratori*. . . . H. exhibet *certe.*

(c) *Eundemque.* Malo *eum itemque*, aut potius *eum denique.* Singularis est, neque in vulgus admodum notus particulae hujus usus, quo pro *proinde*, *exempli gratia* posita fuit a veteribus. Consule Strauchium *in Lex. Partic.* et Brissonium *de V. S. v. Denique.* Unum adferam exemplum, ut interpreter juris caput difficillimum, quod vehementissime vexavit interpretes. In plerisque eadem est causa legati usus et habitationis: veluti: neuter, usuarius, puta, et is, cui relicta est habitatio, donare potest quod legatum fuit: easdem quoque personas recipiet uterque: neuter denique legatum suum ad heredem transmittit. Diversa tamen causa habitationis, quod ea neque amittitur non utendo, neque capitis deminutione. Constat de his ex Modestino *in L.* 10. *D. de Capite Minutis. Si habitatio legetur*, inquit, *morte quidem legatarii legatum intercidit, capitis deminutione tamen interveniente perseverat.* Rationem hanc adjungit Jctus: *videlicet, quia tale legatum in facto potius, quam in jure consistit.* Eandem rem pluribus pertractat Ulpianus in *L.* 10. *D de Usu et Habitat: Si habitatio legetur*, ait, *an perinde sit, atque si usus, quaeritur: et effectu quidem idem poene esse legatum usus et habitationis et Papinianus consensit libro octavo decimo Quaestionum: DENIQUE donare non poterit, sed* (hoc est, *sed et*) *eas personas recipiet, quas et usuarius: ad heredem tamen nec ipsa transit. Nec* (an forte *at nec*, aut *haec*, sc. habitatio, *nec*) *non utendo amittitur, nec capitis deminutione.* Inviso transpositionis remedio ita restituendum arbitrantur nonnulli: *ad heredem nec ipsa transit: nec tamen non utendo amittitur, nec capitis deminutione.* Remotum puto quicquid est tenebrarum, si ita exponas atque emendes quemadmodum proposui. *Tamen* interpretor *tandem*, qua notione Pacuvio et Sallustio vocabulum illud frequentatum fuisse, docuit Nonius, adde Jo. Arntzenium *ad Aurel. Vict. Cap.* 72. *Num.* 4. Utramque vocem permutatam saepissime fuisse in membranis antiquis ostendit Ducker *ad Florum Lib.* 1. *Cap.* 13. *Num.* 15. *et alibi.* Habitationis materiam ex professo multis persequitur Majansius *Tom.* 3. *Disp.* 18. De usu dum disputo, succurrunt verba Ulpiani in *L.* 10. §. 4. *D. de Usu et Habit: Si usus fundi sit relictus, minus utique esse, quam fructum, LONGEQUE, nemo dubitat.* Desiderari hic verbum *distare*, simileve, post *longeque* plerique opinantur. Varias aliorum correctiones exhibet Justus in *Spec. Obs. Crit. Cap.* 18., qui substitult *longe longeque.* Expono: Si usus fundi relictus sit, dubitandum non est, minus profecto, imo longe minus relictum esse, quam si relictus fuerit fructus.

(d) *Vinctumque.* Quem *vinctum* hic nominat Ulpianus, eundem *invinctum* appellat Callistratus in *L.* 6. §. 2. *D. de lege Fab. de plag.* Solent nempe composita millies usurpari pro simplicibus: ita *illigare*, *incavillatio*, *insequi*, *inambulare*, *inhabitare*, *alia:* quo de notandum duxi, quia

ctumque habuerit, vendiderit, emerit, quive in eam rem socius fuerit: cui capite primo ejusdem legis poena injungitur [e] Si servus qui sciente domino fecerit, dominus ejus sextertiis quinquaginta milibus eodem capite punietur. Ejusdem legis capite secundo tenetur, qui alieno servo persuaserit, ut dominum fugiat, quive alienum servum invito domino celaverit, vendiderit, emerit, dolo malo, quive in ea re socius fuerit: [f] jubeturque populo sextertium quinquaginta milia dare *Et reliqua. Sciendum tamen est, ex Novellis constitutionibus capitali sententia plagiatores pro atrocitate facti puniendos: quamvis et Paulus supra relatis speciebus crucis et metalli poenam hujusmodi reis inrogavit.*

Explicit Titulus de Plagiariis.

quia et sunt, quod mireris, qui vocabulum suspectum mutandum censent.

(e) *Si servus qui sciente domino fecerit.* Possis reponere: *si servor. qui*, aut *quis*, *sciente domino fecerit id*: Retenta tamen lectione vulgata *qui* interpretor *quis*. Vide supra ad *Tit.* 11. §. 7.

(f) *Jubeturque populo sextertium.* In H. sic prostat: *jubeturque* * *populus sestertiorum.*

T I T U L U S XV.

Incipit de Mathematicis et Manichaeis.

§. 1. *MOYSES dicit:* Non inveniatur in te qui lustret filium tuum, aut filiam tuam, nec divinus, apud quem fortes tollat; nec consentiat venenariis impostoribus, qui dicunt, quid conceptum habeat mulier: quoniam fabulae seductoriae sunt. Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. Non inveniatur in te augurator, nec inspector avium, nec maleficus, aut incantator, nec Pitonem habens in ventrem, nec aruspex, nec interrogator mortuorum, nec portenta inspiciens. Omnia namque ista a Domino Deo tuo damnata sunt, et qui fecerit haec. Propter has enim abominationes Deus eradicavit Chaldaeos a facie sua. Tu autem perfectus eris ante Dominum Deum tuum: gentes enim istae, quas tu possides, auguria, et sortes, et divinationes audiebant.

§. 2.

§. 1. Pro *divinus* in H. est *divinitus*. Ita ad hunc §. Cel. Venema. Deut. XVIII: 10. *sq.* 1. filium tuum *legit pro* suum, *nisi sit mendum.* 2. *omisit* igni. 3. divinitus *habet pro* divino, *vitio quoque descriptoris forte.* 4. *addit:* nec consentiat venenariis (*pro* magis, *voce recentioris usus, nisi quod* venenarii *et* magi *conjungantur a Tertulliano* de Pudicitia Cap 5.) impostoribus, qui dicunt quid conceptum.

§. 2. *ULPIANUS libro VII. de officio Proconsulis, sub titulo de Mathematicis et Vaticinatoribus:* Praeterea [a] interdicta est Mathematicorum callida impostura, et obstinacitate persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit: sed vetus haec prohibitio est. [b] Denique exstat Senatusconsultum Pomponio et Rufo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis, Chaldaeis, ariolis, et ceteris, qui [c] similem * incertum fecerunt, aqua et igni interceptum habeat mulier: *quod unde sumseris me latet: ipse forte adjecit, ut et quae proxime sequuntur, ad* genethliacos *respiciens.* 5. Chaldaeos *substituit* Cananaeis, *pro astrologis et magis voce usus.* 6. *Denique in fine de suo addit* sortes.

§. 2. (a) *Interdicta est Mathematicorum callida impostura, et obstinacitate persuasio.* Heid. exhibet: *et obstinata persuasio. Obstinacitatis* vocabulum, analogia bonum, non est quod damnemus eam solummodo ob causam, quod rarioris id est usus. Similia plurima apud Jctos obvia. Vid. Brisson. *in Parerg.* §. 112. *sq. Foedus* pro *foedisate* dictum puto in *L.* 47. *D. de Rit. Nupt.*, licet aliud placeat Eruditis. Vid. Justi *Spec. Obs. Crit. Cap.* 21. Repono: *et ex obstinacitate persuasio.* Initio Mathematici artem suam exercuerunt ipsi falsitatis sibi conscii, finxeruntque multa, ut lucrum exinde caparent apud rudem ac superstitiosam plebeculam: postea vero, uti fieri solet, longo artis usu animum tandem inducere coeperunt Manichaei isti Impostores, vereque sibi ac pertinaciter et obstinate persuaserunt, non ficta esse callida sua commenta, verum artem suam non modo non turpibus atque impiis figmentis constare, sed potius esse veram, divinam, a Diis Ipsis profectam. Ex Paulo discimus *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 21. §. 1. vaticinatores primo fustibus caesos civitate expulsos fuisse, *perseverantes* autem gravioribus poenis subjectos.

Imposturae nomen Christianis proprium, quippe quos *impostores* vulgo et in triviis dictos fuisse ex Hieronymo ostendit Balduinus *in libello de Edictis Principum Rom. de Christianis pag.* 102. Christianos autem in his praecipue designari observarunt et alii, ac certissimum hoc quidem videtur vel ex notissimo Lactantii loco. Eosdem quoque innui credo apud Paulum *Sent. Lib.* 5. *Tit.* 21. qui est *de Vaticinatoribus et Mathematicis*, et *Tit.* 23. §. 15. *sqq:* quaecunque enim ibidem referuntur, Christianis a gentilibus objecta fuisse crimina, ex Minucio Felice, Tertulliano, reliquisque novimus. *Obstinationem salutis* praeferre dicebantur, vid. Tertull. *Apolog. Cap.* 27. *Persuasio* eorum *desperata* vocabatur, *ibid. Cap.* 50. Tertull. *in Apol. Cap.* 7. *in pr. dicimur*, inquit, *sceleratissimi de sacramento infanticidii, et pabulo inde, et post convivium incesto.* Varie mutant alii. Retenta vulgata lectione interpretor: propter sacramentum nostrum, quo infantem occidere, occisum edere, post convivium incestum committere accusamur. Malim tamen *inter et post convivium.* Istiusmodi ad criminationes referenda existimo Pauli verba *d. Tit.* 23. §. 15. *sqq.* Verum ἀπέχω.

(b) *Denique.* Possis et hoc loco vocubulam illam, saepius repetitam, interpretari, exempli gratia. Repetitiones istiusmodi in jure frequentes esse ostendit Brisson. *in Parerg.* §. 84.

(c) *Similem incertum fecerunt.* Corrigo: *Similem in urbe*, (aut potius *civitate*, ita C. O. *civitas omnis.* CT. AE. *civitatis Romae* exponitur) *artem fecerunt.* Senatusconsultum, hoc loco memoratum, factum esse constat anno a N. C. XVIII, imperante Tiberio. *Tiberius* autem, verba sunt Dionis Cassii *Lib.* 57. *pag.* 612. *et* 631. ex versione Latina, *omnes astrologos, magos, aut quicunque alioquopiam modo divinationes exercerent, exteros necavit, cives, qui etiamnum neglecto priori edicto, quo prohibitus fuerat usus harum artium omnibus, qui ἐν τῇ πόλει, IN URBE, essent, tractare hujusmodi res deferrentur, extorres egit.* Non ovum ovo similius, quam Dionis

terdicatur: omniaque bona eorum publicentur: [d] et sic * aeternus gentium, qui si id fecerit, ut in eum animadvertatur. Sed fuit quaesitum, utrum [e] scientia hujusmodi hominum puniatur, an exercitio, et professio. Et quidem apud veteres dicebatur, professionem eorum, non notitiam, esse prohibitam. Postea variatum: [f] nam dissimulandum est, nonnumquam inrepsisse in usum, ut etiam profiterentur, et publice reprehenderent. Quod quidem magis per contumaciam, et temeritatem eorum factum est, [g] qui visi erant vel consulere, vel exercere, quam * qui fuerant permissum. Saepissime denique interdictum est fere ab omnibus Principibus, ne quis omnino hujusmodi ineptiis se immisceret: et varie puniti sunt hi, qui id exercuerunt, [h] pro mensura scilicet * et consultationis. Nam qui de Principis [i] salute,

Dionis et Ulpiani sermonem esse deprehendis, si ita, quemadmodum proposui, reformes loci hujus lectionem. *Animadvertatur* accipiendum perspicis de summo mortis supplicio, aut, si id mavis, legendum: *in eum m. animadvertatur*, hoc est, *morte*.

(d) *Et sic aeternus gentium qui si id fecerit.* Rescribo: *et* (vel potius *at*, subaudi *si*) *sit extern.* (id est, *externarum*) *is gentium quis, qui id fecerit.* Heid. exhibet: *externus gentium. τοῦ si* ellipsis frequens est, vid. Brisson. *de V. S. v. si*, adde Priscian. *Lib.* 18. *Cap.* 3. et Sanct. *in Min. p.* 702.

(e) *Scientia.* Paulus *Lib.* 5. *Sent. Tit.* 21. §. 4: *non tantum*, inquit, *divinatione quis, sed ipsa scientia, ejusque libris melius fuerit abstinere.* Idem *Tit.* 23. §. 18: *non tantum hujus artis professio, sed etiam scientia prohibita est.*

(f) *Nam dissimulandum est. . . ut etiam profiterentur, et publice reprehenderent.* Post *publice* asteriscus apparet in Heid. Restituendum puto: *n eñ* (*non*, vel *nec enim* interpretatur Magno) *dissimulandum est. . . ut etiam profiterentur, nec publice reprehenderentur.* Tolerari tamen fortasse possit *et publice reprehenderent*, si ita exponamus: eo audaciae progressi fuerunt, ut publice etiam adversarios suos, hoc est, eos, qui contradicere sibi ausi fuissent, reprehendere non fueriti veriti, adeoque obstinate artem suam defenderent contra dissentientes.

(g) *Qui visi erant. . . quam * qui fuerant permissum.* Lego: *qui nisi erant*, hoc est, adnixi, . . . *quam quod fuerIT* (id est, *fuerit id*) *ant* (*antea* exponit Valerius) *permissum.*

(h) *Pro mensura scilicet * et consultationis.* In Heid. exstat: *pro mensura scilicet * consultationis*, omisso *et*. Scriptum fuisse conjicio: *pro mensura scilicet E et consultationis.* E pro *ejus* exaratum fuisse olim idem Probus auctor est. Punitos intelligo pro mensura, hoc est, secundum modum, quo artem eam tractarunt, vel consulendo, vel exercendo. Praecessit enim *vel consulere vel exercere. Ejus* ergo accipe exercitionis. Pari modo restauranda lectio corrupta apud Gellium *Noct. Attic. Lib.* 18. *Cap.* 6. *In nostra memoria*, refert de Aelio, an Helio, Melisso, *fuit Romae summi quidem loci inter Grammaticos ET temporis.* Ecquis scriptum dubitet *E temporis?* hoc est, *ejus.* T adhaesisse ex sequenti *temporis* nullus non animadvertit. Pluribus de Melisso illo inquirit, additisque aliorum conjecturis, ipse rescribendum jubet *et τεχνικους* Vir Eruditiss. Petr. Paul. Justus in *Spec. Observ. Crit. Cap.* 10.

(i) *Salute.* Subaudi *id exercuerunt* ex modo antecedentibus.

(k)

falute, capite puniti funt, vel qua alia graviore poena adfecti. [k] Enimvero fiquidem * fuaforumque levius inter hos habentur, quam vaticinatores, hii quoque plectendi funt: quoniam nonnunquam [l] contra publicam quietem imperiumque populi Romani improbandas artes exercent. Extat denique decretum Divi Pii ad Pacatum, Legatum provinciae Lugdunenfis, *cujus refcripti verba, quia multa funt, de fine ejus* [m] *ad locum haec pauca fubjecit.* Denique et Divus Marcus eum, qui motu Caffiano vaticinatus erat, et multa quafi [n] extinctu Deorum dixerat, in infulam Syrum relegavit. Et fane non debent impune ferre hujufmodi homines, qui fub obtentu, et monitu Deorum, quaedam vel renuntiant, vel jactant, vel [o] fcientes eos fingunt.

§. 3. *GREGORIANUS libro VII. de Maleficis et Manichaeis, fub titulo* [a] *comp:* Maximus Dioclitianus et Maximianus, Nobiliffimi

(k) *Enimvero fiquidem * fuaforumque levius inter hos habentur, quam vaticinatores, hii quoque.* Heid. habet: *enimvero fiquidem fuaforum profeffio quae levius inter hos habetur, quam vaticinatores, ii quoque.* Legi poffit: *enimvero f9* (aut S, utraque nota *funt* fignificat) *quidam fuaforum, qui . . . vaticinatores, f9* (*fed et* explicat Magno) *ii quoque . . .* Suafores accipe proxenetas, qui non ipfi artem exercent, fed fuadent Manichacos confuli. Ita olim in mentem venerat locum difficillimum exponere: poftquam vero cognovi Fratris mei de verbis exhibitis conjecturam, verofimiliorem eam protinus vifam mihi, quippe quae fenfum argumento huic aptiorem fubminiftret, nolo diffiteri. Vide Commentarium ejus *pag.* 303. *fq.*

(l) *Contra publicam quietem etc.* Hinc *facrilegi, et majeftatis rei* dicebantur Chriftiani, vid. Tertull. *in Apol. Cap.* 10., ob id, puto, quia Deos non colebant, neque pro Imperatoribus facrificabant. *Publici hoftes Cap.* 35., *generis humani hoftes, Cap.* 37., *omnium fcelerum rei, Deorum, Imperatorum, Regum, naturae totius inimici, Cap.* 11. *Omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Chriftianos effe in caufa: fi Tyberis adfcendit in moenia, fi Nilus non adfcendit in arva, fi coelum ftetit, fi terra movit, fi fames, fi lues, ftatim Chriftianos ad leonem. Cap.* 40. *Conqueftos paganos* idem fcribit *de felicitatis rerum humanarum per Chriftiana tempora deminutione.* Auguftinus *de Civ. Dei Lib.* 2. *Cap.* 20. *publicos inimicos* appellatos eos fuiffe tradit. Idem *afflictionem,* inquit *Cap.* 19. *quamcunque fuperbia deliciaeque eorum perpeffae fuerint, religioni increpitant Chriftianae.* Plura qui defiderat, adeat is Commentarios Interpretum ad loca citata.

(m) *Ad locum haec.* Heid. expreffit: *ad hunc locum haec.* Vulgaris fuit locutio Romanis, adeo ut tribus verbis denotare foliti fuerint, *ad locum,* teftibus Triumviris, qui de notis veterum tradiderunt, AD L. Id autem fignificabant, quod nunc dicimus *in verbis.* Hoc fenfu vetus Jctus, nefcio quis, *in Confultatione* §. 1. Vid. *Jurifpr. Antej.* Schulting. *p.* 813. *in f.* Ea vera notio num huc conveniat, dubito, propterea, quia memorati refcripti nulla verba addita. Malim itaque *ad locum hunc pauca.* Heid. fequentia *denique . . .* fic exhibet, quafi fint ea refcripti verba, quod abfonum.

(n) *Extinctu.* Heid. rectius: *ex inftinctu.*

(o) *Scientes eos fingunt.* Corrigo: *fcientes eor q fingunt* hoc eft, *eorum quid,* intelligo aliqua eorum, quae ante fuere memorata.

§. 3. (a) *Comp. etc.* Scriptum fortaffe

fuit

lissimi A. A., Juliano, Proconsuli Africae. Otia maxima interdum homines * [b] in communionem conditionis naturae hominum modum excedere hortantur: et quaedam genera [c] inanissima ac turpissima doctrinae superstitionis inducere suadent, ut sui erroris arbitrio pertrahere et alios multos videantur, Juliane Karissime. Sed Dii immortales providentia sua [d] ornare et disponere dignati sunt quae bona, et vera sunt [e] et multorum, et bonorum, et egregiorum virorum, et sapientissimorum consilio et tractatu in- libata

fuit: *sub titulo oc* (id est, *hoc*, vel *eod.* eodem) *Impp.* Intellige autem titulum de Mathematicis et Vaticinatoribus; quem allegaverat jam in §. 2. Malefici et Mathematici qui dicantur optime exposuit Jac. Gothofred. *in paratitlo ad Tit. C. Th. de Maleficis et Mathematicis.* Confer ejusdem Glossarium Nomicum. *Maximi* titulus num ab ipso Imperatore Diocletiano fuerit profectus, qui eum sibi attribuerit in inscriptione legis hujus, dubitant Interpretes. Adscripta forte vox ab auctore Codicis Gregoriani, an a nostro. Hoc certum est vulgatissimo usu *maximos Principes* Romae fuisse appellatos: testis est Valerius Probus, qui M. P. exponit *Maximus Princeps.* Magno MAX. CS. exponit *Maximus Caesar.* Testes sunt leges plurimae, inscriptiones non paucae, jam ab aliis allegatae. Diocletiani in inscriptione hac perperam injici mentionem contendunt nonnulli, ac propterea emendandam eam esse statuunt, eo quod Eusebius, Lactantius, aliique, ubi de edicto hoc memorant, Galerii Maximiani solius nomen adscribunt: contra sentiunt plerique, pro quibus stat scripturae auctoritas, quam sequi malo. *Nobilissimi Augusti* dicuntur titulo non admodum solenni. *Nobilissimi* vulgo appellabantur Imperatorum filii, filiae, quin et quaecunque ad Principem pertinebant, notione illa veterum: ita *domus nobilissima*, caetera. Caesaribus in primis hoc nomen attributum: hinc *nobilissimi Caesares* supra *Tit. 6.* §. 4. Diversa posimodum a Caesarea dignitate constituta est ea Nobilissimi. Ampliora si quis desideret de titulo hoc, adeat is Jac. Gothofredum ad *L. ult. C. Th. de lustral. collat.*, et Guther. *de Offic. dom. Aug. p.* 22. *sq*, adde Du Cange *in Glossario v. Nobilissimus.* De eo ambigi possit, num ipsi Augusti *nobilissimi* dicti fuerint; tum, ipsine Imperatores ea appellatione se insigniverint. *Quaeris*, inquit Scaevola, *an ingenuitatis jure utatur is, quem sanctissimus et NOBILISSIMUS IMPERATOR natalibus suis restituit*, in *L.* 3. *D. de Natal. Restit.* Imo et posterioribus temporibus Regibus interdum adscriptum fuisse nobilissimi ac nobilitatis titulum apparet ex Du Cange *l. c.* et *in v. Nobilitas.* Magis tamen est ut credam, titulos hoc loco additos mutatos, atque ex sui saeculi stilo adjunctos fuisse ab compilatore Codicis Gregoriani, aut potius ab Auctore nostro.

(b) *In communionem conditionis naturae hominum etc.* Incuria librariorum, post *conditionis* excidit, opinor, vox *Deorum*, *divinae*, similisve, nota perscripta. Explico: otia aliquando homines excedere hortantur modum naturae humanae, et similes esse velle Diis, aut, quod idem est, in communionem venire conditionis divinae. *In communionem* positum pro ad adipiscendam communionem.

(c) *Inanissima etc.* Non est, quod mutemus. In §. 2. dicuntur *ineptiae.* *Doctrina superstitionis* vulgari loquendi formula appellatur doctrina superstitiosa, aut superstitionis plena. *Erroris arbitrio pertrahere* est persuadere, permovere sua sententia, atque electione, quantumvis falsa, errorisque plena. Pro *Karissime* H. habet *Carissime.*

(d) *Ornare.* H. exhibet *ordinare*, quod sequor.

(e) *Et multorum.* Malo: *ut multorum.* Ante *neque reprehendi* subintelligo *ut.*

(f)

libata probarentur, et ſtatuerentur: quibus nec obviam ire, nec reſiſtere fas eſt: neque reprehendi a nova vetus religio deberet. Maximi enim [f] criminis eſt * ſed tractare, quae ſemel ab antiquis tractata, et definita ſunt, ſtatum et curſum tenent, ac poſſident. Unde pertinaciam pravae mentis nequiſſimorum hominum punire ingens nobis ſtudium eſt. [g] Hi enim, qui novellas et inauditas ſectas de terroribus religionibus obponunt, ut pro arbitrio ſuo pravum excludant, quae divinitus conceſſa ſunt. * [h] Quoniam nobis, de quibus ſolertia tua Serenitati noſtrae retulit, Manichaeos audivimus eos nuperrime, velut nova inopinata prodigia, in hunc mundum de Perſica adverſaria nobis gente progreſſa, vel orta eſſe: et multa facinora ibi committere: populos namque quietos perturbare: nec non et civitatibus maxima detrimenta [i] inſerere: et verendum eſt, ne forte, ut fieri adſolet, accedenti tempore [k] conentur execrandas conſuetudines, [l] et * iſtebas leges Perſarum innocentioris naturae homines Romana gente modeſtam atque tranquillam, et univerſum orbem noſtrum veluti venenis de ſuis malivolis [m] infigere. Et quia omnia, quae pandit prudentia tua

(f) *Criminis eſt * ſed tractare etc.* H. exhibet: *criminis eſt * retractare*, repono *ſaepe tractare.* In ſequentibus ſic Heid: *ſtatum enim et.* Nil muto. Sic diſtinguo: *definita ſunt, ſtatum et curſum tenent.* Pari modo *ſtati ſiderum curſus* vocantur Plinio.

(g) *Hi enim* ſubintellige ſunt nequiſſimi homines, quos ante memoraverant Impp., *qui novellas*, id eſt, novas, *et inauditas*, turpes, inmanes, ac ſceleratas *ſectas deterioribus* (Heid. conjunctim ſcribit *deterroribus*) *religionibus opponunt*,: ita loqui arbitror Principes ex ſententia ipſorum impoſtorum, qui deteriores ſtatuunt religiones antiquas, quamobrem mox ſubjungitur: *ut pro arbitrio ſuo pravam* (ſic malo: intellige religionem noſtram veterem) *excludant, quae divinitus conceſſa fuit.*

(h) *Quoniam nobis.* H. aſteriſcum omiſit ante *quoniam.* Emendo: *quoniam nos.* Feſtinantes librarii excuſabili errore ſcriptum crediderunt *nob* id eſt *nobis.* Sequentia: *de quibus ſolertia tua ſerenitati noſtrae retulit* parentheſi includo.

(i) *Inſerere.* Malim *ingerere*, quod certe eo ſignificatu uſitatius eſt.

(k) *Conentur etc.* Repono: *conentur ingerere.* Sciunt eruditi ſaepiſſime obtinuiſſe, ut vox, quae modo praeceſſerat, repetita, a librariis perperam fuerit omiſſa.

(l) *Et * iſtebas etc.* H. habet: *et * priſtinas.* Lego: *et inficetas leges Perſarum in innocentioris naturae homines Romanā gentē.*

(m) *Infigere.* Recte H. *inficere.* Sequentia ſic corrigo: *Et quia omnia, quae pandit prudentia tua in relationem*, id eſt, in relatione *religionis illorum, genera maleficiorum, ſtatutis evidentiſſimis contraria, et exquiſita ſunt*, (quamvis et vocem poſtremam poſſis ſubintelligere) *et adinventa commenta, ideo eos damnamus, atque poenas* . . . Ante *ſtatutis* aſteriſcum omittit Heid., itemque ante *moenas*, cujus loco ſubſtituit *machinas.* Pro *illis ſtatuimus* perperam exhibet *illi ſtatuimus.* Quod de *flammeis ignibus* memorant Impp., ita de iis Lactantius *de Mort. Perſec. Cap.* 21: *dignitatem non habentibus poena ignis fuit*: *id*

tua in relationem religionis illorum, genera maleficiorum * ſtatutis evidentiſſimorum exquiſita et adinventa commenta, ideo eorum * maenas atque poenas debitas et condignas illis ſtatuimus. Jubemus namque auctores quidem ac principes una cum abominandis ſcripturis eorum ſeveriori poenae ſubjici, ita ut flammeis ignibus exurantur: conſentaneos vero, et [n] uſque ad eos contentioſos capite puniri praecipimus: et eorum bona fiſco noſtro vindicari ſancimus. Si qui ſane etiam honorati, aut cujuslibet dignitatis vel majoris perſonae ad hanc inauditam et turpem, atque per omnia infamem ſectam, vel ad doctrinam Perſarum ſe transtulerunt, eorum patrimonia fiſco noſtro adſociari facies: ipſos quoque Forenſibus, vel Proconenſibus metallis dari. Ut igitur ſtirpitus amputari* [o] malis haec nequitiae de ſaeculo beatiſſimo noſtro poſſit, devotio tua juſſis ac ſtatutis tranquillitatis noſtrae maturius [p] obſecundare *. Dat. prid Kal. April. Alexandriae.

Explicit Titulus de Mathematicis, Maleficis, et Manichaeis.

id exitii primo adverſus Chriſtianos permiſerat, datis legibus, ut poſt tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Sic legendum puto pro eo, quod in vulgatis exſtat *et exſilii.* Confer Graevium in notis. Quae ſequuntur ibidem, ita expono: *ne, areſcentibus ſiccitate faucibus, cito ſpiritus redderetur* Deo ſcilicet auctori, ne cita morte abſolverentur lento ſupplicii generi deſtinati, *quod poſtremo* hoc eſt, tandem demum *accidebat, tunc* reſcribo *tunc cum per multum diem ...*

(n) *Uſque ad eos contentioſos.* Reſcribo: *Uſque adeo omnes contentioſos.* De Phenenſibus, aut Fenenſibus metallis conſule Schulting. *h. t.*

(o) *Malis haec nequitiae.* H. edidit: *magis haec nequitia.* Lego: *immanis haec nequitia*, quo modo et correxiſſe video Fratrem *p.* 331. *In* repeto ex praecedentis vocabuli littera ultima, quae pro *in* ſaepiſſime poſita.

(p) *Obſecundare.* Plenius H. *obſecundare * procurabit.* Quid ſi ſubſtituamus? *obſecundare V* hoc eſt *velit.*

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

T I T U L U S XVI.

[a] *Incipit de Legitima Succeſſione.*

§. 1. SCRIPTURA DIVINA *ſic dicit*: Filiae Salpadae adſtantes ante Moyſem et Eleazarum, Sacerdotem et Principem, omnemque Senatum filiorum Iſraël

(a) *Incipit etc.* H. habet: *Incipit titulus XVI. de ...*

§. 1. Deſumpta haec ex Moyſis *Lib.* 4. *Cap.* 27. *Sequitur quidem* Auctor, uti obſervavit Cel. Venema, *LXX interpretes, ſed* 1. *pro* dabis iis poſſeſſionem etc. *poſuit* da-

Israël in foribus tabernaculi testimonii, dixerunt: Pater noster mortuus est, et filii non fuerunt ei, sed filiae: et ideo non deleatur nomen patris nostri de medio tribus suae: non est ei masculus: date nobis possessionem in medio fratrum patris nostri. Et obtulit Moyses petitionem earum Domino Deo. Et locutus est Dominus Moysi, dicens: Recte filiae Salpadae locutae sunt: et ideo dabitis eis possessionem hereditatis in medio fratrum patris earum. Et dicimus haec filiis Israël. Homo si decesserit, et filios non habuerit, dabitis hereditatem proximo eorum de tribu ejus: er possidebit omnia ejus. Et erit haec filiis Israël justificatio judiciorum, secundum quae constituit Dominus Moysi.

§. 2. *GAJUS Institutionum* [a] *libro III. legitimas sic ordinat successiones.* Intestatorum hereditates lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes existimantur liberi, qui in potestate morientis fuerint, veluti filius, filia, vel nepos, neptisve, pronepos, proneptisve [b] ex nepote filio nato prognatus prognatave. [c] Nec interesse naturales liberi, an adoptivi. Ita demum tamen nepos neptisve, et pronepos proneptisve suorum heredum numero sunt, si praecedens persona [d] desierit * sive alia ratione, veluti emancipatione. Nam si per idem tempus, quo quisque morietur, filius in potestate ejus sit, nepos ex eo suus heres esse non potest. Idem et in ceteris deinceps liberorum personis dictum intelligimus. Uxor quoque, quae in manu ejus est, [e] is sua heres est: quia filiae loco est: item nurus, quae in filii manu est: nam et haec neptis loco est. Sed ita demum erit sua heres, si filius, cujus in manu erit, dum pater mo-

dabitis, *et pro* dicito haec filiis Israël *iste* dicimus: *nisi culpa sit librarii, verba enim Dei sunt ad Mosem.* 2. *nonnulla omisit auctor post* dabitis hereditatem, *quae addenda erant.* Pro *non deleatur* H. exhibet *ne deleatur.*

§. 2. (a) *Libro III.* H. *libro II.* Referuntur haec in *Lib.* 2. *Tit.* 8. De plerisque tituli hujus argumentis, verborumque §. hujus lectione dixi ad Ulpianum.

(b) *Nepote filio nato.* Aut dicendum *filio* hic esse casum tertium, quemadmodum vulgari sermone effertur: *nascitur mihi filius*, aut emendandum *nepote e filio nato:* nisi malis omissam praepositionem statuere, quod infrequens non esse ostendit O. Arntzen. ad Caton. *Lib.* 3. *Dist.* 18. Ita *taeda pice*, alia. v. Vechner in *Hellen.* Adde Serv. *ad Virgil. Aen.* 10. *v.* 345. *et Aen.* 12. *v.* 182.

(c) *Nec interesse naturales.* Substituere possis: *nec interest sint naturales.* Ferri tamen posse vulgatam in praecedentibus demonstravi. Neutiquam equidem necessarium esse existumem, ut huc revocemus ea, quae copiosius de materia hac exhibentur in Institutionibus Justiniani: constat etenim ex hoc loco, aliisque centenis, sensum quidem verborum, modo fusius, modo compendiosius, non ipsa semper Caji dicta anxie secutos fuisse earum compilatores. Eandem ob rationem causam plane nullam perspicio, quam propter quis corrigenda censeat sequentia: *nam si per idem tempus* . . . quippe quae per se sunt manifestissima.

(d) *Desierit.* Fortean *desinere* verbum pro *mori* simpliciter positum fuit veteribus. Alias conjecturas proposui ad Ulpian. *Tit. XI.* §. 28.

(e) *Is sua heres est.* To *is* omisit Heid. Quid si pro *is* reponamus IT, quod *item* ex-

moritur, in poteſtate ejus non ſit. Idemque dicimus et de ea, quae in nepotis manu matrimonii cauſa ſit; quia proneptis loco eſt. Poſtumi quoque, qui, ſi vivo parente nati eſſent, in poteſtate ejus futuri forent, ſui heredes ſunt. Idem juris eſt de his, [f] quorum nomina ex lege Aelia Sentia, vel ex Senatuſconſulto poſt matrem patris cauſa probata in poteſtate ejus futuri eſſent: [g] et de eo filio, qui ex prima ſecundaque emancipatione poſt mortem patris manumittitur, intelligimus. Cum filius filiave, et ex altero filio nepotes neptesve exiſtent, pariter ad hereditatem vocantur, nec qui gradu propior eſt ulteriorem excludit: aequum enim videtur, nepotes neptesve in patris ſui locum portionemque ſuccedere. Pari ratione etſi nepos neptisve ſit ex filio, et ex nepote pronepos proneptisve, ſimul vocantur. Et quia placebat nepotes neptesve, item pronepotes proneptesve in patris ſui locum ſuccedere, [h] conveniens, non in capita, ſed in ſtirpem hereditates dividi: ut filius [i] dimidiam partem hereditatis fruat: ex altero filio duo pluresve nepotes alteram dimidiam: Item ſi ex duobus filiis nepotes extent, ex altero filio unus forte vel duo, ex altero tres aut quatuor, * [k] altera dimidiam. * *De Agnatis.* Si nullus ſit ſuorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege duodecim tabularum ad agnatos. Vocantur autem agnati, qui legitima cognatione juncti ſunt. Legitima autem cognatio haec eſt, quae per virilis ſexus perſonas conjungitur. Ita, qui eodem patre nati ſunt, fratres agnati ſibi ſunt, qui etiam conſanguinei vocantur: nec requiritur, an matrem eandem habuerint. Item patruus fratris filio, et invicem is illi agnatus eſt. Eodem numero ſunt fratres patrueles inter ſe, id eſt, qui ex duobus fratribus progenerati ſunt, quos plerique etiam conſobrinos vocant. Qua ratione, ſcilicet, etiam ad plures gradus agnationis pervenire poterimus. Non tamen omnibus ſimul agnatis dat lex duodecim tabularum hereditatem; ſed his, qui tunc, cum certum eſt, aliquem inteſtato deceſſiſſe, proximo gradu ſunt. Nec in eo jure ſucceſſio eſt. Ideoque, ſi

exponit Magno. Pluribus de vocula hac egi ad Ulpian. *Tit.* 22. §. 14.

(f) *Quorum nomina.* Lego: *qui errore matrimonii.* Videſis commentarios meos ad Ulpian. *Tit.* 7. §. *ult*

(g) *Et de eo.* Malo: *id* (hoc eſt, *idem*) *et de eo.*

(h) *Conveniens.* H. habet: *conveniens eſt.*

(i) *Dimidiam partem hereditatis fruat.* In H. proſtat: *dimidia parte hereditatis fruatur.* Praeferam equidem *ferat.* Pro *alteram dimidium* H. exhibet *altera dimidia.*

(k) *Altera dimidiam.* Malo *alteram dimidiam.* Subintellige: utrique ferent.

(l)

ſi heres proximus omiſerit, vel, ante quam hereditatem adierit, deceſſerit, ſequentibus nihil juris competit. [l] Ideo autem non mortis tempore, * certum fuerit aliquem inteſtatum deceſſiſſe, quam ſi quis teſtamento facto deceſſerit, melius eſſe viſum eſt, tunc requiri proximum, cum certum eſſe coeperit, neminem ex teſtamento heredem fore. Quod ad feminas attinet, hoc jure aliud in ipſarum hereditatibus capiendis placet, aliud in ceterorum ab his capiendis: nam et feminarum hereditates [m] proinde agnationis jure redeunt, atque maſculorum: noſtrae vero hereditates ad feminas ultra conſanguineorum gradum non pertinent. Itaque ſoror fratri, ſororive legitima heres eſt: amita vero, et fratris filia heres eſſe non poteſt. Sororis autem nobis loco eſt etiam mater, aut noverca, quae per in manum conventionem apud patrem noſtrum jus filiae conſecuta eſt. Si quis defunctus erit, ſi ſit frater, et alterius fratris filius, ſicut ex ſuperioribus intelligitur, frater potior eſt, quia gradu praecedit: [n] ſed alia * faciat juris interpretatio inter ſuos heredes. Quod ſi defuncti nullus frater exſtet, ſed ſint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet: ſed quaeſitum eſt, ſi diſpari numero ſint, forte nati ex uno unus, vel duo, et ex altero tres, aut quatuor, utrum in ſtirpes dividenda ſit hereditas, ſicut inter ſuos heredes juris eſt, an potius in capita. Jamdudum autem placuit in capita dividendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab utraque

(l) *Ideo autem non etc.* In H. ſic exſtat: *Ideo autem cur non mortis tempore certum fuerit.* Reſtituo: *Ideo autem modo mortis tempore certum fuerit aliquem inteſtatum deceſſiſſe, quoniam*, vel *quum ſi . . . . . Quum* autem, et, quod idem eſt, *cum* pro *quia* ſaepiſſime ponitur. Vid. Briſſon. *in Parerg.* §. 79. *Non* pro *modo* ſaepiſſime uſi fuerunt librarii, perperam expoſita nota. Exemplo ſit *L. 2. pr. D. Si quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. fact. non obt. Non exigimus*, ait Ulpianus, *reum judicio ſiſti, ſi negotium, propter quod judicio ſiſti promiſit, fuerit traſactum: ſed hoc ita, ſi NON prius id negotium tranſactum ſit, quam ſiſti oporteret: caeterum, ſi poſtea tranſactum eſt, exceptio doli opponi debet.* Ita exſtat in Florentino. Rectius alii libri pro *non* exhibent MODO. Conſule Petr. Fabr. *in Semeſtrib. Lib.* 1. *Cap.* 14., adde Bynkersh. *Lib.* 3. *Obſ. Cap.* 5.

(m) *Proinde.* H. *perinde. Pro* et *per* confundi notat Beſtius. *Proinde* et *perinde* millies permutari obſervarunt plurimi. Eodem modo Paulus ſupra *Tit.* 8. §. 2. *proinde tenebitur, ac ſi lege Cornelia damnatus eſſet.* Plura exempla collegit Briſſonius *in Parerg.* §. 78.

(n) *Alia faciat juris interpretatio.* Scriptum fuiſſe conjicio: *Alia fact* (ita pro *facti* poſitum olim Valerius Probus teſtatur) *al* (hoc eſt, *alia*) *juris interpretatio.* Alia, inquit Cajus, eſt facti, alia eſt juris interpretatio inter ſuos heredes. Juris interpretatio ſimul admittit fratres et fratris filios, facti vero interpretatio ſolos admittit fratres, quoniam illi gradu praecedunt.

(o)

traque parte personae, in tot portiones * [o] fuerunt. Si nullus agnatus sit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat. Qui sint autem gentiles, [p] primo Commentariorum

(o) *Fuerunt.* Ex omnibus quotquot ad hunc locum exhibuere conjecturas Commentatores, nulla videtur propior accedere litterarum ductibus, adeoque probabilior ea, quam proponit Schultingius, substituendum esse *succedunt.* Quid si ita scriptum opinemur? *quotquot erunt ab utraque parte personae agn, tot portiones f, verumt si etc.* hoc est, *quotquot erunt ab utraque parte personae agnatorum, tot portiones fiunt, vel fient. Verumtamen si.* Vocabulum *fit* per simplex F notatum fuisse Diaconus testatur.

(p) *Primo Commentariorum et ultimum est.* Rescribo: *primo Commentariorum tit. ultimo dictum est.* Exposuit Cajus Commentariorum, sive Institutionum, libro primo titulo ultimo de Curationibus, ibidemque docuit, sub Curatore esse majores aetate eversores, atque insanos: dubitari vix potest addidisse JCtum, loco admodum opportuno, in prodigis ac furiosis pecuniaque eorum legitimam potestatem fuisse adgnatorum, gentiliumque, explicuisse dein, qui sint gentiles, denique admonuisse, gentilitium jus in desuetudinem abiisse: Ea vero, cum in foro amplius usum non habere viderentur, supervacuum opinatus Anianus de re inutili curiosius pertractare, perperam omisit. Rectius omnino Imperator in §. 1. *I. de Test. Ordin.* nihil antiquitatis penitus ignorari oportere cupidae legum juventuti existimavit.

Gentilis dicitur, inquit Festus, *et ex eodem genere ortus, et is, qui simili nomine appellatur.* Proprie magis locutus fuisset Grammaticus, si dixisset *ex eadem gente:* siquidem *inter genus et gentem hoc interest, quod genus tam hominum, quam ferarum est,* (per ὑστερολογίαν interpretor: tam ferarum quam hominum) *gens ad cognationem plurimum* (malim *plurium*) *pertinet, et ab uno capite descendit: dicimus enim: gens Gallorum.* Descripta sunt haec ex Excerptis Differentiarum, quae subjecta sunt D. Gothofredi Auctoribus Latinis. Agraetius *genus* ait *familiae, gentem regionem recte dicimus.* Praeferam *familiam*, accipiamque vocabulum notione laxiore, qua universam gentem interdum significat. v. Popmam in v. *Familia.* Caeterum nimis curiose Donatus ad hoc Terent. *in Adelph. Act.* 3. *Sc.* 1. *vs.* 10.

Talem, tali genere, atque animo, natum ex tanta familia.

Genus, inquit, *jam ad viros pertinet, familia etiam ad defunctos. Alii*, addit, *genus ad nobilitatem referunt, familiam ad copias, unde et paterfamilias dicitur.* Rectius Festus: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur pater et mater familiae. Gens* secundum Isidorum Lib. 9. Cap. 2. *est multitudo, ab uno principio orta, sive ab alia natione secundum propriam collectionem distincta, ut Graeciae, Asiae: hinc gentilitas dicitur. Gens appellata propter generationem familiarum, id est, a gignendo, sic ut natio a nascendo.* Idem Lib. 9. Cap. 4. *est autem domus*, inquit, *genus familiae*, (malim *unius familiae*) *sive conjunctio viri et uxoris. Incipit autem* (*autem* interpretor *enim*, quo sensu particulam frequenter usitari notavit Brisson. in παρεργ. §. 77.) *a duobus, et est nomen Graecum, nam δώματα Graeci tecta vocant. Nam* (aut supervacuum hoc, ex anterioribus perperam repetitum, in editionibus aliis omissum, aut exponendum *caeterum*) *familia est, liberi ex liberis legibus suscepti, a femore* hoc est, ex liberis hominibus secundum leges, Juliam praesertim, et Papiam Poppaeam quaesiti, a femore appellata. *Familia autem a femore:* idem ait Cap. 5. *femur enim genus est, et stirps ostenditur. . . stirps ex longa generis significatione vocatur.* Omitto caetera, quae de generis et familiae appellatione dictis locis proponit Hispalensis. Genus, gentem, et familiam optime distinxit Julius

rum et ultimum est: et cum illic admonuerimus, gentilitium jus in desuetudinem abiisse, supervacuum est hoc quoque loco de ea re curiosius tractare.

§. 3.

lius Caesar in Laudatione Juliae, cujus hoc fragmentum servavit nobis Suetonius in ejusdem Imp. vita Cap. 6. *Amitae meae Juliae maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum est: nam ab Anco Martio sunt Martii Reges,* (reponendum esse nullus dubito: *ab Anco Martio Rege sunt Martii*) *quo nomine fuit mater, a Venere Julii, cujus gentis familia est nostra.* Neque tamen negari potest *genus* pro *gente* aliquando a scriptoribus usurpari, videsis Th. Marcil. *ad Suet. Vespas. Cap.* 4. Papinianus in *L.* 1. *D. de Probat. quoties*, ait, *quaereretur, genus vel gentem quis haberet, necne, eum probare oportet.* Expono genus, id est gentem, hoc est, oriundus sit ex eo genere, sive gente, quam allegat, adeoque gentilis sit, nec ne. Pro *eum* malo *reum*, eum puta, qui se eandem gentem habere ac gentilem esse adfirmat: incumbit enim probatio ei, qui dicit, non illi, qui negat. *L.* 2. *D. eod.* Plenius gentiles hoc modo definivit Scaevola Pontifex, sicuti refert Cicero in Topicis: *Gentiles sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt deminuti.* Apparet itaque servos a domino manumissos, etiamsi gentili ejus nomine insigniti fuerint, gentilium tamen numero non esse accensendos. Eum quoque, qui per adoptionem in alterius familiam transiit, gentilitatem ex eo amittere constat. Confer Boëtium *d. l.* Addo emancipatum a parente suo filium gentilem amplius manere non videri, propterea quia capitis deminutionem passus est, fitque adeo ex adgnato cognatus. *Gentis* et *familiae* voces, licet aliquando confundi soleant inter se, proprie tamen si loqui velimus, distinguendae sunt, vide Sigonium *ad Suet. in Aug. Cap.* 1. Gens est, veluti Tulliorum, familia est pars gentis. Ab utroque, genere scilicet et gente, distinguenda est stirps, quae est pars gentis: gens itaque stirpem comprehendit, non stirps continet gentem. Cicero de Oratore Lib. 1. Cap. 39. *Quid, qua de re inter Marcellos et Claudios patricios Centumviri judicarunt? cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii Patricii ejusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent, nonne in ea causa fuit Oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis jure dicendum?* Difficillimus visus est locus plerisque; tu vide, quae notavit P. Melanchton. Differunt etiam inter se adgnati, cognati, et gentiles. Adgnatorum nomen generale est, quo et cognati et gentiles continentur: qui enim est adgnatus meus, idem et cognatus est, et gentilis, non utique autem qui cognatus est et gentilis, idem quoque est adgnatus. In legibus XII. tabularum verba *adgnatorum gentiliumque* per separationem esse accipienda docet Paulus in *L.* 53. *pr. D. de V. S.* Nonnunquam tamen gentiles nominantur Scriptoribus antiquis, quibus idem tantummodo est nomen, exempla protulit Popma in v. *Adgnati.* Catullus in Carmine 66. ad Manlium scripto gentilem dixit pro adgnato proximo, eove ad quem pertineat defuncti hereditas,

Impia derisi gentilis gaudia tollens,

hoc est, frustratus immaturam ac vanam laetitiam sanguine conjunctorum, qui jam gratulabantur sibi de hereditate, cui improbe dudum inhiarant, ad se quasi delata. Isti, qui neglectis Christianorum sacris veterem atque avitam superstitionem sequi perseverabant, quam ob caussam *gentiles* et *ethnici* appellati fuerint, inquisivit Isidor. *Lib.* 8. *Cap.* 10. Hebraeae origini tribuendam esse vocum illarum eo significatu denominationem existimat J. Vorstius *ad Sulpic. Sev. Lib.* 2. *Cap.* 10. *Locus sepulturae gentilium veteranorum* memoratur in Inscriptione apud Reines. *p.* 533., quo loco gentiles accipiendos esse demonstrat Doctiss. Editor lectos ex Barbaris, γεντηλιους, et inter

Kk 2 Scho-

§ 3. *PAULUS* [a] *libro Sententiarum IV.*, *ſub titulo de teſtamentorum ſucceſſionibus.* Inteſtati dicuntur, qui teſtamentum facere non poſſunt: vel ipſi linum, ut inteſtati decederent, abruperunt: vel hi, quorum hereditas repudiata eſt, cujuſve conditio defecerit. [b] Sine jure Praetorio factum teſtamentum * abjecta doli expectatione obtinebit. Eorum, quorum teſtamenta rumpuntur, aut inrita fiunt, ipſo quidem jure * teſtamenti decedunt. * Inteſtatorum hereditas lege duodecim tabularum primum ſuis heredibus, deinde agnatis, et aliquando quoque gentilibus deferebatur. Sane [c] conſanguineis lex non adprehenderat * interpretatione Prudentium primum inter agnatos locum acceperunt. Sui heredes ſunt hi: primo loco filius, filia, in poteſtate patris conſtituti: nec intereſt, adoptivi ſint, an naturales, et ſecundum legem Juliam Papiamve quaeſiti, modo maneant in poteſtate. Qui ſui heredes ſunt, ipſo jure heredes etiam ignorantes conſtituuntur, ut furioſi, aut infantes, [d] et peregrinantes, quibus bonorum poſſeſſionis propter Praetoriam actionem non erat neceſſarium. In ſuis heredibus adeo [e] ad mortem teſtatoris rerum hereditariarum

Scholas Palatinas, ſeu cohortes pro palatio excubantes. Pluribus de gentilibus Barbaris, illis, qui Romanis militabant, ad Romanos tranſierant, et in leges Romanas recepti fuerant, egit J. Gothofred. ad *L. un. C. Th. de Nupt. Gentil.*

§. 3. (a) *Libro IV.* Pariter habet H. Pro *teſtamentorum* ſubſtituendum eſſe *inteſtatorum* monuit jam Schultingius. Quod pro IV. in aliis libris proſtat VII., non mirabuntur, qui intelligunt vix in ulla re frequentius peccaviſſe librarios, atque in deſcribendis numeris. Unicum hoc loco demonſtrandae rei non dubiae ſufficiat exemplum: Leucam terminari paſſibus mille quingentis certiſſimum eſt: Iſidorus vero *Libro* 15. *Cap.* 16. *leuca*, ſcribit, *finitur paſſibus quingentis*, ſi credimus editioni vulgatae. Rectius aliae, niſi quod pro leuca, nomine ignoto librariis, *leuvam* dant, *leuua finitur paſſibus mille quingentis*, quo modo reſcribendum jam conjecit S. Bochart *in Geogr. Sacr. p.* 677.

(b) *Sine jure Praetorio factum teſtamentum * abjecta doli exſpectatione obtinebit.* H. exhibet: * *objecta doli exceptione* quo modo legendum eſſe conjecerat P. Pithoeus. Repono: *Sane jure Praetorio factum teſtamentum abjecta doli objecta exceptione obtinebit.* Sequentia ſic reſtituo: *Ii vero, quorum . . . jure inteſtati decedunt.* In H. eſt: *quamvis ipſo quidem jure * teſtati decedunt, * ut inteſtatorum hereditas.*

(c) *Conſanguineis lex non adprehenderat * interpretatione.* H. habet: *Conſanſanguineos lex non adprehenderat, ſed interpretatione*, quod ſequor, niſi quod pro *ſed* per geminationem malim *at.* Confer Rygerbos *in Obſ. p.* 66.

(d) *Et peregrinantes, quibus bonorum.* Heid. repraeſentat: *aut peregrinantes, quibus jus bonorum*, quam poſtremam emendationem cum Pithoeo probo, *aut* vero pro *et* vel *etiam* reſcribi neceſſarium non videtur.

(e) *Ad mortem.* Legendum eſſe *a morte*, quo modo corrigendum propoſuit Schultingius, demonſtrant Pauli verba in *L.* 11. *D. de Lib. et Poſt.* Sui heredes etiam vivo patre domini quodammodo ſunt bonorum paternorum, v. §. *1 de her. qual. et diff.* quo de

rum dominium continuatur, ut nec tutoris auctoritas pupillo, nec furioſis curator ſit neceſſarius, niſi forte * [f] ſolvenda ſit hereditas: quamvis etiam furioſus, ſi reſipuerit, et pupillus, ſi adoleverit, abſtinere poſſint. Poſt mortem patris natus, vel ab hoſtibus reverſus, aut ex primo, ſecundove mancipio manumiſſus, cujusve erroris cauſa probata, licet non fuerint in poteſtate, ſui tamen patri heredes efficiuntur. Poſt filios, filias, ad inteſtatorum ſucceſſionem inter ſuos veniunt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, ac deinde maſculino ſexu poſt filium deſcendentes, ſi nullus parentum impedimento ipſis in avi poteſtate, vel proavi familia remanſerit: parentes enim liberis ſuis, cum quibus in poteſtate fuerunt ipſi, ordine ſucceſſionis obſiſtunt. Filii, ſi cum nepotibus ex alio filio ſuſceptis in familia retinentur, ab inteſtato ad patris ſucceſſionem cum fratris filiis vocantur: quibus in patris ſui partem venientibus, hereditas in ſtirpes, non in capita, dividitur, ita ut filius, et plures nepotes ſingulos ſemiſſes habeant. [g] Idque evenit, ſi ab eo ex duobus filiis * in patrum numero nepotes ſucceſſerint. Ex filia nepotes ſui heredes non ſunt: in avi enim materni poteſtate alienam familiam ſequentes, ipſa ratione eſſe non poſſunt. Eo tempore ſuus heres conſtituendus eſt, quo certum eſt, aliquem inteſtatum deceſſiſſe: quod ex eventu deficientis conditionis, et ortu nepotis, qui vivo avo poſt mortem patris natus, [h] iniri poteſt. Quem filius emancipatus ſuſcepit, vel adoptavit, ſui heredis locum in avi ſucceſſione, ſicut ipſe pater, obtinere non poteſt. [i] Adoptivus tamen ne quaſi cognatus bonorum poſſeſſionem

de jure ſuorum heredum elegantiſſima ſunt quae adnotavit Vir patrii juxta ac Romani juris peritiſſimus Jod. Schomaker in *Regtkund. Aanmerk. over de Ordonn. van den L. penn. Art.* 14. *Num.* 19. 20. *et* 35.

(f) *Solvenda ſit hereditas.* Rectius H. ex mente Pithoei *ſolvendo non ſit.*

(g) *Idque evenit etc.* Pithoeum ſequitur H. *idemque evenit, ſi cum eo ex duobus filiis * impari numero nepotes ſucceſſerint* Malo: *idque evenit et, ſi avo ex duobus filiis impari numero. . .*

(h) *Iniri.* Praeſtet forte *inſpici.*

(i) * *Adoptionis tamen ne.* H. remoto aſteriſco exhibet: *adoptivus tamen nec.* Notam eam, quaſi lacuna hic fiet, adpoſitam, exſulare jubebit, credo, quiſquis nexum orationis recte conſiderat. Pro *ne* ut *nec* reſcribas, neceſſarium non eſt, ſiquidem *ne* pro *ne quidem* frequentiſſime uſitari certum eſt. Vid. Ducker *ad Flor. lib.* 3. *Cap.* 17., et Marckart *in Interpr. p.* 41. *ſq.* Caeterum *ne* et *nec* in codicibus veteribus ſaepiſſime inter ſe permutari conſtat, id quod pluribus oſtendit Pater in *Reſcr. Boxb. de Cat. Cap.* 18., adde Beſt. *p.* 26.

Quod mox ſequitur *cognati virilis ſexus per virilem deſcendentes* expono: per virilem ſexum: niſi malis *per perſonam virilem*, quam elegantiſſimam conjecturam propoſuit Eruditiſſimus Mollerus *in Diſſertatione Jurid. Inaug. Cap. ult.*, quo in libello ad plurima Collationis noſtrae

fionem ejus potiri poteft. Si fui heredes non funt, ad agnatos legitima hereditas pertinebit, inter quos primum locum confanguinei obtinent. Agnati autem funt cognati virilis fexus per virilem defcendentes, ficut filius fratris, et patruus, deinceps et tota fucceffio. Inter agnatos, et cognatos hoc intereft: in agnatis enim etiam cognati continentur: inter cognatos vero agnati non comprehenduntur: et ideo patruus agnatus eft, et cognatus; avunculus autem cognatus tantummodo eft. Confanguinei funt, eodem patre nati, licet diverfis matribus, qui in poteftate fuerunt mortis tempore: adoptivus quoque frater, fi non fit emancipatus, et hi, qui poft mortem patris nati funt, vel caufam probaverunt. Soror jure confanguinitatis tam ad fratris, quam ad fororis hereditatem admittitur. Confanguineis non exiftentibus, agnatis defertur hereditas, prout quis alterum gradu praeceflerit. Quod fi plures eodem gradu confiftunt, fimul admittuntur. Si fit frater defuncti, et fratris filius, [k] et nepos * fratres et non exiftentes * filius fratris nepoti praefertur. Sed fi duorum fratrum fint liberi, non in ftirpes, fed in capita hereditas diftribuitur, fcilicet, ut pro numero [l] fingulorum * virium diftribuatur hereditas. Feminae ad

capita egregia fcripfit commentaria, quae pleraque cum jam a Fratre meo fuo quaeque loco fuerint indicata, fciens praetermittere debui. Quod de adgnatis, cognatis, reliquifque confanguinitatibus memorat Auctor, conferri velim, quae de eodem argumento differit Ifidorus *Lib.* 9. *Cap.* 6. *Agnati*, inquit, *dicti eo, quod accedant pro natis*, (forte *gnatis*) *cum defunt filii: qui ideo prius in gente agnofcuntur, qui* (rectius eft in aliis libris *quia*) *veniunt per virilis fexus perfonas: veluti frater, eodem patre natus, vel fratris filius nepos vel* (lege *nepofve*) *ex eo, item patruus, propinquitate cognationis.* (Duo verba poftrema non agnofcunt editiones aliae, ex infequentibus, credo, male huc translata.) *Cognati dicti, quia funt et ipfi propinquitate cognationis conjuncti qui inde* (forte *in jure*) *poft agnatos habentur, quia per feminini fexus perfonas veniunt: nec funt agnati, fed alias naturali jure cognati. etc.* Mendas exftantiores, quae in dicto capite apparent in editione Gothofredi, ex Bafileenfi fic emendo: *Affectu fratres dicti, qui in duo fcinduntur, fpiritale, et commune.* Pro *fpiritale* repone *fpeciale*. In his: *omnes homines ex uno patre nati patri inter nos germanitate conjungimur*, pro *patri* refcribe *pari*. In fequentibus: *foror eft, qui filiam dedit*, lege *focer*. Dein: *Socer autem et focrus, quod generum, vel numerum fibi adfociavit*, muta *nurum*. *Dictus Vitricus, quafi nutricius, quod a matre fuperducatur novus*, lege *novitricus*. *Adoptivus* autem *filius eft*, fecundum Ifidorum noftrum Lib. 9. Cap. 5., *qui aut patre jufto*, (malo *a* vel *ab*) *aut avo, aut proavo, cujus poteftate* (lego *cujus in poteftate eft*) *per mancipationem eft traditus in alienam poteftatem, quia* (in aliis libris eft *qui*, quod praeferendum) *utriufque fers nomen.*

(k) *Et nepos * fratres et non exiftentes**. In H. eft: *vel nepos * fratres non exiftentes **. Corrigo: *fi fit frater defuncti, et fratris filius, et nepos, frater, et fratre* (aut potius *eo*) *non exiftente, filius fratris nepoti praefertur.*

(l) *Singulorum* *. Recte H. *fingulorum**

ad hereditates legitimas ultra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur: id quod jure civili [m] Voconia ratione videtur effectum. Ceterum lex duodecim tabularum ſine ulla diſcrepatione ſexus [n] cognatos admittit.

§. 4. *ULPIANUS libro ſingulari, ſub titulo de legitimis hereditatibus:* Inteſtatorum gentilitiorum hereditates pertinent primum ad ſuos heredes, id eſt, liberos, qui in poteſtate ſunt, ceteroſque, qui liberorum loco ſunt. Si ſui heredes non ſint, ad conſanguineos, id eſt, fratres, et ſorores ex eodem patre. Si nec hi ſunt, ad reliquos agnatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejuſdem familiae: his enim cautum eſt lege duodecim tabularum hac: [a] SI INTESTATUS MORITUR, * CUJUS HERES NEC EST, AGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABEATUR. Si agnatus defuncti non ſit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem vocat his verbis: SI GNATUS NESCIT GENTILES FAMILIAM HERES HANC. Nec gentilitia jura in uſu ſunt.

§. 5. [a] *Item ab inteſtato Inſtitutionum.* Ab inteſtato quoque hereditas defertur, aut per jus civile, aut per Praetoris beneficium. Per jus civile ſuis heredibus, [b] vel liberis, qui in poteſtate fuerunt, [c] filii, filiae, et deinceps qui in locum defuncti parentis, [d] qui ex eodem nati ſunt, ſuccedunt. §. 6.

*rum * viritim*, niſi quod aſteriſcus locum non habeat.

(m) *Voconia ratione.* H. *Voconia * rogatione* ex Pithoeo. Vid. Schulting. *ad Pauli Sent. Lib.* 4. *Tit.* 8. §. 22, ubi exſtat *Voconiana ratione.* Quid ſi pro *conſanguineas ſucceſſiones*, quae lectio offendit plurimos, ſubſtituamus *conſanguinear* hoc eſt, conſanguinearum *ſucceſſiones?* Interpretationem Aniani ad §. 22. *c.* non bene cohaerere queritur Schulting., optimum, niſi fallor, reſtitues ſenſum, ubi pro *quia nec cognati maſculi . . . vocantur* reponas *quin nec. . .*

(n) *Cognatos.* Forte *c o agnatos* hoc eſt, *cujuſque ordinis agnatos*, intellige ſucceſſionem totam.

§. 4. *SI INTESTATUS etc.* Aſteriſcum poſt *moritur* omiſit Heid. Reſcribo: *Si inteſtatus moritur, cui ſuus heres non* (vel *nec*) *eſt*; (vel *eſcit*) *adgnatus proximus familiam habeat. At vero*, (vel *verum*,) *ſi adgnatus . . . Si adgnatus nec eſcit, gentilis familiam heres nancitor. Nc nec* hoc eſt, *nunc nec.* Aut potius: *heres ha nc:* expono: *heres habeto. Nunc.* Videſis dicta noſtra ad Ulpiani *Tit.* 26. §. 1. quo loco et hoc addidimus, praeferendam nobis videri lectionem codicum, qui pro *gentilitiorum* in initio hujus §. exhibent *ingenuorum.* Vulgatiſſimum eſt *gentilitia nomina* appellari, vid. Sueton. *in Claudio. Cap.* 25., *gentilitias hereditates*, v. Idem *in Caeſ. Cap.* 1. gentilitia funera, jura, ſacra, not 1. Gentilitios pro gentiles dixiſſe Juriſconſultos, non memini me legere. In fine §. de gentilibus ac gentilitiis juribus mentionem fieri cognoſcentem aliquem margini libri ſui adſcripſiſſe ſuſpicor *gentilitiorum* vocabulum, indeque eveniſſe, ut omiſſo *ingenuorum* nomine ſubſtitutum fuerit *gentilitiorum.*

§. 5. (a) *Item etc.* Lego: *Idem de ſucceſſionibus ab inteſtato lib. Inſtitutionum.*

(b) *Vel.* Expono *veluti*, vel *id eſt.*

(c) *Filii. Filio.*

(d) *Qui ex eodem.* Malo: *quicunque ex eodem*, intellige nepotes, ceteroſque deſcen-

§. 6. *Item eodem libro.* Poſt ſuos ab inteſtato legitimi admittuntur, primum conſanguinei: ii ſunt fratres, et ſoror, qui in ejuſdem poteſtate patris fuerunt, et ſi ex diverſis matribus nati ſunt. Conſanguineos et adoptio facit, et adrogatio, cauſae probatio, et in [a] manu conventio.

§. 7. *Item eodem libro:* * [a] Et conſanguineis legitimi vocantur. Hi ſunt agnati, qui nos per patris cognationem contingunt, virilis ſexus: nam ſciendum, feminis ultra conſanguineas hereditates legitimas non deferri. Suis Praetor ſolet emancipatos liberos, itemque civitate donatos conjungere, data bonorum poſſeſſione: ſic tamen, ut bona, ſi quae propria habent, his, qui in poteſtate manſerunt, conferant: nam aequiſſimum putavit, neque eos bonis paternis carere, per hoc, quia non ſunt in poteſtate: neque praecipua bona propria habere, cum partem ſint ablaturi ſuis heredibus.

§. 8. *Item libro qui ſupra*, [a] *de ſuis heredibus:* Poſt conſanguineos Praetor vocat cognatos. Cognati autem ſunt, qui nos per patrem, aut matrem contingunt. Poſt cognatos virum et uxorem. Et haec, ſi, qui deceſſit, non fuit libertinus, vel ſtirpis libertinae. Ceterum ſi libertinus eſt, vel libertina, ad patronum ejus legitima hereditas, patronamve, lege duodecim tabularum refertur.

§. 9.

ſcendentes. Confer §. 2. *I. de her. quae ab int. def.* Poſſis etiam legere: *qui quaſi ex eodem*, ſcilicet avo, vel proavo ſuo *nati ſunt.*

§. 6. (a) *Ex diverſis matribus nati.* Ex iiſdem matribus nati *Germani* dicti veteribus. Servius ad Virgil. Aen. 5. v. 412: *Germanus eſt, ſecundum Varronem in libris de gradibus, de eadem genitrice manans, non, ut multi dicunt, de eodem germine, quos ille tantum fratres vocat.* Fratres ergo tantum dicuntur qui ſunt de eodem germine: *germen eſt*, teſte Feſto, *quod ex arborum ſurculis naſcitur: unde et germani, quaſi eadem ſtirpe geniti.* Iſidorus *Lib.* 17. *Cap.* 6. appellat *ſurculum praegnantem, a gerendo, unde et germinatio.* Malim *a genendo*, dictum enim videtur quaſi *genimen.* Emendandum cenſet Pithoeus in Servii loco: *manens, ut multi dicunt de eodem germine, quos illi tantum fratres vocant*, quam ſententiam quo minus approbem, facit Iſidorus, qui pro more Servii commentaria deſcripſiſſe videtur: ita ille Lib. 6. Cap. 6: *Fratres dicti, eo quod ſint ex eodem fructu, id eſt, ex eodem ſemine nati. Germani vero, de eadem genitrice manantes: non, ut multi dicunt, de eodem germine, qui tantum fratres vocantur. Ergo fratres ex eodem fructu, germani ex eadem genitrice manantes.* Ibidem *Germana*, inquit, *ita intelligitur ut germanus, eadem genitrice manans.* Cornelius Fronto *germanus*, ait, *ex iiſdem parentibus ſit neceſſe eſt.* Confer Popmam in v. *Fratres.*

(b) *Manu.* Perinde eſt utrum hic retineas *manu*, an ex H. praeferas *manum*, itemque utrum *poteſtate* retineas, an *poteſtatem* malis ex Leidenſi editione. Similiter Iſidorus *Lib.* 9. *Cap.* 4. *municipales*, ait, *originales cives, et in locum officium gerentes*, ubi tamen aliae edd. referunt *in loco.*

§. 7. (a) *Et conſanguineis.* Recte H. *ex conſanguineis*, hoceſt, poſt eos.

§. 8. (a) *De ſuis heredibus.* Forte: *Tit. de ſuis heredibus.* Pro *et haec* H. dat *et hoc.*

§. 9.

§. 9. *Item eodem libro:* Post familiam patroni vocat Praetor patronum, et patronam: item liberos, et parentes patroni, et patronae: deinde virum, et uxorem; mox cognatos patroni, et patronae. Quod si is, qui decessit, liber fuit [a] ex remancipatione manumissus, lex quidem duodecim tabularum manumissori legitimam hereditatem detulit: sed Praetor aequitate motus decem personas cognatorum ei praetulit has, patrem, matrem, filium, filiam, avum, aviam, nepotem, neptem, fratrem, sororem; ne quis occasione juris, sanguinis necessitudinem vinceret. Sed Imperator noster in hereditatibus, quae ab intestato deferuntur, eas solas voluit admitti, quibus [b] decimae immunitatem ipse tribuit.

(a) *Ex remancipatione manumissus.* Nil muto. Pater, nisi post mancipationem a se factam filius sibi remanciparetur a patre fiduciario, filium non recipiebat in potestatem, adeoque manumittere eum non poterat: remancipatum vero si manumitteret, ut patronus ex lege XII. tabularum filio succedebat. Sed et amplius Praetor aequitatis custos prospexit patri: siquidem is eo casu, si ab extraneo manumissus foret filius, decem personas praetulit patrono seu manumissori.

(b) *Decimae.* De vicesimis hereditatum, pro quibus decimas substituit Caracalla, aut potius lege Julia vicesimaria, ubere, atque, pro more suo, eruditissime egerunt Vir summus P. Burmannus *de Vectigal. P. R. Cap. XI.* et Cl. Wieling in *Lect. Jur. Civ. Lib. 2. Cap. 32.*, Confer omnino JCtum celeberrimum J. Schomaker. *l. c. Art. 25. Num. 5. et 6.* Immunis autem a vigesimae tributo fuit hereditas pauper, hoc est, parva et exilis. Hoc modo accipienda credo Isidori verba *Lib. 9. Cap. V. Haeredis nomen*, inquit, *imposuit census aeris: solvit enim tributum auctoris*, repono *auctioris*, hoc est, locupletioris, amplioris, subintelligo *aeris*, vel *hereditatis.* Memorabilis est inscriptio statuae, quam exhibet Muratorius *Tom. I. Pag. XV. Num. 1.*, quam Junoni Augustae heredem suum ponere jussit testator:

I. AUG
L. CALPURNIUS. QVIR
VICTOR. CARTAMITAN
STATUAM. TESTAM. PONI. IUSSIT
HUIC. DONO. HERES. XX
NON. DEDUXIT. EPULO
D. D.

Litteras ultimas expono *dato dedicavit*, ut est in inscriptione ibidem memorata *Num. 7.* Hoc primum docemur ex proposita inscriptione, non a legatariis exegisse Procuratores Caesaris tributi hujus solutionem, sed ab herede, quippe a quo praestanda sunt legata, heredemque deducere solitum fuisse vigesimam aerario publico persolvendam ex hereditate, debitisque adeo hereditatis accenseri eam consuevisse: tum deinde neque ipsa Diis relicta legata tributi hujus fuisse immunia. Quod sane mirum non videbitur cogitantibus, liberalitates in Deos non usquequaque probatos fuisse a Romani juris conditoribus. Dion Cassius refert *Lib. 55. pag. 549.* honoratos fuisse Deos jure trium liberorum, ut heredes instituere eos liceret. Quos Deos heredes scribere licuerit Romae, inquisivimus ad Ulpian. *Tit. 22. §. 6.* Confer inscriptionem statuae apud Gruter. *pag. CI. num. 2.* in qua: *heredes sine ulla deductione XX. P.* hoc est *vigesimae posuerunt.*

Finis Collationis Legum Mosaicarum et Romanarum.

INDEX TITULORUM

COLLATIONIS LEG. MOSAICAR. ET ROMANARUM.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
IN CONTEXTUM
COLLATIONIS LEGUM MOSAIC. ET ROMANARUM.

Numerus primus Titulum, secundus Paragraphum designat.

A.

Ap-

Co-

De-

Ho-

In-

Iste-

K.

L.

N.

O.

Pau-

Re-

Tel-

JOANNIS CANNEGIETERI

DISQUISITIO

DE

NOTIS ET SIGLIS,

EARUMQUE USU FREQUENTISSIMO IN FRAGMENTIS ANTIQUIS, PRAECIPUE JURISCONSULTORUM:

In qua Plurima veterum juris, Aliorumque auctorum loca Difficiliora, corruptave, harum ope enodantur, aut corriguntur.

FAVORINUS Philoſophus, et SEXTUS CAECILIUS Juriſconſultus, apud Gellium Noct. Attic. Lib. XX. Cap. I.

„ Quaedam eſſe . . . animadvertuntur aut obſcuriſſima, . . .
„ aut nequaquam ita, ut ſcriptum eſt, conſiſtentia. Obſcurita-
„ tes . . . non adſignemus culpae ſcribentium, ſed inſcientiae
„ non adſequentium: quanquam hi quoque ipſi, qui quae ſcripta
„ ſunt minis percipiunt, culpa vacant, non longa aetas verba, at-
„ que mores veteres oblitteravit, quibus verbis, moribusque ſen-
„ tentia legum comprehenſa eſt.

JOANNIS CANNEGIETERI
DISQUISITIO
DE
NOTIS ET SIGLIS.

Quandoquidem saepissime in iis, quae supra proposuimus, usu venit, ut in emaculandis Jurisconsultorum veterum scriptis Notarum remedium visum fuerit esse adhibendum, imo vero utramque nobis paginam faciat genus illud emendationis, faciendum existimo, ut, quid hac de re statuendum adpareat, penitius investigem, ita tamen in eo versaturus, ut, quae copiosissime dici possunt, breviter tantummodo perstringam.

Paulus *Nota* inquit *nunc significat signum, ut in pecoribus, nunc litteras singulas, aut binas.* Idem tradit Festus. Servius *ad Virg. Aen.* 3. *v.* 444. *notas litterarum* explicat, *ut per unam litteram significet* (malo *significetur*) *aliquid. Notae autem dictae sunt*, verba audis Petri Diaconi, *eo, quod verba in syllabas* (lego *item syllabas*) *praefixis characteribus notant, ut ad notitiam legentium revocarent, quas didicerunt:* (malim *res revocarent*, aut *quae didicerunt:* hoc si optes, *discere* explica audire) *quas qui scribunt, proprie jam Notarii appellantur.* Isidorus, compilator, *Orig. Lib. I. Cap.* 21. sic expressit: *Notae autem dictae, eo quod verba, vel syllabas, praefixis characteribus notent, et ad notitiam legentium revocent, quas qui didicerunt proprie jam Notarii appellantur.* Locum mutilum ex Diacono facile suppleas. De Notariis illis pluribus egit L. Pignorius *de Servis p.* 218. *sq.*, ex professo singulari dissertatione *de Notariis* pertractavit J. W. de Goebel. De scriptione notaria, quae *notoria* quoque dicuntur, vide Cujac. *in Obs. Lib.* 3. *Cap.* 3, et *Lib.* 1. *Cap.* 33, et Turneb. *Advers. Lib.* 15. *Cap* 20. Notae alio nomine dictae sunt *sigla*, quasi *singula*, et *siglae*, quasi *sigillae*, secundum Vossium *in Art. Grammat. Lib.* 1. *Cap.* 41., aut potius *singulae*, quoniam singulae litterae certa vocabula comprehendunt: *singularias litteras sine coagmento syllabarum* appellat Gellius *Lib.* 17. *Cap.* 10. Eadem quoque *signa* vocabantur: hinc Hieronymus in Julianum: *linguae celeritatem prenderent signa verborum.* Idem in *Epist.* 140 ad Principiam: *quodam signorum compendio breviatum Euangelii strictumque sermonem exaravit.* Quae propter causam non video, quod cum Grotio *in Flor. spars.* in *Constit.* Justi-

niani *de emendat. Codicis.* § 5. pro *signorum* reponendum esse arbitremur *siglorum*. *Singula*, vel potius per syncopen *singla*, dici puto in *L.* 1. *C. de Veteri jure enucleando* §. 13, ubi vitiose legitur: *per simplorum captiones*, pro quo Cl. Hofman *in Meletem.* corrigit *symbolorum*. Confer Cujac. *in Obs. Lib.* 12. *Cap. ult.* Graeci σημεια nominant. A siglis Gallos *sifras* suas dixisse, putat Cujac. *Lib.* 3. *Obs.* 3. A siglis, seu singulis, *singularii* appellantur, qui siglis scribunt, vid. Idem *Lib.* 12. *Cap. ult.*

Proprie tamen si loqui amamus, distant omnino notae a siglis, in eo unice convenientes, quod plura contractius proponunt: siquidem notae non sunt litterae, sed signa potius, aut figurae, quibus verbum unum, imo plura etiam aliquando vocabula notabantur. Hinc Pedius notas litteras esse negavit. v. *L.* 6. *in f. D. de bonor. poss.* confer. *L.* 40. *pr. D. de testam. mil.* Hujus generis sunt eae, quae Tironis, qui Ciceronis libertus fuit, et Annaei Senecae nominibus circumferuntur, quas ad calcem Thesauri sui Inscriptionum exhibet Janus Gruterus. Notis ejusmodi, aut dicas potius compendiosis aenigmatis, integros olim libros exaratos fuisse, testantur αυτοπται. Narrat Vossius *l. c.* ex Trithemio, vidisse eum in bibliotheca Argentinensi psalterium Davidis hoc modo perscriptum, cui volumini ab notarum ignaro inscriptum fuerat: *Psalterium in Armenica lingua:* quod opusculum exornare cum maxime bibliothecam Augustam, quae Guelpherbyti est, refert J. W. de Goebel in tractatu *de Notariis*, qui insertus est D. E. Baringii *Clavi diplomaticae p.* 198. De Curtii historiarum parte posteriore ita signata memorat Gruterus *l. c.* De notis his consule Epist. Vir. Illustr. a Cel. Burmanno editas, *Tom.* 2. *p.* 128. *et* 343. Siglae vero proprie sunt litterae singulariae, veluti C. T., quas *certum tempus* significare Magno docet. Plura differentiae hujus exempla attulit, et latius de eodem disseruit Cujacius *l. c.*, adde Mercerum in *Thes. Jur. Otton. Tom.* 3. *p.* 24. ibique Reinoldum, nec non Vossium *d. l.*, quibus adjungo H. Brencmannum *in Histor. Pand. Lib.* 2. *Cap.* 3., qui et amplius distinguit a notis et siglis ea scribendi compendia, quas *abbreviationes* vocare solemus, itemque *monogrammata*, et *contignationes*. Distinguendi causa ita proponi potest: quod si tamen verum velimus confiteri, omnia haec et olim quoque inter se confusa fuisse constat, ac, quicquid eorum fuit, *siglarum* et *notarum* nominibus fuisse comprehensum.

Notarum originem et antiquitatem sic exponit Diaconus: *Nunc quas* (lego *quis*) *primus notas instituit scribamus: vulgares notas habemus*, (suppleo: *quas habemus*, *Ennius*) *primus mille et centum invenit*, *ad hunc scilicet usum*, *ut*, *quicquid per contemptionem praesentium* (rescribo *per contentionem* hoc est, celerem orationem, *recitantium*) *diceretur*, *librarii scriberent complures*, *simul adstantes*, *diversis* (repono *divisis*) *inter se partibus*, *quot quisque verba*, *et quo ordine exciperet*. *Dehinc Tullius Tiro*, *Ciceronis libertus*, *notas praepositionum commentatus est*. *Post hunc Philargius* (alii libri exhibent *Philargyrus*) *Samius*, *et aliqui* (emendo: *et Aquila*, subintelligo autem ex praecedentibus *libertus*) *Moecenatis alias addiderunt*. *Deinde Lucius Annaeus Seneca contractas* (malo *contractar*, id est, *contractarum*, puta notarum) *omnium digesto et aucto numero opus*.

opus in quinque millia extendit. Iisdem poene verbis Iſidorus *Lib.* 1. *Cap.* 21., ex quo haec, uti pleraque caetera praefationis ſuae, mutuatus videtur Diaconus noſter. Adponam locum, ut demonſtrem probabilem propoſitarum lectionum rationem, tum, ut reſtituam depravatam Iſidori ſcripturam. Sic edidit D. Gothoſredus: *Vulgares notas Ennius primus mille et centum invenit. Notarum uſus erat, ut quicquid pro concione, vel contentione, aut in judiciis diceretur*, (in aliis eſt: *quicquid per contentionem, aut in jud.* Praeferam: *pro concione, per contentionem, aut in jud.*) *librarii ſcriberent complures, ſimul adſtantes, diviſis inter ſe partibus, quot quisque verba, et quo ordine exciperet. Romae primus Tullius Tyro, Ciceronis libertus, commentatus eſt notas, ſed tantum praepoſitionum. Poſt eum tertius Perſannius* (in MS°. quodam eſt *iuper Sannius*, ſcriptum ſuiſſe conjicio *III. p.* vel *pat Samius*, explico *tertius, patria Samius*) *Philargius* (in aliis editionibus exſtat *Pylargyrus*) *et Aquila, libertus Moecenatis, alius alias addiderunt.* (eaedem *alius* omiſerunt.) *Deinde Seneca contracto* (malo *contractorum*) *omnium digeſtoque et aucto numero*, (praeſtet forte: *digeſto quidem*...) *opus effecit in quinque millia.* Verbum *effecit* pro *extendit* poſitum dandum puto ſtilo Iſidori. Ex iisdem editionibus ſic corrige initialia *Cap.* 22. *ſeq.*: *Quaedam autem litterae in libris juris verborum ſuorum notae ſunt, quo ſcriptio celeris breviorque fiat.* Gothoſredus evulgavit; *Celebris brevior fiat.*

Siglas veterum qui tradiderunt exſtant haud pauci: recenſet eos Fabritius in *Bibl. Lat. Lib.* 4. *Cap.* 6. Nobis memoraſſe ſufficiat Triumviros notiſſimos, Valerium Probum dico, qui elegantiſſimum commentarium conſcripſit *de Notis Romanorum*, quem Auctorem Neronem imperantem vidiſſe cenſet Fabritius, Voſſius, Adriani Caeſaris aetate eum floruiſſe, exiſtimat *l. c. Cap.* 40. Iniquior in virum probum videtur Reinoldi *in Variis Cap.* 11., qui ab alio ſiglas illas in publicum emiſſas conjicit, qui poſt Septimii Severi tempora aetatem degit, mentitusque Valerii Probi nomen, eas propoſuit. Facili, niſi fallor, negotio litem hanc poſſis componere. Libellum, quem dixi, ejusdem eſſe puto Valerii Probi, quem Neronis Imp. aevo vixiſſe ex Euſebio conſtat, idem tamen nonnulla ab aliis, Chriſtianorum ſacris addictis, addita, atque interſerta fuiſſe arbitror, id quod plurimis aliorum Scriptorum commentariis accidiſſe, dudum demonſtrarunt Eruditi: idem factum in notis Tironis et Senecae, dubium non eſt. Probi hujus opuſculum noviſſime ex MSS. vetuſtiſſimis edidit, et notis illuſtravit H. Ernſtius, adjecit quoque commentarios F. Lindenbrogii, ſeu Tiliobrogae. Inſeruit hunc Theſauro ſuo Vir Ampl. G. Meerman *Tom.* 1. *p.* 87.

Succedat Magno, an Mango, qui de σημείοις juris civilis elegantem emiſit libellum, quem Carolo Magno Imperatori dicavit, quo de pluribus Fabritius *l. c.*

Denique Petrus Diaconus ad Conradum primum, Imp. Romanum, ſat amplum commentarium ſcripſit de notis litterarum more Romano. Multis quoque de notis egit Iſidorus in Orig. *Lib.* 1. *Cap.* 20. *ſq.*, qui tamen pleraque deſcripſit pro more ex aliis.

Geminationes litterarum, aut vocum, quid quaeſo ſunt aliud, quam ſcribendi quoddam compendium, quo littera una pluresve, imo et integra ali-

quando vocabula semel scripta geminanda atque iteranda proponuntur? In ipso corpore Florentino plurima superesse hujus notarum speciei exempla, nullus ignorat. Tantum tribuerunt nonnulli corrigendi per geminationes arti, ut poene quaevis loca corrupta hoc remedio restitui posse sibi persuaserint: solos nomino Cl. Best et Eruditiss. Hofman *in Meletematibus ad D.*, quos tamen plus justo dedisse huic emendandi generi, nemo quisquam temere dubitet. Geminationes admitti oportere, unusquisque agnoscat, necesse est: *domini* pro *dominii*, *Juli* pro *Julii* exstare in *Collatione Leg. Mos. et Rom.*, alia plurima reliqua esse in Digestis, atque alibi, vestigia earum certissima, quis ambigat? Ipsi plus semel capita Auctorum veterum difficiliora exponere hac ope tentavimus. Quod autem majusculis litteris exhiberi talia in editionibus nostris conspicimus, non id a Scriptoribus profectum esse, sed commentum hoc esse posterioris aetatis, dudum demonstratum est. Mediocriter tamen in his agendum esse arbitror, et id studendum praecipue, quod in omni re apprime est utile, ut ne quis nimis. Geminationum rationem et abusum docuit Bynkershoeck *Obs. Lib.* 4. *Cap.* 20. Multis de eodem disputavit Fornerius *Rer. Quot. Lib.* 1. *Cap.* 1., aliique sexcenti. Antiquos non duplicasse litteras, sed sicilicos supra apposuisse constat ex Isidoro *Orig. Lib.* 1. *Cap.* 26 *in f.* Confer Festum in *Aboloes*, *Aulas*, *Torum.* Adde auctores allegatos ab C. H. Eckhardo in *Hermeneut. Jur. p.* 36. *sq.* et *p.* 41. *sq.*

Quid memorem inscriptiones antiquas, lapidi, marmori, aeri incisas? quas qui vel fugitivo oculo semel inspexerit, scatere pleraque siglis ignorare non potest. Consule de iis Fabritium *Lib.* 4. *Cap.* 5. Gruterus in indicis, corpori suo Inscriptionum submissi, singulari capite notas, litterasque singulares, vocesque abbreviatas interpretatus est, *Cap.* 20.

Quid dicam codices vetustos? Noverunt illi, qui aliquando eos cognoverunt, plenos esse siglis. Exemplo sit, ut unum tantum adlegem, liber ille Wurcenbergensis, in archivo ecclesiae Cathedralis servatus, qui Theodosianum Codicem exhibet, quem totum quantum plenum esse abbreviationibus, testatur Cl. Ritter *in Praefat. Cod. Theod. Tom.* 1. Siglarum ejusmodi etiam nunc supersunt quam clarissima vestigia in Collatione legum Mosaicarum et Romanarum. K. N., pro *Carissime nobis Tit.* 1. §. 10. *Vel res*, pro *velim rescribas.* §. 11. V.C., pro *Vir Clarissimus*, alia.

Novimus, post evulgatos a Cnaeo Flavio fastos pontificios, novas subinde formulas excogitasse Jurisconsultos: eas autem, ne in vulgus manarent, occultioribus quibusdam notis consignasse Prudentes crediderunt nonnulli, permoti dicto Ciceronis *pro Muraena Cap.* 11. *Irati Jurisconsulti, ne dierum ratione pervulgata* (malim *provulgata*) *et cognita, sine sua ope posset lege agi*, NOTAS *quasdam composuerunt; ut ipsi omnibus in rebus interessent.* Vid. Cl. Heinecc. *in Antiq. Jur. in prooem.* §. 7. *sq.* Manilius, qui Theodosium M. imperantem vidit, itat canit de Icto:.

Hic etiam legum tabulas, et condita jura
Noverit, atque NOTIS *levibus pendentia verba.*

intel-

intellige formulas actionum notis perscriptas. Easdem accipiendas esse in dicto Ciceronis loco existimat Ritter *in notis ad Heineccii Histor. Jur. Lib.* 1. *Cap.* 2. §. 48, Sed jam ante formulas habuerunt ICti, easque evulgatas fuisse, prodit Orator. Eximes scrupulum, si reposueris *novas*.

Compendiosam hanc scribendi rationem, quae adeo vulgaris fuit Romae, ut vel in testamentis notas etiam usurparint, vid. Sueton. *in Galba Cap.* 5., id quod tamen postea vetitum fuisse, demonstrat Cujacius *Lib.* 3. *Obs. Cap.* 3., variis erroribus causam praebuisse quis dubitet? Jam ab antiquissimis inde temporibus conquesti de eo fuere quamplurimi, vid. Rad. Forner. *Rer. Quotid. Lib.* 3. *Cap.* 2. Cicero *ad Atticum Lib.* 13. *Ep.* 32. *quod ad te* ait *de decem legatis scripsi, parum intellexti, credo, quia* δια σημειων *scripseram.* Movit haec causa Justinianum, ut sanciendum duxerit in Constitutione *de conceptione Digestorum*, quae est *lex* 1. *C. de Veteri jure enucl. Ne autem per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio, jubemus, non per singlorum* (ita legendum videri dixi antea) *captiones, et compendiosa aenigmata, quae multas per se, et per suum vitium antinomias induxerunt, ejusdem Codicis textum conscribi, etiam si numerus librorum significatur, aut aliud quidquam: nec enim per specialia sigla numerorum manifestari, sed per litterarum consequentiam explanari concedimus.* Confer *L.* 2. §. 22. *C. eod.* et Constitutionem *de emendat. Cod.* §. 5. Idem in Graecis observari jussit Basilius Imp.

Cave tamen, in eam descendas opinionem, frustra idcirco collocari operam in explanandis per notarum subsidium illis voluminibus, quae per litterarum consequentiam conscribi voluit Imperator. Quod si ipso, quod a Triboniano, ejusque adjutoribus sociis est compositum, αυτογραφω uti liceret, ne tum quidem inutilem hac in re laborem impendi statui deberet, quum ipsos juris civilis architectos, quos dixi, in aenigmatis his resolvendis lapsos nonnunquam fuisse fiat probabile. Verum edacis injuria temporis factum dolemus, ut non modo ipsum exemplar authenticum desideretur, sed et frustra quaeratur talis codex, qui Justiniani aevum propius attingat, nihilque ad nostra transmissum sit tempora, nisi quod postea demum, ubi eviluerat dudum Justiniani illa, quam supra memoravi, sanctio, descriptum fuit, eo aevo, quo siglae vulgo etiam in juris libris adhiberi denuo consueverunt.

Do omnium optimum, fortasse et antiquissimum esse Codicem Pisanum: non eum tamen esse librum illum persuasum est, qui Justiniani mandato confectus est, aut copiam ejus primam secundamve, quod tamen ut crederent, abripuit nonnullos nimia ac vesana voluminis laudatissimi veneratio. Cui aetati thesaurus ille Florentinus sit adscribendus, in incerto est, neque certius puto, verumne sit, quod censent plurimi, omnes, quotquot ubique circumferuntur, antiquos juris codices hoc quasi ex fonte promanasse, exque eo uno descriptos fuisse, vid. Heinecc. in *Praefat. praemissa Obs. Bynkersboeckii*: Imo vero contra statuentium probabilior omnino videtur opinio. Verum enimvero nolo equidem hanc litem meam facere: taedet cramben millies coctam reponere. In utramque partem disputatum saepissime a Viris eruditioribus,

Brencmanno, Schwartzio, aliisque, confer Schulting. *ad* Πρ. *D. Num.* 13., et Cel. Rucker. *in Praef.*, adde Steckium *in Praef. Vindicationum*, *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *p.* 504. Cl. Wieling *in Praefat. Lect. Jur. Civ.* et Eckhard. *in Herm.* §. 68. *sqq.* Demonstrasse mihi in praesenti sufficit, volumen illud Amalphitanum notas haud paucas continere, intelligo quaecunque litterarum compendia, quo de quam manifestissime constat ex testimonio eorum, quibus copia ejus facta fuit, qui ipsi multas in eo siglas dissimulare non sustinuerunt. Consule Brencmannum Lib. 2. Cap. 3.

Ostendimus, ni fallor, ac quam luculentissime probavimus, siglas olim vulgatissimas fuisse. Varium earum usum, si pertinaciter dubites, demonstrat Valerius Probus in Prooemio. Demonstravimus deinde, Jurisconsultis praesertim proprias quasi ac solennes eas fuisse. Vidimus denique, ac certo constat, nullos, aut saltem paucissimos, ad nos transmissos esse juris commentarios, qui non antiquissimum illum scribendi morem repraesentant, ac certissimis argumentis indicant, plurima exinde vitia atque errores prosiluisse. Summo itaque jure fecit Brencmannus, qui libro suo *Fontes mendorum* inscripto hoc prae caeteris caput constituit: *de scribendi compendiis et monogrammatibus*. Vid. G. C. Gebauer in *Narratione de H. Brenkmanno*. Latius hanc omnem materiam persecuti sunt plurimi. Adjunge sis iis, quos in praecedentibus nominavi, Virum Eximium, Curiae patriae quondam Cancellarium, Elb. Leoninum *in Emendat. Lib.* 4. *Cap.* 12., quo loco varia, quae veteribus in usu fuere, notarum genera multis percenset, nec non Forster. *in Obs. in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *p.* 924. et Forner. *Rer. Quotid. Lib.* 3. *Cap.* 2 *sq.* Confer. Obs. Miscell. Amstel. *Vol.* 3. *p.* 129., nec non Epist. Vir. Ill. *Vol.* 1. *p.* 7. Adde C. A. Heumann. in *Consp. Reip. litt. Cap.* 3. *Num.* 10. *sq.* et D. G. Morhof. *in Polyhist. Tom.* 1. *Lib.* 4. *Cap.* 2. *Num.* 3. *sq.* atque in primis Eruditissimi Eckhardi *Hermen. Jur. p.* 34. *sqq.* Ex professo hanc rem pertractarunt Joannes Baptista Porta in libro *de occultis litterarum notis*, et Jo. Nicolai *de Siglis Veterum*, nec non H. Hugo *de prima scribendi origine*, cui adjunge commentarios amplissimos Viri Cel. C. H. Trotz. *Cap.* 18. *sq.*, ac praesertim Sertorius Ursatus in libro *de Notis Romanorum*, quem Thesauro suo Antiq. Rom. inseruit Graevius *Tom XI.* Omnium industriam vicit, tam veterum, quam recentiorum scriptorum, Jo. Lud. Waltherus, qui notas atque abbreviationes syllabarum et vocum, quaecunque in diplomatibus et codicibus vetustioribus apparent, a saeculo inde VIII. ad XVI. usque, improbo labore, instituto utilissimo ac laudabili, curaque singulari collectas exposuit in *lexico diplomatico*, cui egregio operi praefationem praemisit Jo. Henr. Jungius, qua notarum originem, antiquitatem, et frequentiam, itemque errorum inde enatorum copiam innumeram, denique studii hujus summam utilitatem, auctores tandem, qui artem hanc tradiderunt, ubere proposuit, atque egregie demonstravit. Postremo Dan. Eberh. Baringius in *Clavi Diplomatica* specimina dedit scripturarum veterum, alphabeta nimirum varia, medii aevi compendia scribendi, notariorum antiquorum signa perplura, aliaque, addidit quoque bibliothecam scriptorum rei diplomaticae. His in duobus

bus operibus quidquid ad artem notariam pertinet eruditissime deprehendes elaboratum, ac fere omni parte absolutum. De Graecorum notis singulari libello pertractavit Ed. Corsinus.

Haec cum ita sint, uti sunt certe verissima, dubitari neutiquam potest, utilissimam ac laudandam operam praestare jurisprudentiae illos, qui notarum ope juris locos corruptos restituere allaborant: siquidem in omni arte critica nulla est probabilior, ac dixerim poene certior emendandi via, quam per siglarum explanationem.

Quod tamen in negotiis quibuscunque reliquis usu venit, in his in primis

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Jure itaque et merito suo vapulant isti, qui temere in his progressi, ex suo ingenio fingunt notas ipsis fortasse Romanis incognitas: quorum perversos mores increpat Wieling *l. c.* et Ampl. Bynkersh. *Lib.* 1. *Obs. Cap.* 23., *et alibi.*

Quis autem modus in hac re sit adhibendus, investigavit Cl. Best *de Rat. Emend. Leg. Cap.* 1. *Num.* 2. Magis se probant mihi quidem, quae de eodem adnotavit ICtus Egregius H. Noordkerk *in Obs. Dec. Obs.* 1. Primum requirit Vir Consultissimus, ut siglae, quibus lectioni corruptae mederi cupimus, re vera in usu fuerint antiquis: dein probabilem errandi causam adesse postulat. Confer Eundem in *Disquisit. de Lege Petr. p.* 29., et in *Obs. Cap.* 3. Adde Eckhardum *l. c. p.* 40. *sq.* et Summum Bynkersh. *l. c.*, qui ipse maximo in arte critica praesidio esse agnoscit notas a Valerio Probo et Magnone traditas.

Quod si quid valeant in his exempla Virorum praeclarorum, quae sane apud me valent quamplurimum, haud exiguum ponderis accedere huic per siglas explicandi methodo existimandum est exinde, quod praecipua Jurisprudentiae laude conspicui scientiae nostrae Antistites hanc correctionis artem primo loco habendam esse fuerunt arbitrati, suoque exemplo demonstraverunt, quantum eo nomine jus Romanum debeat illis, qui via hac simpliciore ac certiore progressi masculam juris doctrinae operam praestiterunt: Triumviros designo, ne plures commemorem, quibus si parcs, majores certe nulla viderunt saecula: Cujacios dico, Schultingios, et Noodtios, quorum summa in juris disciplinam merita, quotquot sunt aequi Themidis alumni, grato ore praedicant.

Plurima hic illic sparsimus exempla: neque tamen adeo exhausta nostra penus, ut loco hoc commodissimo addere non liceat capita nonnulla juris antiqui, quae corruptissima visa unicuique, notarum remedio adhibito, sanari facile posse videantur.

I. Modestinus in L. 26. §. 1. D. de Pignor. et Hyp. *Pater* inquit *Sejo emancipato filio facile persuasit, ut, quia mutuam quantitatem acciperet a Septicio creditore, chirographum perscriberet sua manu filius (ejus), quod ipse impeditus esset scri-*

scribere, sub commemoratione domus ad filium pertinentis pignori dandae; Quaerebatur an Sejus inter caetera bona etiam hanc domum jure optimo possidere possit, cum patris se hereditate abstinuerit: nec METUIRI *ex hoc solo, quod mandante patre manu sua perscripsit instrumentum chirographi, cum neque consensum suum accommodaverat patri, aut signo suo, aut alia scriptura. Modestinus respondit: cum sua manu pignori domum suam futuram Sejus scripserat, consensum ei obligationi dedisse manifestum est.* Materiam tractari vides elegantissimam, eam, quae maximo quotidie in foro usui esse possit: dignissima itaque res, ut de verbis in integrum restituendis laboremus. Quae justa causa moverit alios, ut *ejus* abesse voluerint, aut loco illius *Sejus* substitui maluerint, non video, siquidem vel primo obtutu apparet illico, quoad hanc vocem, rectissimam esse lectionem Florentinam. *Metuiri* autem vocabulum stare non posse, nullus temere dubitet. Cl. Best *p.* 277. emendat *me tueri.* Scioppius *de Art. Crit. p. 68.* per geminationem reponit *me tutum iri*, quo eodem modo rescribendum conjecit Scaliger *ad Catull. Epigr.* 77. Augustinus *metuiri* explicat *metui.* Haloander corrigit *nec metuere debeat.* Aliis alia placuerunt. Vide Cl. Ducker. *in Opusc. de Lat. Vet. ICtor. p.* 436. Scriptum fuisse puto ME. FIERI, hoc est, *manifestum fieri:* constat enim ex Magnone, Diacono, aliisque, litteris illis *manifestum* vocem exaratam olim fuisse. Ille, qui quaesiverat, id est, qui Modestinum consuluerat, nec manifestum fieri dicebat ex eo solo etc. De infinitivo ejusmodi monui alibi. Modestinum respondisse ait Tribonianus, manifestum esse, consensum dedisse Sejum.

II. Deposui apud te rem meam: tu tergiversatus depositum restituere detrectas, antequam certam pecuniae summam tibi exsolvam: ego, ut rem recipiam, tibi solvo: actio mihi competit depositi adversus te ad restitutionem datae pecuniae. *L. final. D. Depositi.* Conceditur etiam mihi condictio ob turpem vel injustam causam. *Item*, inquit Ulpianus, *si tibi dedero, ut rem mihi reddas depositam apud te, vel ut instrumentum mihi redderes*, in *L.* 2. §. 1. *D. de Condict. ob turp. vel injust. caus.*, supple ex *L.* 1. §. *fin. eod. repeti potest.* Cl. Bestius quasi spuria ejicienda censet verba *mibi redderes*, conjunctimque legi vult *velut*, quapropter vapulat a Cel. Ruckero in *Observat. Cap.* 4., qui substituit *velut ut.* Malim equidem *vel ut instrumentum m. mibi redderes*, hoc est *instrumentum meum.* Ita M. N. significare *meo nomine*, auctor est Valerius Probus. *Instrumentum* est omne, quo res instruitur, a *re* itaque haud absurde distinguitur.

III. Excidit, opinor, vocula in verbis Pomponii in *L.* 2. §. 44. *D. de Orig. Jur. Ofilius . . . . libros de jure civili plurimos, et qui omnem partem* OPERIS FUNDARENT, *reliquit.* Bynkershoeck *in Opusc. Var. Argum. p.* 78. sic explicat: qui nullam partem operis, juris puta civilis, intactam reliquerunt. Praeferam legi: *Operis utriusque enodarent*, accipe publicum et privatum, quo modo idem ICtus in §. 46. *eod. Tubero complures utriusque operis libros reliquit.* Quibus siglis exarata fuerit *utriusque* vocabulum exponit Walther. *in Lexico p.* 429 *et* 430.

Idem ICtus in L. 8. §. 3. D. de Pignor. Act. *Si* inquit *ita scriptum sit: si qua*

qua pecunia sua die soluta non erit, statim competit ei pacti conventio. Hoc vult Pomponius: statim commissa est causa, et competit ei, qui pignus accepit, jus vendendi pignoris, sive competit actio ex pacto, ad id, ut ex lege et conditione contractus veneat pignus. Pluribus sensum legis exposuit J. van de Water in *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 19, qui sic emendandum censet: *competit ex pactione venditio*, vel vi *pacti venditio.* Malim: *competit ei pacti conventi ac*, id est, *actio*, quo modo *pacti conventi exceptionem* dixit Cajus in *L.* 30. §. 1. *D. de Pactis*, nisi praeferas: *pacti conventi jus.*

IV. Quod si Titius Sejo pecuniam suam mutuam dederit meo nomine, mea voluntate, mihi adquiri obligationem respondit Ulpianus in *L.* 9. §. 8. *D. de reb. cred.*, hoc est, Sejus exinde mihi obligatur: rationem addit ICtus: *cum quotidie, credituri pecuniam mutuam, ab alio poscamus, ut nostro nomine creditor* MEUS ET *futuro debitori nostro.* Ferri non posse verba *meus et* unusquisque perspicit. Quo pacto emendare alii allaborarint lectionem corruptam, ostendit Egregius Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 87., qui ipse haud sanequam inepte reponit *mutuet.* Quid si levissima mutatione rescribamus *meus sit?* aut, si hoc malis, *meus eet*, quod, Magnone teste, designat, *meus esset.* Dativus casus, quo utitur ICtus, est is, uti appellant Grammaticorum filii, dativus commodi, quo de loquendi usu, Graecis juxta ac Romanis vulgatissimo, vide, quae notavit Cl. O. Arntzenius *ad Caton. Lib.* 1. *Dist.* 37. Sic interpretor: quoniam quotidie solet accidere, ut nummos mutuos dare cupientes amico, ipsi pecunia numerata destituti, rogemus alium, ut is nostro nomine amico credat, atque ita fiat, ut creditor me sibi obliget mandati nomine, sive, ut ait Ulpianus, *ut creditor meus esset*, hoc est, ut censeatur quasi mihi ipsi credidisse, ita ut is me quoque propter debitum illud convenire possit, quandoquidem dedit is mea voluntate, non quidem mihi, sed in usum ejus, qui a me pecuniam poposcit, qui propterea ex facto creditoris illius meus futurus est debitor, quia non suo, sed meo nomine dedit creditor.

V. Corpus Florentinum sic exhibet Caji verba in *L.* 3. *D. Fam. Ercisc: Licet libera potestas* ESSE *maneat creditoribus cum singulis experiundi.* Uncinulis inclusit vocem *esse* Taurellus, ut, suspectam eam sibi esse, indicaret. Cl. Best *p.* 174. substituit *est et.* Restituas facili negotio lectionem veram, credo, si ita legas: *licet libera potestas ex edicto maneat.* Scriptum fuisse conjicio EE. Notam illam *esse* exponunt, qui de siglis scripserunt, sed et, eandem pro *ex edicto* positam fuisse, scribit Diaconus.

VI. Male quoque interpretatos, puto, librarios ejusdem Caji scripturam in *L.* 1. *D. de Orig. Jur.* qui ita exhibent: *Facturus legum vetustarum interpretationem, necessario* PRIUS *ab Urbis initiis repetendum existimavi.* Pro *prius*, *primis*, pro *repetendum*, *repetendam* reddit Schroder in *Obs. p.* 67. Ecco τοῦ *prius* notam dedisse credo Cajum, quae *principium* significat, quam non intelligentes scribae exposuerunt *prius.* Quibus litteris vox ea notata fuerit olim, demonstravit Walther. *in Lexico p* 274, 280 *et* 281.

VII. Misere depravatus Marcelli locus in *L.* 28. *D. de mortis caus. donat.*: *Avunculo suo debitori mortis causa donaturus quae debebat, ita scripsit: tabulae vel*

chirographum TOT, *ubicunque sunt, inanes esse, neque eum solvere debere: quaero, an, heredes si pecuniam ab avunculo defuncti petant, exceptione doli mali tueri se* POSSINT. Conjecturas aliorum proposuerunt Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 106, Hofman *in Meletem. ad D. h. l.*, et Catharinus *in Obs. et Conject. Lib.* 4. *Cap* 41. Sic restituo: *tabulas vel chirographa m. tbii v, ubicunque sunt, inanes esse*, hoc est, *mei tbii volo.* Ductus omnes litterarum probe observatos esse, tute perspicis. *Tbii* vocem ignorantes librarii monstrum lectionis dederunt. M pro *mei* positum, Probus docet. V pro *volo* scriptum olim, tradit Diaconus. *Possit* pro *possint* restituendum esse, manifestant totius legis verba et contextus.

VIII. Ulpiani haec in *L.* 7. *D. fam. ercisc.* suspecta admodum videntur: *Si heres unus, cum sub conditione adjectum coheredem, aut apud hostes* ADJECTUM EO *haberet, dixerit se heredem esse.* Rectius ita exhibet editio, quae apud Hugonem a Porta prodiit: *apud hostes addictum coheredem haberet.* Facillime sane confundi potuisse, probabile est, verba *addictus* et *adjectus*, eo magis, quia *adjectus* vox proxime praecesserat, pro *eo* autem scriptum fortasse fuit *coh.*, ut designaret vocem mox antecedentem *coheredem*, nisi malueris *eū* pro *eum*, scilicet coheredem. Quod vero dixi de permutatione verborum *addictus* et *adjectus*, nolim equidem referri in hanc classem *L.* 39, et 46. *D. de Judic.*, in quibus perperam nonnulli pro eo, quod Florentiae est, *addicitur*, et *addictus*, invitis libris melioribus obtrudunt *adjicitur* et *adjectus*. *Addicere judicem* est, judicem dare, qui de re cognoscat, et sententiam ferat: notissimum autem ex *L.* 12. §. 2. *D. eod.* judicem dari posse, non eum, qui perpetuo furore tenetur, sed qui ad tempus furit.

IX. Eleganter Paulus, in *L.* 22. §. 11. *D. Mandati, sicut autem*, inquit, *liberum est mandatum non suscipere, ita susceptum consummari oportet, nisi renuntiatum sit: renuntiari autem ita potest, ut integrum jus mandatori reservetur vel per se, vel per alium eandem rem commode explicandi, aut si redundet in eum captio, qui suscepit mandatum.* Confer de eodem *L.* 27. §. 2. *d. t.* *Captionem* accipe damnum ex susceptione captiosa ac fraudulenta ortum. Sunt qui substituunt: *aut si non.* Exstitisse puto: *aut* (vel potius *at*) *si* 9, quod, Magnone teste, significat *contra.* Si vero contra res amplius non est integra, damnum resarciet is, qui mandatum suscepit, nec in tempore renuntiavit. Librarius notam sibi incognitam omisit.

X. Scaevolae scripturam in *L.* 61. §. 1. *D. Locati* ita repraesentat Codex Florentinus: *Quaesitum est, an vecturas, quas convenit, a conductore secundum locationem exigere* NAVIS *possit.* Cujacius reponit *nauta.* Verba transponunt alii. Commode, puto, restitues sensum, forte et lectionem antiquam, si, geminata una litterula rescribas: *navis p. possit.* P *praefectum* notare, Magno probat, idem *praefectum classis* allegat. Absorpsit litteram vox *possit.*

XI. Varie tentata Pomponii verba in *L.* 20. *D. de Eviction.*: *Fundum meum obligavi: deinde alienavi tibi, ut eo nomine non obligaveris: si eum postea abs te emam, et satis pro evictione mihi des, excipiendum cautione, quod pro me obligatus sit: quia etiam non excepto eo, agendo eo nomine contra te, doli mali exceptione possim summoveri.* Consule sis de aliorum librorum lectionibus, conjecturisque

que Eruditorum Ampl. Bynkershoeck. *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 11, et Jensium *in Strict. p.* 151. Casum legis hunc statuo: Maevius fundum suum obligavit Titio, deinde alienavit eum Cajo, hac conditione addita, ut hypothecae illius nomine non obligaretur emtor. Maevius postea eundem fundum redemit a Cajo: emtori Maevio Cajus satis dat pro evictione, cavetque de dupla. Titius evincit fundum sibi obligatum. Maevius duplam exigit a Cajo. Excipere potest Cajus, quod per ipsum Maevium fundus sit obligatus: nam, etiam si non excepisset Maevius, non obligatum iri Cajum ex causa hypothecae, tamen doli exceptione summoveri posset Maevius contra Cajum agens ad praestandam evictionis duplam. Verba sic refingo: *Alienavi tibi ita* (aut si hoc mavis, IĀ, quod *ita* exponit Magno: licet negari non possit *ita* frequenter omitti) *ut eo nomine non obligareris* . . . *excipiendum a cautionario* (uti *consiliarius*, aliaque id genus plurima vocabula per compendium scripta, ita et *cautionarius*, puto, per notam fuit exaratum) *quod per me obligatus sit* . . .

XII. Insanabilem sibi videri profiteri non erubescit Jensius *p.* 445. legem 10 *pr. D. quae in fraud. credit.* Mederi tentavit Bestius *p.* 262., ausu, puto, non admodum felici. Ita Ulpianus: *Ait Praetor: quae Lucius Titius fraudandi causa, sciente te, in bonis, quibus de ea re agitur, fecit, ea illis, si eo nomine, quo de agitur, actio ei ex edicto meo competere, esseve oportet, ei, si non plus quam annus est, cum de ea re, qua de agitur, experiundi potestas est, restituas.* Occurrit hoc loco edicti pars, addenda ei, quod proposuit idem Ictus in *L.* 1. *pr. eod.* Possis itaque, si illud praeferas, reponere: *ait p^r Praetor*, hoc est, *ait post Praetor*, consule Magnonem. In sequentibus sic emendo: *quae Lucius* . . . *in bonis, quibus de e. a. re* (expono *ex aliqua re*) *agitur, fecit, ea illis, quib* (aut Q, hoc est, *quibus*) *eo nomine*, . . . *actionem* (quod ipsum exhibent codices nonnulli, si credimus Russardo) *ex edicto* . . . *oportet, etsi modo plus etc.* Certum etenim est ex §. *penult. legis hujus* 10. competere actionem memoratam etiam post annum de eo, quod pervenit ad eum, adversus quem actio movetur. Si quam cicatricem reliquam fecerim, condonabitur tamen, quod conclamato corpori qualecunque remedium adhibuero.

XIII. Interdictum Praetoris quod vi aut clam ita exhibet Ulpianus in *L.* 1. *pr. D. quod vi aut clam: Praetor ait: Quod vi, aut clam factum est, qua de re agitur, id, cum experiundi potestas est, restituas.* Desiderari hic anni mentionem recte monuit Cl. Voorda *in Electis Cap* 4., ac propterea hiatum sic supplendum videri sibi significavit: *id, si non plus quam annus est, cum experiundi etc.* Vide, num leviore correctione hoc modo mecum malis restituere lectionem depravatam: *qua de re agitur*, I. A, *cum* . . . Litterae exhibitae, Magnone auctore, *intra annum* designant, Valerio etiam teste A *annum* notat.

XIV. *Cum pecus in commune pascendum, aut agrum* POLITORI *damus, in commune quaerendis fructibus*, societatem quoque subsistere docet Ulpianus in *L.* 52. §. 2. *D. pro socio.* Pro *politori*, quae vox huic loco vix convenit, Bynkersh. *in Obs. Lib.* 3. *Cap.* 9. elegantissime substituit *olitori*: ne tamen pereat littera,

Qq 2 prae-

praeferam *p.*, vel *p. c. olitori*, hoc est, *pacto*, vel *pacto conventa olitori damus.* Adstipulatur conjecturae nostrae Valerius Probus.

XV. Obscuriora visa fuere plerisque Ulpiani verba in *L.* 10. *pr. D. de Condit. et Dem.* Maculas, quae inquinaverant ea, eluere, legemque exponere tentarunt Bynkersh. *in Obs. Lib.* 6. *Cap.* 12., et Ampliss. Rygerbos *in Obs. Cap.* 10. Quid si ita corrigamus, atque interpretemur? *Haec conditio:* FILIAE MEAE lego, CUM NUPSERIT, *talis est, ut, qui testatus est, impleri summodo conditionem voluerit, non satis egerit, quando:* (scriptum, credo, fuit: *S. egerit:* littera utrumque designat, *satis*, puta, et *scilicet:* optari debuerat significatio posterior. Nubere tantummodo voluit testator filiam suam, non scilicet id egit is, ut terminum temporis adjiceret, intra quem nubere eam oporteret) *et ideo, et si vivo testatore nupserit, post testamentum factum, impleta conditio videtur: praesertim cum conditio haec talis est, ut semel impleri debeat. Sed enim non omnes conjunctiones implent conditionem: puta enim, nondum nubilis aetatis in domum mariti deducta: non paruit* talis *conditioni: sed et, si ei conjuncta sit, cujus nuptiis ei interdictum sit, idem dicemus*, non paruisse nempe filiam conditioni. *An tamen nubendo postea*, postquam jam solutum fuit matrimonium contra interdictum initum, aut si errore forte comperto filia abstinuit, *parere conditioni possit, quasi non nupserit*, hoc est, censeri possit secundis nuptiis suis paruisse conditioni, eo colore, quasi, diremta priore conjunctione illicita, jam primum nupsisse videatur, *dubitari potest: et, si testator de primo nuptiali jugo sensit, puto defectam conditione* (filiam, vel *conditionem*) ratione habita juris stricti: *benigne tamen*, puta, si aequitati attendatur, *dicendum est, nondum* (lego *non tum*) *impletam conditionem defectam*, non defecisse, vel defectam esse conditionem eo casu, quae quippe re vera ex interpretatione haberi debet tum primum impleta: prior enim conjunctio, utpote injusta, nuptiae non sunt censendae, adeoque, cum legitime postea nupserit filia, tum demum nupsisse intelligitur, ac per hoc impleta videri potest conditio.

XVI. Perperam exhibetur Ulpiani scriptura in *L.* 2. §. 2. *D de his, qui not. infam.* hoc modo. *Ignominiosa autem missio toties est, quoties is, qui mittit, addit nominatim, ignominiae causa se mittere: semper enim debet addere cur miles mittatur: sed et, si eum exauctoraverit, id est, insignia militaria detraxerit,* INTER *infames efficit, licet non addidisset, ignominiae causa se eum exauctorasse.* Rejiciendam esse voculam *inter*, censet Cl. Schroder in *Obs. p.* 183., crisi facillima, dubito num aeque probabili. Vero, credo, similius videbitur *inter* pro *interdum* dedisse librarios, errore excusabili, siquidem voculas illas eadem olim nota perscriptas fuisse, constat ex Valerio Probo. Certum autem apparet ex Sueton. *in Octaviano Cap.* 24. discinctos milites non semper infames fuisse effectos, sed poenae genus hoc injunxisse aliquando Imperatores, ut, si quid peccassent milites, armis denudati per totum diem starent ante Praetorium.

XVII. Sensu plane caret codicis Florentini lectio apud Papinianum in *L.* 10. *D. si pars hered. pet: Nam, etsi negotiorum actio sit ei, cujus nomine perceptum est*,

est, ei, cujus nomine restitui aequum est. Ineptissimas semidoctorum glossas, temere ab aliis in textum receptas, rejiciendas esse, ac ridendas recte censuit Best. *p.* 207, qui reponit: *et ei, cui ejus nomine.* Malo: *eum, qui ejus nomine f.* (hoc est, *fecit*) *restitui aequum est.* Casus legis elegantissimus, prolixior vero, quam ut hoc loco interferam brevitatis studiosissimus. Clara, nisi fallor, ac perspicua evasura sunt cuncta, si, conjectura nostra admissa, ita exponas: nam, quamvis sciamus, actionem negotiorum gestorum competere ei, cujus nomine adita hereditas, ac perceptum quid fuit, neque denegandum insuper et hoc est, aequum esse, restitui atque indemnem praestari eum, qui egit quid nomine ejus, cujus negotia gessit.

XVIII. Idem Papinianus in *L.* 31. §. 4. *D. de Neg. gest: Libertos certam pecuniam accipere testator ad sumtum monumenti voluit: si quid amplius fuerit erogatum, judicio negotiorum gestorum ab herede non recte petetur* DE JURE FIDEICOMMISSI, *cum voluntas finem erogationis fecerit.* Quid significare voluerit ICtus, in manifesto est: unice tenebras offundunt verba *de jure fideicommissi.* Nihil extricant, qui substituunt *de jure fideicommissorum.* Ita emendant alii: *nec ab herede recte petetur, nec de jure fideicommissi.* Summus etiam Cujacius corrigit: *nec jure fideicommissi.* Ampl. Van de Water *in Obs. Lib.* 1. *Cap.* 15. *τα de jure fideicommissi* e textu eliminanda esse existimat, remedio uti subsidiario, ita non temere sane admittendo. Cel. D'Arnaudt *in Conject. Lib.* 2. *Cap.* 7. legendum arbitratur: *adde jure fideicommissi.* Videamus, num notarum ope res melius possit expediri. Constat ex Valerio Probo, F. C. significasse olim *fideicommissum*, idem quoque designasse *faciendum curavit.* *Τα de jure fideicommissi* per siglas scripta hoc modo: DE IR̄ EC. Exaratum fuisse conjicio P EŪ Q E C, hoc est, *per eum, qui faciendum curavit*, scilicet monumentum.

XIX. Medica manu indiget Paulus *in L.* 10. *D de hered. instit: Si alterius atque alterius fundi pro partibus quis heredes instituerit, perinde habebitur, quasi non adjectis partibus heredes scripti essent: nec enim facile* SED *diversitate* PRETIUM *portiones inveniuntur.* Pro *pretium* alii exhibent *praediorum*, alii *pretiorum.* Catharino quid placuerit vide Thes. Meerm. *Tom.* 6. *p.* 798. Locum totum sic sanandum existimo: *nec enim facile sine edita diversitate partium portiones inveniuntur.* S pro *sine*, ED pro *edita* positum: hinc *edo* pro *editio* scriptum, Magno adfirmat.

XX. Varia sunt remedia, quibus corruptam Tryphonini scripturam adjuvare studuerunt plurimi. Consule sis Cl. Vryhof. *in Obs. Jur. Civ. Cap.* 8, et Fratrem meum *in Commentario ad Coll. Leg. Mos. et Rom. pag.* 220. Ita exhibet liber Pisanus *in L.* 5. *D. de Fugitivis: Si in harenam fugitivus servus se dederit, ne isto quidem periculo discriminis vitae tantum sibi irrogato, potestatem domini evitare poterit: nam Divus Pius rescripsit, omnimodo eos dominis suis reddere . . . reddi ergo eos oportet.* Transpositionis ope lectionem veram restituere tentavit Doctiss. Putman *in Conjectur. Dec.*, reponens: *vitae sibi irrogato tantam.* Invisum mihi et suspectum visum semper fuisse, quidquid est transpositionum genus, profiteri equidem non erubesco. *Periculum* accipio tentationem: descendit vox ab obsoleto *perior*, pro quo usitatius est *experior.* Notissima.

tissima est vocabuli significatio ex eo, quod dicimus *periculum facere*. Fuit, cum legerem: *vitae tantū n.* hoc est, *tantum non sibi irrogato*. Is enim, qui in arenam se dat cum bestiis depugnaturus, sibi tentat fere irrogare discrimen vitae, quin certam quasi necem emit. Nec defuerunt tamen, quod mireris, qui, ne de servis dicam, aut libertinis, ingenui, operas suas, ut cum bestiis certarent, locaverunt, Vid. Heinecc. *ad legem Jul. et Pap. Popp. Lib. 2. Cap.* 10. Jam vero scriptum exstitisse opinor *Tere*, quod significat *temere*, idque perperam accepisse librarios pro TM, qua nota *tantum* designare moris erat. *Irrogare* pro *rogare* dictum puto: tralatitium est, composita saepissime usurpari pro simplicibus: hoc modo exponenda esse arbitror Callistrati verba in *L.* 2. *D de termino moto: Quod si per ignorantiam, aut fortuito lapides furati sunt, sufficit eos verberibus* DECIDERE, hoc est, *caedere: coërcere* dixit Ulpianus de eadem re differens in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 13. *in fine*: nisi malis interpretari *bene caedere*, quod rescribendum esse, censet Frater *l. c. p.* 78. Denique pro *reddere*, *sive* per geminationem legam: *reddere se*, *sive*, aut potius *se* per ellipsin subintelligo.

XXI. Res eorum, qui sub tutela, vel cura sunt, sine decreto alienari non posse, manifestum est ex *Titulo D. de reb. eor., qui sub tut.* Consultus Ulpianus, quid juris statuendum sit, *si pupillus alienum fundum bona fide emtum possideat*, in *L.* 5. §. 1. *D. tit. cit.* respondet: *dicendum puto: ne hunc alienare tutores posse: ea enim, qua quasi pupillaris vero distractus est, venditio valet.* Pro *ne* reponendum *nec*, vel *neque*, aut potius *non*, nemo quisquam ambigat, aut certe ita explicandum, siquidem eo sensu haud raro vox adhibetur. Certum autem, si quaeritur de fundo alieno, a pupillo bona fide emto, alienari hunc a tutoribus non posse: quod enim attinet ad ejusmodi fundum, eamve rem, quae ipsius tutoris fuit, et quam tutor distraxit quasi pupillarem, valet ejus venditio. Ita interpretor ex sententia Graecorum. Dubitant Eruditi, quo modo explicari oporteat vocem *vero*. Sunt qui mutant *vere*, intelligunt alii *vero pretio*, per transpositionem nonnulli emendant *enimvero*: consule Cl. Wieling in *Lect. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 9. *Num.* 7. Exponi possit *pretio vero*, non simulato, *verus* enim est sincerus, non adulterinus, opponiturque falso, fucato, spurio: quo modo *veram puellam* dixit Ovid. *in Art. Am. Lib.* 1. *v.* 62. intellige eam, quae fucis, aliisque artibus non mentitur aetatem minorem. *Verus color* vocatur Terentio *Eun. Act.* 2. *Sc.* 3. ubi v. Donatum. *Veri nati* Propert. *Lib.* 2. *El.* 7. *v.* 55. ubi v. Broeckhusium. Exempla plura dabit elegantioris, dum viveret, litteraturae Stator, orbis eruditi decus atque ornamentum insigne, Petrus Burmannus *ad Ovidium d. l.* Neque tamen obnitar quidquam, si quis praeferat *bona fide*. Haud multum inter se differre scripturam litterarum Vo, quo modo *vero* olim notatum fuisse, scribunt Magno et Valerius, ab illa BF, qualiter *bona fide* exaratum, iidem docent, sciunt, ac consentient, qui cogitant, nullas aeque litteras toties inter se permutatas fuisse, atque B et V. *Berbicem* pro *vervecem* exstat in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit. XI.* §. *ult.*, itemque in *L.* 1. *D. de Abigeis.* Sunt autem verveces arietes castrati, ex eo dicti, quod in iis versa sit natura. Vide Bar-

Bartolin. apud Gruter. in *Thes. Crit. Tom.* 1. *p.* 701. In Glossis Graeco Latinis Servii Grammatici, quas exhibet Ant. Matthaeus in *Analect. Vet. Aevi Tom.* 3. *p.* 663. est *berbex*, *προβατον*. Ibidem prostat: *benditor πρατης. berus, αληθης. bersum. bestis. bestitor. bia. bidua. bictus. billa. bisus. bulba. debotus.* Eleganter autem quod in prima specie dictum fuerat, de secunda repetitur, bonam utrobique fidem requiri.

XXII. Edixit Praetor: *Infamia notatur, . . . qui pro socio, tutelae, mandati, depositi, suo nomine, non contrario judicio, damnatus erit*, v. *L.* 1. *D. de his, qui not. inf.*, add. §. 2. *I. de poena tem. litig.* Rationem hanc reddit Ulpianus in *L* 6. §. *ult. D. d. tit*: *Contrario judicio damnatus non erit infamis, nec immerito, nam in contrariis non de perfidia agitur, sed de calculo, qui* FERE JUDICIO *solet dirimi.* Vexarunt admodum interpretes verba legis *fere judicio.* Emendant alii *indicio*, alii *fere* interpretantur *vix*. Anonymus in *Obs. Miscell. Amstel. Vol.* 1. *p.* 427. substituendum censet *fere eo*: sed et sic malim *judicio eo*, vel *oc*, id est, *hoc*. Nescio vero, an rei magis conveniat, aptiorque evadat verborum sensus, si pro *fere* rescribamus *fi. b.* quae *fidei bonae* exponit Magno. *Fidem bonam*, ne de eo forte dubitet curiosior, inverso ordine dixisse saepiuscule juris nostri auctores, notavit Brissonius. In contrario judicio depositi *in litem non juratur*, ait Ulpianus in *L.* 5. *D. Depositi*: *Non enim de fide rupta agitur, sed de indemnitate ejus, qui depositum suscepit.* Idem in *L.* 29. *D. de dolo malo*, *calculi ratione potius, quam maleficii, heredem conveniri, denique famosum non fieri* respondet.

XXIII. *Jure proprio*, inquit Ulpianus in L. 195. §. 2. D. de Verb. Sign. *familiam dicimus plures personas, quae sunt sub unius potestate, aut natura, aut jure subjectae, utputa patremfamilias, matremfamilias* etc. Missas facio aliorum conjecturas, quas recensuit Vir Eruditissimus C. A. van Wachendorff in *Dissertatione Juridica pag.* 9. Legendum mihi videtur *patrisfamilias*. Errorem ortum credo ex nota, qua vox illa signari consuevit, qua de consule Magnonem, et Petrum Diaconum. Familia dicuntur personae plures, veluti materfamilias, filiusfamilias, nepotes, reliqui, quae subjectae sunt potestati unius, scilicet patrisfamilias, aut natura, id est, per generationem ex justis nuptiis, aut jure, ut puta adoptione.

XXIV. Mendae vulgo subjacere videntur Caji haec in *Instit. Lib.* 2. *Tit* 9. §. 1. *Quae omnia* (sermo est de iis, quae mutuo dantur) *ad hoc damus, ut eorum fiant, qui ea accipiunt, et* AD NOS *statuto tempore reddantur.* Crises aliorum suppeditant commentarii ad *l. c.*, quibus adde Eruditissimum Juvenem J. J. Struchtmeyer. *in Animadv. Crit. p.* 75. Explicandum puto tempore apud nos, hoc est, inter nos statuto. AP̄ pro *apud* positum fuisse antiquitus, Magno testatur. Possis itaque pro *ad* substituere *apud*. Potius tamen nil quidquam mutem, cum notum sit, *ad* pro *apud* aliquando adhiberi, v. Brisson. *in Παρ.* §. 75. sicuti contra *apud* pro *ad* usurpari scimus. Audi quaeso Isidorum *Orig. Lib.* 1. *Cap.* 26. *Apud*, inquit, *praepositio per d scribitur, sic ut ad, ut apud Praetorem: quoniam veteres saepe apud pro ad usi sunt, duabus ex iis mediis*

diis litteris subtractis. In editione Basileensi ita legitur: *sic ad . . . qm:* explico: *significat ad . . . quomodo.* Vide Probum.

XXV. Idem Cajus *Lib.* 2. *J. Tit.* 10. *§. ult: Et multa praeterea quorumcunque similia sunt, secundum quae et ille furti tenetur, qui ut fieret opem . . . commodarit.* Locum depravatissimum quo pacto corrigere tentarint alii, vide in notis ad *d. l.*, et apud Struchtmeyerum *p.* 76. Ego sic reponam: *et multa praeterea, quorum quaestio est, similia sunt, sicuti, quod et ille etc.* Magnone auctore parum differt sigla, quae *qunque*, hoc est, *cunque* denotat, ab ea, quae *quaestionem* designat. Ex eodem quoque disces, nullum fere interesse discrimen inter scripturam vocis *secundum* et *sicuti.*

XXVI. Paulus Lib. 5. Sentent. Tit. 4. §. 8: *Injuriarum actio . . . constituitur, quoties . . . cujus domus introitur ab his, qui vulgo derectarii appellantur*, (sunt qui legunt *diaetarii.* v. Turneb. *Adverf. Lib.* 9. *Cap.* 17.) *in quos extra ordinem animadvertitur, ita ut* PRIUS INGRUENTIS *consilium pro modo commentae fraudis poena vindicetur exsilii, aut metalli, aut operis publici.* Ulpianus in *L* 7. *D de extraord. crimin.* derectarios appellari scribit, *qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo.* In eos *causa cognita* statuendum dicitur, *prout admissum suggerit* in *L.* 1. *§. ult. D. de effractorib.* Verba Pauli *prius ingruentis* varie emendarunt alii. Legi fortasse haud inficete possit IPRIIS, hoc est, *inprimis ingredientis.*

XXVII. Ejusdem Pauli fragmentum, desumtum ex *Libro* 5. *Sententiarum*, his verbis exhibet Tribonianus in L. 34. §. 1. D. de Donationib. *Si quis aliquem a latrunculis, vel ab hostibus eripuit, et aliquid pro eo ab ipso accipiat, haec donatio irrevocabilis est:* NON *merces eximii laboris appellanda est*, QUOD *contemplatione salutis certo modo aestimari non placuit.* Eandem ICti sententiam hoc modo proponit Anianus in Pauli Sent. Rec. Lib. 5. Tit. 11. § 6. *Ei, qui aliquem a latrunculis, vel hostibus eripuit, in infinitum donare non prohibemur: si tamen donatio, et non merces eximii laboris appellanda est: quia* CONTEMPLATIONEM *salutis certo modo aestimari non placuit.* Utroque de loco egerunt plurimi. Videsis Interpretes *ad Pauli Sententias in Jurispr. Antej. Schultingii*, et *in Thes. Meerm. Tom.* 7. *p.* 728. *l. c.*, adde P. Fabrum *de Reg. Jur. p.* 715., et Cl. Marckart. *in Interpr. Lib.* 2. *Cap.* 10. Ipsamne Pauli scripturam reddiderit Tribonianus, an Anianus, an neuter, in incerto est. Certius hoc est, opem criticam requirere fragmentum utrumque. In *L.* 33. *c.* pro *non* reponi debere *nam*, nullus dubito. Errori causam dedit dubia litterae N̄ significatio, quae, Magnone teste, *non* et *nam* denotat. Adjuvant hanc conjecturam Taurellus et Haloander, quorum ille in margine posuit *nam*, hic vocem in textum recepit. Pro eo deinde, quod nunc exhibetur, *quod*, scriptum fuisse conjicio QD, explico: *quia datum.* Ita DD Valerius Probus exponit *dono datum.* Alterum locum facillime restitues, si pro *quia contemplationem salutis* emendes *quia contemplatione eam*, mercedem puta, vel donationem, *salutis*, nisi et hic praeferas: *quia datum contemplatione salutis:* litteram enim M perperam centies adjunctam, novimus.

XXVIII.

XXVIII. In *L.* 12. *C. de Procuratoribus* ita rescribit Alexander: *Exigendi a filio tuo mandati, qui se defensioni tuae offerebat, duplici ratione necessitas non fuit: aut quod defendere quis, sive* LIBERTUS, *sive extraneus sit, sine mandato potest.* . . . Sunt qui corrigunt *liber tuus*, hoc est, filius, alii *e liberis*, defendendam putant nonnulli lectionem vulgatam. Consule Auctorem *Obs. Jur. Civ. p.* 126. Vix est, ut ferri posse videatur vox *libertus:* qui enim mentio specialiter fiat hic liberti non video, eo loco, ubi generaliter de eo disponit Imperator, qui sine mandato possint defendere. Rescribendum censeo *Latinus*. Constat ex σημειογραφοις, *Libertus* itemque *Latinus* vocabula eadem nota, una scilicet littera L, fuisse scripta: hic fons erroris. Intellige autem Latinos, non Colonarios, nec Junianos, verum eos, qui eodem cum Romanis civitatis jure gaudebant: consule de illis, ne pluries dicta repetere necesse habeam, Ez. Spanhemium in *Orbe Romano Cap.* 7. *Extraneos* accipe quoscunque, non Quirites, aut Latinos. V. Brisson. *in V. Extraneus.*

XXIX In Constitutione Impp. Leonis et Anthemii, *de mulieribus, quae se servis propriis, vel libertis junxerunt, et de naturalibus liberis* sancita, qua memoratur, ac confirmatur Constantini M. Lex de iisdem mulieribus perlata, quae postrema prostat in Cod. Theod. *Lib.* 9. *Tit.* 9. ex editione Ritteri *Tom.* 3. *pag.* 77., nec non in Cod. Justinian. *Lib.* 9. *Tit.* 11., in ea, inquam, Novella, quae reperitur in Cod. Theod. *Tom.* 6. *pag. posterioris partis* 161., varia occurrunt obscurissima, ac sensu plane destituta: Egregiam ei, uti caeteris omnibus, operam praestitit Cl. Ritterus, cujus explicationibus et emendationibus adquiescimus. Unum superest dubium de verbis: *Prohibemus, ne insignium familiarum clara nobilitas indigni consortii foeditate vilescat, et quod splendore forsitan Senatoriae generositatis obtinuit, contractu vilissimae societatis amittat, aut* NUDE TANTE TUM *ingenuae libertatis fulgore perspicuum genus, in femina imprudentior complexus immineat.* Pro *immineat* optime Ritterus emendat *imminuat*. Loco τῶν *nude tante* Cujacius, quem sequi videtur Ritterus noster, rescribendum jubet *viduitate*. Rittershusius edidit *nude tanto*, Gothofredus *nude tantum* praefert. Ampl. Rover in *Disp. Inaug. pag. ult.* reponendum arbitratur: *indubitatae tum ingenuae libertatis fulgore praespicuum genus.* Cl. Bondam in *Var. Lection. Lib* 2. *Cap.* 2. *pag.* 112. *sq.* legendum conjicit: *aut nutitante tum.* Emendant alii *nudo tantae tum.* Restitui forte possit: *aut nudo*, vel, quod eodem redit, *nudae tantummodo ingenuae.* Nolunt Impp. imminui exinde dignitatem Senatoriam, imo vero, nec id genus, quod unico ingenuitatis fulgore est perspicuum. Malo: *aut nu. de ta. antetum*, hoc est, *aut nuptiis de talibus antedum.* De voce *talia* observat Walther in *Lex. p.* 393. *num.* 3. expressam eam per *ta.* Prohibent Principes, imminui ac detrahi quidquam per nuptias ejusmodi de genere, antea perspicuo ac claro ingenuitatis fulgore. Res evidentior, itemque *de* particulae usus hoc significatu frequentior, quam ut his amplius inmoremur.

XXX. Jac. Gothofredus, Vir summus, verba legis 4. *C. Th. de Sponsalib.*, incertum utrum ex suo ingenio, an Parisinam editionem secutus, hoc

modo repraefentat: *Patri, aut matri puellae, aut tutori, vel curatori, aut cuilibet ejus affini non liceat, cum prius militi puellam desponderit, eandem alii in matrimonium tradere. Quod si intra biennium, ut perfidiae reus in insulam relegetur.* In antiquiffimis membranis ita exhibetur: *Patri aut puellae aut tutori...* Cl. Ritter in *Praefat. Tomo* 1. *Cod Th. praemiffa*, deleto altero *aut*, fic fubftituendum arbitratur: *patri, aut puellae tutori.* Leviore, an et modeftiore crifi utitur Cl. Beft *p.* 280., qui reftituit: *patri, avo puellae, aut tutori*, quem fequerer, nifi diffuaderet Interpretis qualiscunque auctoritas, qui patris, caeterorumque in lege memoratorum meminit, de matre vero, avove totus filet. Praeferam itaque, fubnixus teftimonio Duumvirorum, Probi, et Magnonis, pro *aut*, quod per A fcriptum, reponi hoc loco AT, quod *autem* fignificat. Non convenire opponis particulam illam in initio orationis, fiquidem nihil praeceffit, cui dicta haec adverfentur: verum fcias velim, non femper adverfativam eam effe, fed copulandi quoque vim aliquando eidem tribui. Confule Forfter. *in Thef. Jur. Otton. Tom.* 2. *pag.* 925., adde Lexicographos.

Extra neceffitatem autem feciffe videntur, quotquot his *quod fi intra biennium* addi volunt *fecerit*, vel *fiat*, aut *fit*, quum certo conftet, verbum *eft* faepiffime folere omitti. Vid. Cl. Arntzen. *ad Caton. Lib.* 1. *Dift.* 13. *et* 24., add. *Epift. Vir. Illuftr., a Cel. Burmanno editas, Tom.* 4. *pag.* 771. *fq.* In jure utramque paginam facit haec ellipfis. Quapropter nil mutandum cenfeo in his *Legis* 3. §. 2. *D. pro Socio: fi ita focietas*, pro quibus non ineleganter per geminationem reponit Auctor *Obf. Jur. Civ. pag.* 113: *fi fit ita:* praeferam: *fi inita focitas.* I in notare Magno docet.

Temere item tentari puto lectionem *Legis* 49. *D. de pactis*: explicandum arbitror: *quatenus facultates* funt. Egit de verbis propofitis Idem Auctor *pag.* 89.

Addo *Legem* 15. *D. Ratam rem haberi*, qua de Idem Vir Doctus *l. c.* Evanefcet omne dubium, fi exponas: *qui damnatus* eft.

Perperam itaque *eft* infarcit Cl. Beft *p.* 144. in *L.* 21. *D. quae in fraud. credit.*, ubi pro *quaefitum* corrigit, *eft quaefitum.*

Denique fi verba *Legis* 1. §. 1. *in f. D. de Separationib.* interpreteris, *quantum cujusque* eft, clara, opinor, evadent omnia, ac removebuntur ilico nebulae, quas obortas fibi queritur Jenfius *pag.* 443.

Idem dicendum reor de *L.* 6. *D. de Fideic. Libertat.*, in qua pro *cogendus heres* Beftius *pag.* 144. nulla permotus idonea caufa reddit, *cogendus heres eft.*

XXXI. Vocem *feminae* in *filiae* quamobrem mutari voluerit idem Beftius *p.* 281. in *L.* 7. *C. Th. d. t. de fponfalib.* ratio quidem mihi non apparet jufta. Magis miror, nulli Interpretum fuiffe obfervatum, in verbis legis citatae, et, quae eadem eft, *legis* 4. *C. Juftinian. de Sponfalib.* in principio earundem occurrentibus, aliquid defiderari. *Si pater*, inquiunt Impp., *pactum de nuptiis filiae inierit, et humana forte confumtus, ad vota non potuerit pervenire.* Agi perfpicis de nuptiis filiae, non patris; neque ergo ad vota, hoc eft, nuptias,

nuptias, pater pervenire dici potest. Paucis litterulis interfertis, sic sensum restitues commodissimum: *consumtus, ut ad f. vota non potuerit pervenire. Ta ad f.* denotare *ad finem* demonstrant Probus et Magno. Favet conjecturae nostrae Interpres: *ubi*, inquit, *de conjunctione filiae patris sententia fuerit definitum, si humano casu, antequam puella jungatur, mortuus fuerit pater.*

XXXII. *Eorum autem*, verba sunt Legis ult. C. Th. de Metallis et Metallariis, *earumque progenies, qui ex domibus privatorum eligere maluerunt consortia nuptiarum*, DE QUA *inter fiscum meum et parentes suos aequa lance dividatur.* Pro *de qua*, quod sensum turbat, *atqua* substituit Jac. Gothofredus, verum recte jam monuit Cl. Bestius *p.* 288., vocem illam huic loco neutiquam congruere, quippe quae mox sequatur. Ipse *iniqua* corrigit, conjectura etiam minus probabili. Exstitisse in codice manu scripto opinor D Q, quod Magnone teste *denique* significat. Accipi autem hoc loco vocabulum putem pro in praesens, hoc tempore, hi qui jam sunt, quam notionem demonstrant satis lexica. Adjuvat opinionem, quod mox additur in sequentibus de eo, quod *in posterum* fiat. Immerito itaque vapulare, imo rectissime fecisse Tribonianum, dicendum est, qui, praetermisso jure eo temporario, quod sua aetate in desuetudinem jam abiverat, proposuit tantummodo jus posterius, quod tum temporis unice fuit observandum, in Codice a se confecto in *L. ult. eod. tit.*

XXXIII. Constituerunt Impp. in *L.* 10. *C. Th. de Murilegulis*: *edicimus, ne qua mulier splendidioris gradus, monetarii adhaerens consortio, decus nativae libertatis amittat. Quod si quam ab hac praeceptione statutum nostrae perennitatis abduxerit*, . . . Eadem reperiuntur in *L.* 7. *C. Justinian. tit. eod.* Gothofredi crisis, qui reponit: *quod si quam ab hac praesumtione statutum nostrae perennitatis non abduxerit*, utpote a scriptura vulgata longius recedens, Bestio *pag.* 289. invisa, nec mihi se probat. Illi quoque, quam ipse proponit, sic legens: *quod si quam ab hoc praeceptio, nec statutum nostrae perennitatis abduxerit*, licet modestiori, praeferam simplicissimam hanc: *quod si quam ab hac praeceptione n* (hoc est, *nec*) *statutum nostrae perennitatis abduxerit.* Hoc Edictum proponimus, ut ne qua mulier splendidioris gradus post hoc, exinde, quia delectatur nuptiis monetarii, necesse habeat in periculum venire amittendae libertatis avitae ac naturalis: quod si tamen eveniat, ut pertinax aliqua contra nostram praeceptionem, atque admonitionem, statuto nostro morem gerere nolit, ac perneget, etc.

XXXIV. Corrupta videtur ejusdem Codicis Th. scriptura in *L. 6. de Testam. et Codicill.*: *Ne quis post diem mortis scriptis ante decennium testamentis praestetur adsensus, nullisque penitus viribus scriptura hujusmodi tempore antiquata taxetur: praesertim, si*, (hoc est, siquidem, quoniam, quia) *cum voluntas continuata persliterit, brevis mora sit recentibus vetustatem innovare temporibus: Vix enim fieri potest, ut per haec tempora, quae fidei amore contraximus, omnem testium conscientiam mors conjurata surripiat.* Amplissima exstant ad Constitutionem hanc Commentaria Jac. Gothofredi, et Fratris mei, quae cum rem omnem, ad jus quod attinet et legis sententiam, absolverint, de lectione ver-

verbornm unice inquiram paucissimis. *Non* particulam interferunt Interpretes in his *conjurata mors surripuit*: vernm enimvero, licet concedamus, quae tamen est crisis durissima, negative haec proferenda, neque tum etiam sensus poterit effici sat commodus: ecquis enim hoc voluisse credat Impp., vix fieri posse, ut non per decennii spatium testes omnes rapuisset fatum iniquum? Adhibendi fuerunt testes puberes: suffecit ergo XIV annis majores rogari: florens haec juventas cita atque inopina morte potuit surripi: senes etiam si adsumti fuerint, facile evenire potuit solenni mortalitatis ordine, ut ex illis nemo quisquam superfuerit: verum quis neget, et facile quoque fieri potuisse, ut testes omnes supervixerint? Ne multis morer: scriptum fuisse conjicio V†E, quam notam interpretor, auctore Valerio Probo, *vel interdum*: perperam expresserunt librarii *vix*.

XXXV. Sufficiant haec cum maxime ex jure deprompta exempla. Dabimus, manu tamen parcissima, loca nonnulla, ex aliis Scriptoribus prodita, quibus unice notarum ope remedium quaeri posse videtur.

Cum Lex Aelia Sanctia *assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti: locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere* (malim *ab asse*) *dando.* Mendosa esse haec verba, quae prostant apud Ciceronem in *Topic. Cap.* 2., nullus temere dubitet: neque enim descendere potuerunt ea ex lege Aelia Sanctia, qualis nulla unquam exstitit: neque vero melius quadrat huc lex Aelia Sentia, quam propositam videre M. Tullio fata denegarunt. Hoc certum apparet, Boëthium legisse *lex Aelia Sanctia*, Cl. Verburg exhibet *Aelia Sentia*, aliorum lucubrationes, quibus restaurare veram lectionem studuerunt, adfert Funccius *in Commentario ad Leges XII. tab. pag.* 74. Ciceronem scripsisse conjicio: *Lex ap̄ Ael. Sex.*, hoc est, *Lex apud Aelium Sextum.* Stupidissimum hominum genus librarii, qui fando fortean acceperant de lege Aelia Sentia, *Sanctiam* eam nominari arbitrati, insulsissime hic cogitarunt, an somniarnnt, de lege Aelia Sanctia. *Legem* autem intellige Decemviralem, quam κατ' ἐξοχὴν *Legem* appellari novimus. Ita *legitimos tutores* per eminentiam dictos fuisse scribit Ulpianus *in Fragmentis Tit.* 11. §. 3., qui ex lege XII. tabb. introducti sunt, adde Imp. in *J. de Legit. Patron. Tut.* Hinc *legitima hereditas*, alia. Verba autem *assiduo vindex assiduus esto* ex ipsis legibus XII. tabb. esse desnmta, ne dubitemus, facit Gellius in *Noct. Att. Lib.* 16. *Cap.* 10. Ad legem autem decemviralem commentarios scripsit Aelius Sextus. Ita de eo Pomponius in *L.* 2. §. 38. *D. de Orig. Jur.*, quae verba opinionem nostram apprime videntur confirmare: *Sextum Aelium etiam Ennius laudavit, et exstat illius liber, qui inscribitur Tripertita. . . . Dicitur, quoniam lege XII. tabularum praeposita, jungitur interpretatio.* Possis et, si hoc praeferas, quasi glossam ineptam ejicere τα *Aelia Sanctia*, addita forte a sciolo, qui propter adjunctum *Aelii* nomen arbitratus fuerit, innui hoc loco legem Aeliam Sentiam, quae voces in margine primum scriptae perperam postea in textum admissae.

XXXVI. Corruptissima sunt haec ejusdem Oratoris in *Lib.* 3. *de Nat. Deor. Cap.* 35., quo loco degeneris Tyranni Dionysii fata propositurus, *hunc igitur*,

tur, inquit, *nec Olympius Jupiter fulmine percussit*, *nec Aesculapius misero diuturnoque morbo intabescentem interemit: atqui in suo lectulo mortuus*, IN TYMPANIDIS *rogum illatus est.* Ex libro MS., qui referebat: *vit impanitis rogo*, ita ingeniose reponendum jubet Doctiss. Triller. in *Obs. Crit. p. 66. vita impunitus*, quo loco confert quoque conjecturas aliorum. Proxime secutus Viri Eruditissimi crisin malo: *v et impunitus rogum illatus est*, hoc est, *verum etiam*, consule Magnonem. Accidit sceleratis, monstris hominum, ut, quibus vivis perperceerat ira Divina, post fata saeviretur in cadavera mortuorum, abjecta in Gemonias, laniata, in profundum projecta: mirum non idem evenisse Dionysio, Principi turpissimo.

XXXVII. Cn. Pisonem Catilinae socium fuisse, ac cum eo caedem Optimatium facere voluisse, refert Cicero in *Orat. contra C. Antonium et L. Catilinam.* Pisoni Senatum provinciam dedisse narrat Sallustius in *Catil. Cap.* 19., *quippe*, inquit, *foedum hominem a Rep. procul abesse volebat.* Ita de eodem Asconius in *Commentariis ad d. Orat. prope finem: Piso autem, cum haec dicerentur, peierat in Hispania, missus a Senatu per honorem legationis, ut* AVUS SUOS *ablegaretur.* Nob. Vonck in *Obs. Misc. Cap.* 11. substituendum putat: *pravus civis.* Rescribi possit *avitis sedibus*, malo tamen *AVU noxius*, hoc est, *alio vir urbi noxius.* De notis propositis consule Valerium.

XXXVIII. Difficillima sunt haec Censorini *de Die Natali Cap.* 14.: *Etruscis quoque libris fatalibus aetatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat, quae* DUO *ad decies septenos annos posset fatalia deprecando rebus divinis proferri: ab anno autem* OCTOGESIMO *nec postulari debere*, *nec posse ab Diis impetrari. Caeterum post annos octoginta quatuor a mente sua homines abire*, NEQUE HIS FIERI PRODIGIA. Pro *duo*, quae vox huc minime congruit, exaratum fuisse conjicio D̄D̄, quam notam per *deinde* exponit Magno. Pro *octogesimo* fide manuscriptorum codicum non paucorum restitui possit LXX, non refragante contextu. Magis dubium videtur, quid sibi velint verba postrema: *neque his fieri prodigia.* Aquam sibi haerere ingenue profitetur Lindenbrogius. Interpretationem, puto, sat commodam sunt acceptura ea, si contuleris illa, quae tradit idem auctor *Cap.* 17: *Rituales Etruscorum libri videntur docere. . . . Sed ea, quod ignorarent homines, portenta mitti divinitus, quibus admonerentur, unumquodque saeculum esse finitum.* Portenta mitti divinitus affirmat, ubi homines illi aetate provectissimi satis concedunt. Quod autem in *Cap.* 14. *c.* portenta his fieri negat, ita, opinor, exponendum: homines LXXXIV annis majores excessisse modum aetatis hominibus constitutae, adeoque Deos prodigia aut portenta per tales non facere.

XXXIX. Nescio an notarum remedio sanari possit locus Senecae *de Beneficiis Lib.* 6. *Cap.* 16., varie tentatus, expositus, vexatus a plurimis: *Medico*, inquit, *qui nihil amplius quam manum tangit*, *et me inter eos quos perambulat ponit*, *sine ullo affectu facienda vitandave praecipiens*, *nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit*, *sed tanquam* IMPERATOREM. Ridebunt, sat scio, qui singulas de verbis propositis exhibitas emendationes conjecturasve cognoverunt: in medium plerasque produxit Trillerus in *Obs. Crit. Lib.* 2.

Cap. 4., qui pro *Imperatorem* substituit *interiturum*, vel *periturum:* sed et sic malim: *jam periturum.* Muretus corrigit: *non tanquam amicus vidit, sed tanquam Imperator: imperare* scio Medicorum esse: vide tamen num magis conveniat, si pro *Imperatorem* reponas *jure praecepti*, hoc est, eo tantum visit pro more, ut praecipiat. *Imperator* per *Imp.* scribi solere, nullus ignorat. *Jus praecepti* per I. PCE notatum fuisse Diaconus observavit. Fortean tamen *imperator* accipi possit aegrotus imperans atque invitans, ut ad se veniat medicus: quo sensu *imperantes* vocem usurpasse credo Alfenum Varum in *L.* 26. *pr. D. de Oper. Libert.* *Medicus libertus, quod putaret, si liberti sui medicinam non facerent, multo plures* IMPERANTES *sibi habiturum* se, quo modo verbum hoc exponendum esse jam monuisse perspicio Cl. Schroder. in *Obs. p.* 260. Aliorum opiniones recensuerunt Bynkersh. *Lib.* 3. *Obs. Cap.* 7., Van de Water in *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 4., Perrenon. in *Thes. Jur. Otton. Tom.* I. *p.* 627., Otto in *Praefat. ejusd. p.* 37., ac novissime Klotzius in *Misc. Crit. p.* 17. Certum autem, *praeceptum* tribui Medicis. Cicero *de Legib. Lib.* 2. *Cap.* 5. *Nam neque Medicorum praecepta dici vere possent:*

XL. In his Livii *Lib.* 24. *Cap.* 45.: *ne qui socii a populo Romano desciscant, et* NON VOCITENT, sic emendandum statuit idem Trillerus *l. c. Cap.* 10.: *et non vacillent:* vix dubito scripsisse Livium: *et nob. nocitent*, id est, nobis noceant.

XLI. Curtius *Lib.* 3. *Cap.* 13. *prope finem: Caeterum Dii tantae fortunae proditorem* SEPULTURAE *celeriter debita poena persecuti sunt.* H. J. Arntzenius in *Spec. Obs. in Addendis* rescribit: *semper ulturi.* Aliis quid placuerit vide apud Trillerum *p.* 236. *sq.*, qui ipse mavult *stellatura*, vel potius *speculatore.* Exstitit, credo, *se p. ulturi*, expono: *se publice ulturi*, ita PD Valerius explicat *publice dedit.*

XLII. Corrupta sunt, aut mutila haec ejusdem Auctoris Lib. 5. Cap. 12.: *Perfususque mutuis lachrymis* Darius *inhaerentem sibi* Artabazum *avelli jubet: capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem,* VELUT A REGE *intueretur, in humum pronum corpus abjecit.* Sunt qui substituunt *vel a tergo*, sensu non inepto, mutatione vero minus, credo, probabili. Emendant alii *velut a rogo.* Trillerus legit: *vultu riguo*, vel *irriguo.* Excidisse puto vocem *alienum*, per siglam scriptum, quam non intelligentes librarii omiserunt. Alienum putavit Darius a Rege, hoc est, Regem non decere lachrymas prodere. In vulgus notissimum est Terentii dictum:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Proposui conjecturam, cessurus facile edocenti meliora certiorave.

XLIII. Vitiosissimum ad nos transmissum esse Minucii Felicis Octavium, librum elegantissimum, merito conqueruntur Eruditi. In depravatorum locorum numerum referenda esse haec Auctoris in *Cap.* 4. nullus dubito, licet sicco pede ea praeterierint Interpretes plerique: *Tantum*, inquit, *absit ab exploratione Divina humana mediocritas, ut neque quae supra nos coelo suspensa sub-*

la-

lata sunt, neque quae infra terram profundo demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut STUPRARE *religiosum.* Pro *stuprare* corrigo *secreta prodere.* Quo modo scripta fuerit vox prior, discas ex Walthero *p.* 362. Eadem locutione de Alexandro Macedone refert Noster *Cap.* 21.: *insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suae potestatis proditum sibi de Diis hominibus a sacerdote secretum.* Adjuvant haud parum conjecturam nostram Octavii respondentis verba *Cap.* 16.: *Nihil itaque indignandum, vel dolendum, si quicunque de divinis quaerat, sentiat, proferat.* Aliorum sententias dedit Doctiss. C. A. Klotzius in *Miscell. Crit. p.* 5. *sq.*, qui praefert *disputare.*

XLIV. Curtium novimus, cui vix par exemplum suppeditant annales vetusti incredibilis erga patriam suam pietatis, cum in medio foro vasto ac repentino hiatu terra subsideret, ac responsum esset, compleri eum unice posse ea re, qua populus Romanus plurimum valeret, conscendisse equum militaribus insignibus ornatum, eumque vehementer admotis calcaribus in profundum illum praecipitem egisse. Sic refert Val. Maximus *Lib.* 5. *Cap.* 6. *Ex.* 2. Manus nunc in coelum, nunc in patentes terrae hiatus, ac Deos Manes porrigentem se devovisse, equo deinde quam poterat maxime exornato insidentem armatum se in specum inmisisse eundem scribit Livius *Lib.* 7. Factum hoc respiciens Minucius *Cap.* 7., *Curtius*, inquit, *qui* EQUITIS *sui vel mole, vel* HONORE *hiatum coaequavit.* Sunt, qui *equitis* dictum putant pro *equi.* Plerique sic restituendum esse opinantur: *qui equi sui mole vel onere.* Consule Cl. Klotzium *d. l. p.* 7. Malim equidem: *Curtius, qui equi, et ipse sui vel mole, vel honore*, hoc est, qui mole equi sui, et sui ipsius, vel potius sacrificio suo, et immolatione, sive devotione sui, placata jam ira Deae Telluris. *Honorem* pro sacrificio poni norunt omnes.

In primis vero criticam manum efflagitant plus uno in loco haec ejusdem Auctoris *Cap.* 10.: *Unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius,* DESTITUTUS? *quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt. Judaeorum sola et misera gentilitas Unum et ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, ceremoniisque coluerunt, cujus adeo nulla vis, nec potestas est,* UT *sit Romanis Numinibus cum sua* SIBI *natione captivus. At etiam Christiani,* QUA IN TAM NOSTRA, *quae portenta confingunt?* Sic exhibet Davisius: in veteri exemplari ita scriptum exstat in penultimis: *qua m tā nrā.* Sunt, qui vulgatam lectionem defendere annituntur, quorum tamen explicationem contortissimam vix ambigo solis auctoribus placituram. Reponunt alii *quaenam monstra.* Plerisque probatur Davisii conjectura *quanta monstra.* Propius secutus vestigia codicis antiqui sic totum locum restituo: Pro *destitutus* corrigo *restitutus*, pro *ut* malim *at*, item pro *sibi* rescribo SCL, hoc est, *scilicet.* Caetera refingo hoc modo: *At etiam Christiani, qui maxime damnant nostra*, intellige portenta, *quae* ipsi *portenta confingunt?* M designare *maximum* discimus ex Magnone. T et D permutari nemo nescit. *Damnatus* per D̨ notatum fuisse testis est idem Magno, confer Diaconum.

Mendose exhibetur in Cap. 15: *Si potes, reputare id, quod criminaris, inquam,*

quam, in commune, nisi fallor, compendium protuli. Sic muto: *si potes, reputa recte id, quod criminaris, inquam. In commune, nisi fallor, compendio protuli.* *R* et *re* pro *recte* et *retro* positum. Confer quae dixi *p.* 243. *Compendio* interpretor *breviter*.

Pro *cogitanti imperia terrena*, QUIBUS *exempla utique de coelo* in *Cap.* 18. vix dubitabit, credo, totum locum perlegens, rescribendum esse, *quae bona sunt.* Pro *bona*, *ba*, pro *sunt*, *s* posuere veteres.

XLV. Idem Minucius *Cap.* 28.: *Quis tam stultus, ut hoc caput asini colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos et totos asinos in stabulis cum vestra* VEL *Epona consecretis, et eosdem asinos cum Iside religiose* DECORATIS. Melior, credo, prodibit sensus, si legeris *videlicet*, quod per VL scriptum fuisse Probus adfirmat. Pro *decoratis*, quae Rigaltii est lectio, liber MS. habet *devoratis;* quid, si substituamus *deferatis?*

XLVI. Medicinam facere tentarunt Interpretes in his Ejusdem *Cap.* 38.: *Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti facem, aut* NON SENTIENTI *coronam: cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus*, num vere praestiterint dubito: Ita forte haud absurde refingas: *aut mortem sentienti coronam:* favere videntur sequentia: *beatus* enim respondet *exanimi*, *aut*, (explico, id est,) *non sentienti*, *miser* referendum ad *mortem sentienti*. Certum autem est, *mortis* vocem una aliquando littera M fuisse notatam, quo de alibi exposui, *mortem* per *mor* scriptam testatur Walther *p.* 216. *Num.* 5., siglam non intelligentes librarii dederunt *non* ex antecedentibus repetitum. Coronarum ac florum usus in exsequiis vulgarissimus fuit. Pluribus hoc demonstrarunt Paschalius in tractatu *de Coronis*, et Commentatores ad Leges XII. tabb., quorum plerorumque collecta proposuit Funccius *de Legib. XII. tabb. p.* 450. *sq.* Apposite Plinius *Nat. Hist. Lib.* 21. *Cap.* 3. *Coronae Deorum honos erant, et Larium publicorum privatorumque, ac sepulchrorum, et Manium.* Jam jam morituris flores adhibitos, certo, scio, aliunde non constat, otium saltem non est cum maxime de eo investigare: amplius inquirant curiosiores. Narrat Val. Maximus *Lib.* 5. *Cap.* 6. super Curtium, mox ubi pro salute patriae in profundum terrae hiatum praecipitem se cum equo egisset, universos cives honoris gratia certatim fruges injecisse: dona ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congestas fuisse tradit Livius *Lib.* 7.

XLVII. Alio progredi cogitantem retrahunt Minucii verba *Cap.* 4.: *Itaque indignandum omnibus, indolescendumque est, audere quosdam,* ET HOC *studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium, etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum, ac majestate decernere, de qua* TOT *omnibus saeculis sectarum plurimarum, usque adhuc ipsa Philosophia deliberat.* Pro ET HOC malim AD HOC, vel ADHUC, id est, praeterea, qua de notione v. J. Arntzen. *ad Pacat. p.* 20. et Vorst. in *Lat. select.* nisi praeferas *et hoc.* Loco τοῦ *tot* repono *doti.* Plurimarum sectarum eruditiores omnibus saeculis deliberarunt, deliberat etiamnunc ipsa Philosophia.

In *Cap.* 7. ita exhibet Davisius: *inde adeo pleni et mixti Deo vates futura*

PRAE-

PRAECERPUNT, *dant cautelam periculis.* Sunt qui *praesentiunt* substituunt, sensu optimo. Litterarum positioni propius accedet, si reponas *praecipiunt.* Ita Cicero *de Offic. Lib.* 1. *Cap.* 23. *Ingenii magni est praecipere cogitatione futura.* Confer Nonium *Cap.* 4.

Intacta omiserunt Editores haec Ejusdem in *Cap.* 20.: *Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves, et feras homines, et de hominibus arbores atque flores?* suspecta visa fuerunt Viro Docto in *Obs. Misc. Amstel. Vol.* 1. *p.* 29., vehementior vero crisis, quam exercendam ibidem proponit, *τα homines et de hominibus* ejicienda, expungendaque esse arbitratus: Rescribam potius *e* vel *ex feris homines, et de hominibus arbores.*

Spiritus, inquit Minucius *Cap.* 26., *sunt insinceri, vagi, a coelesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus* DEGRAVATI. Reponendum puto *depravati*, quae vox in sequentibus repetitur, et huic loco magis convenit.

Eorum Magorum, sic pergit ibidem, *et eloquio et negotio primus*, hoc est, qui non praedicavit tantum res maximas, sed et effecit, *Hostanes et verum Deum merita majestate prosequitur, et angelos, id est, ministros et nuntios Dei, sed veri, ejusque* (rescribo *ejus quoque* puta Numinis) *venerationi novit assistere.*

Quid Plato, qui invenire Deum negotium credidit, nonne et angelos sine negotio narrat, et daemonas? et sympofio etiam suo naturam daemonum exprimere connititur? Adeone itaque sollicitus fuit Plato de inveniendo Deo? naturam scio Dei investigare ac cognoscere velle, hominis non esse fuit arbitratus, Deum tamen esse, de eo quidem nunquam dubitandum credidit: Numen itaque supremum invenire rem arduam non existimavit, aut negotii plenam, sed facilem. Quid vero? eademne facilitate angelos narrat? ipsum audi Philosophum in *Timaeo*: Graeca Latine exhibeo: *Caeterorum vero, qui daemones appellantur, et cognoscere, et enuntiare ortum, majus est opus, quam ferre nostrum valet ingenium.* Paucis dico: Deum unum esse, rem certam credidit Plato, quae de daemonibus narrat, dubitanter idem profert. Quid multis morer? ita locum restituendum opinor: *Quid Plato, qui invenire Deum negotium non credidit, nonne et angelos summo negotio narrat, et daemonas?* interpretor *id est daemonas:* operam multam in eo posuit, ut narraret et exponeret, quid sentiendum sit de daemonibus. *Omni negotio* dixit *Cap.* 14., hoc est, omni ope, diligenter.

Substantiam ... ex qua movet etiam in nos proprie cupidinem amoris, et dicit informari et labi pectoribus humanis. Lego: *ea*, vel *et quae movet etiam in nos* (id est, in nobis, vel *in nob*, pro *nobis*) *proprie cupidinem amoris, et dicit insinuari, et labi pectoribus humanis.* Innuit Auctor locum Platonis in *Sympofio: Omnis natura daemonum inter mortales Deosve est media. Quam vim habet? interpretatur et trajicit humana ad Deos, divina ad homines.* Confer quae narrat idem de daemonum natura in *Epinomi*, ea quae non exiguam lucem adferre animadvertes illis, quae tradit Minucius in *Cap. seq* 27.

XLVIII. Cap. 33, sic infit Noster: *Nec nobis de nostra frequentia blandiamur: multi nobis videmus*, (lego *videmur*) *sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus*, (malo *distinguimur*) *Deo una domus est mundus*

 hic

hic totus. Reges tantum regni sui per officia ministrorum universa novere: Deo indiciis opus non est. Expono: Reges nullo alio modo novere universa regni sui, nisi unice per officia ministrorum suorum, indicantium quid fiat, fierive debeat, Deo, cui patent omnia, indiciis aliorum non est opus. Paulo aliter explicat Klotzius *l. c. p.* 15.

Varie mutant Interpretes, neque tamen quidquam expediunt, in iis, quae ibidem sequuntur: *Caeterum de incendio mundi, aut improvisum ignem cadere,* AUT *difficile* NON *credere, vulgaris erroris est.* Addita adspiratione, itemque *modo* pro *non* substituto, qui error est frequentissimus, sic expono: Caeterum quod attinet ad futurum mundi incendium, aut opinionem nostram, subito atque improviso igne, qui de coelo decidet, crematum iri universam hanc, quam incolimus, mundi machinam, *haut difficile modo* est *credere*, vere hoc futurum, sed et, si error is est, ac vana opinio, *vulgaris* ac communis *error is est.*

Interpositis paucis ita pergit: *Fontium dulces aquas maria nutrire, in vim ignis abiturum Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat.* Emendo, ac distinguo hoc modo: *Fontium dulces aquas maria nutrire in vim ignis, ac futurum* esse *Stoicis constans opinio est, quod* (pro *ut*) *consumto. . . .* Praesens tempus pro futuro poni novum non est.

Idem Cap. 38. in fine, *fruamur*, inquit, *bono nostro, et recti sententiam* TEMPEREMUS. Cel. Klotzius *p.* 16. substituit *teneamus:* non inconcinne profecto, neque audacius. Dubito tamen, an interpretationem sat commodam admittat vox *tempero*, si accipias pro tempori adcommodare. Fruamur nostri temporis felicitate, et rectam veramque de divinitate sententiam, quae nostra demum aetate maturuit, sequamur. Confer quae de notione vocabuli hujus proposui supra *p.* 41.

Quamvis cedam omnino eidem Viro litteratissimo, vindicari posse lectionem vulgatam in Cap. 40: *Etiamnunc tamen aliqua* CONSUBSIDUNT, *non obstrepentia veritati*, neque etiam improbem conjecturam existimantis pro *con* rescribendum esse *cum*, hoc est, quia, praeferam tamen, si mei esset res arbitrii, CTA *subsidunt*, Diacono duce expono, *capita subsidunt.*

XLIX. Minucium sequatur Ambrosius. Unicum ejus locum, qui est in *Hexamer. Lib. 6. Cap. 9.*, paucis restituere conabor. *Quanto igitur major*, inquit, *humani capitis ornatus est? qui cerebrum nostrum, hoc est, sedem, originemque nostrorum sensuum capillis* CAPITIS *munit et vestit, ne aut frigore vexetur, aut aestu: illic enim fons universorum est: et ideo* UBI *injuria nocet, ibi gratia* PRAEMINET. *Quid sine capite est homo? cum totus in capite sit . . . . Non immerito igitur huic, quasi* CONSULTORI *suo, caetera membra famulantur, et circumferunt illud servili gestamine sicut numen, atque in sublime locatum vehunt, unde censoria potestate, quo vult, dirigit quorundam obsequia servulorum, et praecepta singulis obeunda decernit: videas imperatori suo singula gratuito stipendio militare.* Stare non posse *capillis capitis*, quivis intelligit. Quid si reponamus *capillis cautus*, hoc est, prudenter, sapienter, caute? Constat ex Magnone *cautus* scriptum fuisse olim per CAT, perperam hanc notam exposuit librarius. In se-

fequentibus fic malo: *ubi ubi injuria nocet, ibi gratia perpetuo remanet*, P fcimus fimplex, itemque duplicatum, *perpetuo* defignare. *Injuriam* eleganter pofuit Auctor pro damno corpori illato. Quocunque in loco corporis partes reliquae laefae fuerint, aut debilitatae, in capite femper remanet gratia: totus enim in capite eft homo. *Confultori* dictum puto pro *Confuli*, quo nomine haud quidem infcite appellatur Conful, quia confulebat Senatum, hoc eft, Patres fententiam rogabat. Uti autem Confuli parent cives, fic capiti *caetera membra famulantur, et circumferunt illud* caput *fervili geftamine, ficut numen* fuum, ex cujus nutu, tanquam fervi ex imperio dominorum fuorum, pendent, *atque in fublime locatum* caput, hoc eft, in fublimi pofitum, ubicunque fecum *vehunt*. Cogita quaefo notiffimum Poëtae: *os homini fublime dedit. . . . .* Pergit: *unde*, ex fublimi fc., caput *cenforia poteftate*, ficuti enim cenfor, praefectus morum, partes dat alias alii, exempli gratia, Senatori remoto equeftrem tribuit ordinem, Equiti plebejum, ita caput, praefectus corporis, *quo vult, dirigit quorundam* (ordine quorumcunque fuo, modo hujus, modo illius: nefcio tamen an praeftet *quorumcunque*) *obfequia ferwulorum* membrorum. Haec fi cui minus placeant, videat, num plus faveat conjecturis, quas propofuit Frater in *Obf. Jur. Rom. Cap.* 14. Adpofite Jo. Sarisber. *de nug. Cur. lib. 6. cap.* 25. *laefio capitis ad omnia membra refertur, et cujusque membri vulnus injufte irrogatum ad capitis fpectat injuriam.*

L. Vitiata plerisque vifa fuere haec Aurelii Victoris, qui Conftantium regnantem vidiffe fe probat, quem *Imperatorem noftrum* nominat *de Caefarib. Cap.* 41. *Num.* 10., alteriusve auctoris, in libello *de Orig. gent. Rom. Cap.* 1. *Num.* 6. (fequor editionem Cl. J. Arntzenii) *Quare autem addiderit* TUTUS Virgilius, *fuo loco pleniffime annotavimus in commentatione, quam hoc fcribere coepimus, cognita ex eo libro, qui infcriptus eft de origine Patavina.* Sunt qui *quam* intelligunt pofitum pro *antequam*, accipiuntque, puto, librum *de origine Patavina*, ab ipfo Aurelio editum. Doctiffima interpres, Anna emendandum cenfet, *quum hoc*. Cl. Klotzius *l. c. Cap.* 8. mavult, *quam nos*. Vide, num placeat, *quam de hoc*, licet et fubintelligi fortaffe poffit praepofitio, vel *hodie fcribere coepimus*. Ea autem, quae annotavimus ibi, cognita nobis fuere ex eo libro, qui circumfertur fub titulo *de origine Patavina*.

Corruptiora multo funt haec ejusdem de Caefaribus Cap. 3. Num. 8.: *Denique nactus poteftatem* Caligula, *uti talia ingenia veteris folent anni menfibus, egregia ad populum inter partes cum militibus geffit.* Varia funt, quibus monftrum lectionis refingere Interpretes laborarunt, remedia. *Veros folent animos mentiri* non infcite repofuit Klotzius. Scriptum exftitiffe conjicio: *delere veteris folent anm m eim rebus egregia ap populum inter patres. . . .* Praeeuntibus Triumviris, qui de notis fcripferunt, fic explico: *Denique nactus poteftatem* Imperatoriam, *uti talia ingenia delere veteris folent animi memoriam ejusmodi rebus, egregia apud populum* non tantum, fed et *inter Patres*, nec non *cum militibus geffit*. Poffis et *ad* pro *apud* ufurpatum ftatuere. *Delere* vocem expunxit fequens vocabulum, foni non diffimilis, *veteris*.

Quod mox indicavimus, factum nonnunquam, ut omiffa fuerit a librariis

 vox,

vox, cujus vel sonus, vel scriptura prope convenit vocabulo aut insequenti, aut praecedenti, idem credo obtinere in his dicti Auctoris *l. l. Cap.* 5. *Num.* 10: *Namque ubi mentem invaserint vitia, nequaquam verecundiae externis societate humanius datur peccandi consuetudo, nova et dulciora affectans, ad extremum in suos agens.* Nullum sensum efficere verba proposita, quivis intelligit: quo modo ea reparare studuerint alii, consule Commentatores ad *d. l.*, et Eruditiss. Klotzium *p.* 39. Ego sic corrigo: *nequaquam* (nisi malis *ne quidem*, aut *nec quaquam*) *verecundia exterritis in* (quod postremum tamen saepissime subaudiendum omittitur) *externis, societateve humanitatis, datur* . . . . . quamvis tamen necesse non sit *ve* addere, siquidem disjunctiva haec particula haud raro omittitur. Sic noster in *Epit. Cap.* 44. *Num.* 4.: *Cruditate stomachi, tectorio novi operis gravatus.* Eodem forte modo exponenda lectio *L.* 32. §. 1. *D. de Aur. Arg. leg. Aurea emblemata, quae in lapidibus, apsidibus argenteis essent*, quo loco *lapidibus* plerique ejiciunt, alii emendandum ceusent, vid. Schroder *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 11: Ubi semel hominum mentes corruperunt vitia, neque amplius locus datur verecundiae, qua deterreri alioquin, ac retineri solent boni, quo minus sceleribus ac pravis facinoribus se obstringant et mancipent, neque observatur ratio societatis, quae, natura duce, cogit quasi, ac compellit mortales, ad id, ut consulat unusquisque saluti, non tantum suorum, sed universorum, mox postquam eo processerunt audaciae, ut in externos ferali crudelitate saevire non vereantur, fit iis peccandi consuetudo, adeo, ut et nova atque insolita, quin et inaudita genera nequitiae atque immanitatis, qualia plerumque dulciora esse consueverunt monstris istiusmodi, invenire cupiant, eo ad extremum impietatis feruntur, ut nec suis parcant.

Pari remedio sanandum videtur vitium, quod exstat in *Epit. Cap.* 43. *Num.* 4. Julianus, inquit, *defecit, praefatus, consulto sese de imperio nihil mandare, ne, uti solet in multitudine discrepantibus studiis, amico ex invidia reip. discordia exercitus periculum pararet.* Rescribo: *amico exitium ex invidia, reipublicae discordiam, exercitui periculum pararet.*

LI. De Nerone refert Idem *de Caesarib. Cap.* 5.: *Noxiorum vinctis modo, pelle tectus ferae, utrique sexui genitalia vultu contrectabat; exactor parium majore flagitio.* Varie mutant alii: miror, nemini in mentem venisse ita corrigendum: *noxiorum vinctus modo, . . . contrectabat, exsector partium* genitalium *majore flagitio.*

Corrupta sunt haec *d. l. Cap.* 16.: *Ut is Marcomannos . . . . petiturus, philosophorum obtestantium circumfunderetur. . . . . Ita incerta belli ejus salute doctrinae studiis metuebantur . . . . vadimoniorumque solenni remoti denuntiandae litis operiendaeque ad diem commode jus introductum.* Restituo: *vi philosophorum . . . . et ejus salutem doctrinae studiis metiebantur . . . . vadimoniorumque solennib remotis*, (nisi malis cum Grutero *solenni remoto*) *den. l., oper. ad diem condictum jus int.*

Ibidem *Cap.* 20. *Num.* 6.: *Quod equidem gentis nostrae reor, quae fato quodam bonorum parte foecunda, quos eduxit tamen, quemque ad celsa suos habet.* Repo-

pono: *Quod* (vel *quam*) *equidem gl* (*gloriam* exponit Valerius) *gentis nostrae reor, quae fato quodam bonorum* (an *bonorum?* usque adhuc fuit) *parum foecunda, quos* (gentiles nostros, nisi praeferas *quam*, aut *quod*, sc. fatum) *eduxit tamen* (aut *tandem*, hoc est, promovit hoc tempore) *quodque* fatum *ad celsa suos* quibus id favet *babet*, servat, sed praeferam *trabit*.

LII. Ibidem Cap. 23. Num. 1.: *Translatoque Romam Dei simulacro in palatii penetralibus* (*palatia*) *constituit.* Uncis inclusam vocem exsulare jubent plerique. Cl. Klotzius *penatium* latere nomen conjicit. *Palam* restituendum censet Cel. Arntzenius. Scriptum fortasse fuit *palā d.i.d.*, hoc est, *palam dedicatum inter Divos*, aut *Deos*, *constituit*.

Quae sequuntur: *Quippe orbe tote* (intelligo imperium Romanum) *obscoenissimos perquirebat, visendis, tractandisve artibus libidinum* FERENDARUM, varie mutant alii: Cl. Klotzius exponit: *quae iis perferendae erant.* Malim *inferendarum*, quod positum pro *non ferendarum*. Ita *inliber* pro non liber est in glossis Servii. M, uti centies alibi, *in* absorpsit. Interpretor, cum quibus, quorumve artibus, ope, et consilio investigaret, inquireret, et exerceret artes libidinum, quas ferre non poterant honesti pudicique.

LIII. Ibid. *Cap.* 24. *Num.* 5. sic prostat: Alexander Severus *opus urbi florentissimum* CELEBRIO *fabricatus est.* Thermas intelligunt plerique *Alexandrinas*, *Severianasque* dictas, de quibus Lamprid. in *Alex. Sev. Cap.* 25., et Spartianus *Cap.* 19. Pro *celebrio* alii *et celeberrimum*, alii *celebreque* substituunt. Sunt qui *Serapium* reponunt. Quodsi divinationibus datur locus, rescribo: *florentissimum m. celebri o.*, expono *marmore celebri opertum.* Ita de eo Lamprid. *l. c. Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est, Porphyretico et Lacedaemonio, primus instituit, Palatio exornato hoc genere marmorandi.*

LIV. Ibid. *Num.* 6. ita exhibetur: *Adhuc Domitium Ulpianum, quem Heliogabalus Praetorianis praefecerat, eodem honore retinens, Pauloque inter exordia patriae reddito, juris auctoribus, quantus erga optimos atque aequi studle esset, edocuit.* De Julio Paulo, Jurisconsultorum praestantissimo, accipienda esse dicta haec, nullus dubitavit, quem conjiciunt, licet aliunde de eo nil quidquam constet, ab Heliogabalo remotum, ab Alexandro restitutum fuisse. Varie deinde scripturam depravatam mutant, atque exponunt Interpretes ad *l. c.*, nec non illi, qui vitam Pauli tradiderunt. Quid si restituamus in hunc modum: *adhuc .... retinens, pauloque m.* (hoc est, *magis*) *inter exordia* (aut potius *imperii exordio*) *patriae reddito juris auctore, civibus* (ita cadente Latinitate dixerunt) *quanto is erga optimos atque aequos studio esset, edocuit.* Praeterea Domitium Ulpianum, quem Heliogabalus Praetorianis praefecerat, non removit, pessimo dicti Principis exemplo, sed eodem honore restitutum retinuit, et jam fere primordio imperii sui, paulo post quam Principatum fuerat adeptus, patriae reddito Jurisconsulto, praeclaris ingenii monumentis, quae de jure reliquit, ac justitia singulari celeberrimo, omnibus palam fecit, quantam curam habuerit virorum bonorum, aequi rectique tenacium. Scribit Lamprid. *in Heliog. Cap.* 16.: *Removit et Ulpianum Jurisconsultum*, UT *bonum*

num virum. Malo *ut ut*, vel *at*. Idem *in Alex. Sev. Cap.* 31.: *Neque unquam solum quemquam, nisi praefectum suum, vidit, et quidem Ulpianum, ex assessore semper suo, justitiae singularis: quum autem alterum adhibuit, et Ulpianum rogari jussit.* Emendo: *unum ex adsessoribus semper suis.* Severum Imp. Ulpianum pro tutore habuisse testatur Lampr. *ibid. Cap.* 51.

Dum de Ulpiano mentio iterum incidit, obiter observo, Athenaei locum *Lib.* 15. *Cap.* 10., ubi εὐτυχῶς diem supremum obiisse scribit Ulpianum, non de Icto nostro accipiendum videri, quem intelligit Casaubonus ad Lamprid. *in Alex. Sev. Cap.* 51., sed de Ulpiano Sophista cogitandum esse, a Domitio diverso, cujus mortem ideo praedicat felicem, quia inopinato casu defunctus nullo cum aegritudinis longae taedio fuit conflictatus. Confer quae notavi supra *p.* 43. Scriptorum, quicunque de Ulpiano exposuerunt, catalogus exhibetur in *Hallische Beytrage zu der Juristichen Gelehrten Historie*, quod opusculum elegantissimum in lucem prodidit Dan. Nettelbladt, *Part.* 1. *p.* 526., et *Part.* 2. *p.* 702. *sq.*, plenissime denique *Part.* 3. *p.* 199. *sq.*, et *p.* 211., quo loco repraesentatur *A. Stegeri Domitius Ulpianus ICtus*, postremo *ibid. p.* 248. refertur *Chr. Wollii epistola critica de Hebraismis Ulpiani ICti*, in qua Vir Eruditissimus Domitium nostrum rectissime defendit. Adde, quae collegit B. P. Vicat in *Vocabulario Juris Tom.* 2. in v. *Domitius*, *et Tom.* 4. v. *Ulpianus.* Reinold. in *Opusc. Jurid. p.* 308. Latini sermonis non imperitum judicat Ulpianum, licet adgnoscat in eo singularia quaedam, et Ciceroni indicta. P. Colvius *in notis ad Apulej. p.* 60. appellat *non solum juris nostri, sed et Latinitatis probatissimae auctorem.* C. Eckius *in Dissert. de* 7. *damn. leg. D. Cap.* 5. *Ulpianus*, inquit, *quo nemo quisquam, unum Alfenum si excipias, elegantius Latine locutus fuit.* Junge quae supra dixi *p.* 4. Unde nomina sua acceperit Domitius Ulpianus, qui ex Phoenice in Syria, splendidissima Tyriorum colonia, originem se ducere refert in *L.* 1. *pr. D. de Censib.*, certo non constat. Romana nomina videntur, sive a majoribus suis recepta, in urbem civitatemque admissis, sive ab ipso, in civitatem primum adoptato, adscita. Civitate donatos donantis nomen adsumsisse probat Forner. *Rer. Quot. Lib.* 5. *Cap.* 17. Domitia gens Romae nobilis exstitit. Jam antiquissimis temporibus memorabile Domitiae factum laudant annales, quae, *cum Galli Capitolium obsiderent, et deessent funes Romanis ad tormenta facienda, prima crinem suum exsecuit, unde facta tormenta*, teste Servio ad *Virg. Aen.* 1. *v.* 724. Vespasiani Imp. uxor *Domitilla*, id est *Domitia*, nominata. Ulpia quoque familia Romae fuit celeberrima. Ipse Trajanus Augustus *Ulpius* dictus. Pluribus de *Ulpii* nomine egit Pater in *Monum. Dodenw. Cap.* 9., add. Cl. Tijdeman *in Ulpio Marcello Cap.* 1. Ulpianus forte appellatus vel a matre *Ulpia*, sic uti Domitianus a Domitia, vel per adoptionem. Nominum rationem ex professo exposuit Pater in libello singulari *de mutata Romanorum nominum sub Principibus ratione.*

LV. Ibid. *Cap.* 41. *Num.* 10.: *Illi* Constantino *praeter* ADMODUM *magna caetera, huic* Licinio *parcimonia, et ea quidem agrestis, tantummodo inerat.* Repono *praeter rat.* aut, si id praeferas, *grav. morum*, hoc est, *praeter rationem*, vel *gravitatem morum.*

LVI.

LVI. In Epitomes *Cap.* 41. *Num.* 2. ſic exhibetur in pleriſque codicibus: *ad patrem in Britanniam* SITUM *pervenit.* *To ſitum* omittendum arbitrantur plurimi. Cl. Klotzius mutat *cito.* Lego: *ſt. tempore pervenit.* Probus explicat *ſtatuto.*

LVII. Ibidem. *Cap.* 43. *Num.* 5. ſic exhibent libri vetuſti: *Fuerat in eo litterarum ac negotiorum ingens ſcientia: eo juverat philoſophos et Graecorum ſapientiſſimos.* Codices nonnulli *eo juvaverat*, quod eodem redit: ediderunt alii, ex conjectura, puto, *aequaverat.* Cl. Arntzenius *eo* accipit ea re, ea ſcientia. Latere ſuſpicor vocem *audiſſe*, per compendium ſcriptam, ut plene ſit: *eo juverat audiſſe philoſophos.* . . . . . Diaconus A. AT. explicat *antea audita.*

LVIII. *Magis*, itemque *minus*, vocabula contrariae plane ſignificationis, permutata aliquando inter ſe a librariis fuiſſe in ſcriptis veterum, dubitari vix poteſt. Cauſam opinor eſſe, quod utraque vox una littera M notata olim fuerit. Ovidius *Lib.* 3. *Epiſt.* 15. *in fine ex Ponto:*

Teque meae cauſam ſervatoremque ſalutis,
Meque tuum libra norit et aere minus.

Omnino reponendum eſt *magis*, et cum Jac. Micyllo exponendum: norit me magis eſſe tuum, quam ſi per aes et libram a te emtus, atque adeo tibi mancipatus, tuus ſim ex jure Quiritium.

Pari modo in *L.* 4. *C. de praed. et al. reb. min.* pro *multo magis*, reponi vult *multo minus* Leoninus in *Emendat. Lib.* 3. *Cap.* 3. *Num.* 4. Sic Impp. *Non ſolum per venditionem ruſtica praedia, vel ſuburbana, pupilli, vel adoleſcentes alienare probibentur: ſed neque tranſactionis ratione, neque permutatione, et multo* MAGIS *donatione, vel alio quoquo modo ea* TRANSFERRE *ſine decreto a dominio ſuo poſſunt*, pupilli, puta, vel adoleſcentes. Quare ibidem cum Leonino pro *transferre* reponamus *transferri* rationem video nullam.

In *L.* 3. *C. de judiciis* ſic reſcribit Alexander: *Quoties quaeſtio ſtatus bonorum diſceptationi concurrit, nihil probibet, quo* MAGIS *apud eum quoque, qui alioquin ſuper cauſa ſtatus cognoſcere non poſſit, diſceptatio terminetur.* Subſtituendum eſſe *quo minus* ratio docet. Confer Ant. Bartolinum in *J. Gruteri Theſ. Crit. Tom.* 1. *p.* 713. add. quos citat D. Gothofredus.

LIX. Ita Ampelius in *Libro Mem. Cap.* 14. de Tyrtaeo, Poëta ac Duce nobili: *Poenateas vota militum animos concitavit, ut tam diuturnum praelium victoria conſummarent.* Repono: *poëmatib. ſ. et voce ita*, hoc eſt, *poëmatibus ſuis, et voce ita*, quamvis et conjunctivam voculam poſſis ſubaudire. Horatius in *Art. Poët. v.* 402.

Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.

Ibidem *trecenti*, inquit, *ſub Calpurnio Flamma contra Poenos, qui in Sicilienſi ſal-*

faltu, MORTUO *exercitu*, *populum Romanum liberaverunt*. Freinshemius emendat *moritur*, alii fubftituunt *mortui exercitum populi Romani*: repugnat Florus *Lib.* 2. *Cap.* 2. *num.* 13., qui *eximia*, ait, *virtute Calpurnii Flammae*, *tribuni militum*, *evafimus*, *qui*, *lecta CCC manu*, *infeftum*, *et infeffum ab hoftibus tumulum occupavit*, *adeoque moratus hoftem*, *dum exercitus omnis evaderet*, . . . *hoc illuftrior nofter*, *quod expeditioni tantae fuperfuit et fupervixit*. Tu lege *morato exercitu*, quod dictum pro *moratus exercitum*. *Moro* pro *moror* dixere Ennius et Pacuvius. Vide Ennii fragmenta *p.* 307.

Idem Cap. 33: *Attalus*, *qui pro Romanis faepe pugnavit*, NAM *teftamento fuo populum Romanum heredem fecit*. Pro *nam* Perizonius reponit *tandem*, fcripturae compendia expono *nepos autem*.

Cap. 49. AB ITERATIONE *cenfus*, *ut optimus et locupletiffimus quisque in fuffragiis*, *id eft*, *in populo Romano*, *plurimum valeret*. Alii *ab inftitutione* corrigunt. Lego: *additus ea ratione cenfus*.

LX. Ifidorus *Orig. Lib.* 1. *Cap.* 3., ficuti exhibet vulgata: *Simonides* MILES *fimiliter tres alias* litteras *adjecit*. Vocabulum *miles* omittunt editiones aliae, ineptum procul dubio hic loci, fi pro militante accipias. Scripturae compendio exaratum fuiffe conjicio *melic*, expono *Melicertes*. Duorum Simonidarum meminit Suidas, ex Ceo infula oriundorum, eosque ambos refert *Melicertae* cognomine dictos fuiffe. Poffis et interpretari *Milefius* Mileti civis.

LXI. Agmen porro fequantur pericula quaedam critica, quibus adjuvare conabimur Ciceronis opufcula de Legibus, quae, dolendum eft, non integra ad nos effe tranfmiffa, fed et, quae fuperfunt, fragmenta eorum mifere lacerata confpici. Secutum me fcias editionem If. Verburgii.

Ita TULLIUS LIB. I. DE LEGIBUS CAP. I: *Si manet* ILLA *quercus*, *haec eft profecto* Vide, an mecum praeferas *ulla*.

Ibidem *atqui*, inquit, *multa quaeruntur in Mario fictane an vera fint*: ET *a nonnullis*, *quod et in recenti memoria*, *et in Arpinati homine* VEL SEVERITAS *a te poftulatur*. Varie mutant alii. Nifi deterreret grande fupercilium tuum, ac feveritas cenforia, vim fieri vetantis, fic interpreter atque emendem: *at* multo magis *a nonnullis*, *quod et in recenti memoria*, *et in Arpinati homine*, cui adeo popularis fuit Marius tuus, res geftae proponantur, *vl. f. f. veritas a te poftulatur*. Auctoribus Diacono et Valerio expono: *videlicet fine fraude veritas*. Firmat conjecturam, quod mox fequitur: *ut a tefte veritatem exigant*.

Subobfcura mihi quidem vifa fuere haec CAP. IV: *Icti hoc civile*, *quod vocant*, *eatenus exercuerunt*, *quoad populum praeftare voluerunt*. *Id autem incognitum eft*, *minusque in ufu neceffarium*. Intelligo: eatenus tantummodo exercuerunt jus, quod ifti vocant civile, ut formulas dederint ac praefcripferint, a fe inventas ideo ut ipfi omnibus negotiis intereffent, ac folennitates edocuerint, a populo edifcendas atque obfervandas, caetera parum folliciti de eo, quid judicari oporteat ex jure legitimo. Eaene autem formulae incognitae funt? licet equidem non negem in ufu eas effe neceffarias.

CAP.

CAP. VII. *Nam, si hoc* NON *probas.* Contextus loci, nisi me fallunt omnia, requirit, ut substituamus: *si hoc modo probas.*

CAP. VIII. *Cumque alia,* QUIBUS COHAERENT HOMINES, *e mortali genere sumserint.* Explicari possit: ex quibus constant homines. Malo: *quae sibi cohaerent, homines. S* pro *sibi* positum fuisse Probus testatur.

IBIDEM. *Ex quo efficitur illud, ut is* homo *agnoscat Deum, qui, unde ortus sit,* QUASI *recordetur, ac noscat.* Offendit admodum *τo quasi,* neque quidquam extricant commentaria Interpretum. *Quantus* constat et *quasi* vocabula una Q littera fuisse scripta: emendo itaque: *qui, unde ortus sit, quantus sit, recordetur, ac noscat,* quantus sit Deus, unde originem traxit.

CAP. IX. Crisi non indiget lectio vulgatarum: *Natura . . . . rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias enudavit.* Neque tamen adstipuler Jo. Scheffero, qui in *Miscell. p.* 200. desperatam habet scripturam Codicum, qui referunt: *Obscuras ne satis intelligentias enudavit:* quis enim dubitet recte ita reponi? *Obscuras, nec satis intelligendas* alioqui res *enudavit.*

CAP. XI. *Propterque* (in aliis est *propter quam*) *honestatis.* Corrigo *propter quidem.*

Nec si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco, qui canem et felem ut Deos colunt, non eadem superstitione, qua caeterae gentes, conflictantur. Per interrogationem haec interpretatus *non* accipio *nonne.*

CAP. XIII. *Attice videtur.* Plenum habebis, rectumque sensum, si subintelligas *si.*

CAP. XIV. *Itaque poenas luunt, non tam judiciis . . . . ut eos agitant, insectanturque furiae.* Pro *ut* scribo *at.* Similis error fuit, credo, librarii, in describendis his Martialis *Epigr. Lib.* 2. *Ep.* 44.

> *Emi seu puerum, togamve pexam,*
> *Seu tres, ut puto, quattuorve libras.*

Nil extricat Heraldus, qui reponit *supputo,* neque Gruterus, praeferens *ut puta.* Doctiss. A. de Rooy conjecit nuperrime, sic substituendum:

> *Ad tres, ut puto, quattuorve libras.*

Malo:

> *Seu tres ad puto quattuorve libras.*

Si quando servulum mihi comparavi, aut togam novam, imo vero si vel ad trium, aut quatuor maximum librarum summam putanda mihi est ratio cum mercatore argentariove.

Gravius mendum est in his ejusdem Poëtae *Lib.* 6. *Ep.* 25.

> *Cauta sit ut virtus, ne te temerarius ardor*
> *In medios enses, saevaque tela ferat.*

Bella velint, Martemque ferum rationis egentes:
Tu potes ET PATRIAE *miles, et esse decus.*

Ineptius alii:

Tu potes et patris miles et esse ducis.

De Rooy mutat:

Tu poteris patriae miles et esse secus.

Mihi placet:

Tu potes, ut parcas, miles, et esse decus.

Quamvis tu quidem non in medios enses feraris, ausu temerario, damnando; sed cautus tibi ipse parcas, poteris tamen militiam sequi non inglorius. *Quaeso tandem aliquantulum tibi parce* dicit Chremes apud *Ter. in Heaut.* I. I. 112.

In *Lib.* 8. *Ep.* 11. sic editur:

Nullum Roma ducem, nec te sic, Caesar, amavit.

Varie tentant alii. Restituo:

Nullum Roma ducem, quam te, sic, Caesar, amavit.

Q litteram, N esse perperam credentes, scribae exposuerunt *non* vel *nec.* Ibidem Ep. 17.

Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, causam,
Misisti nummos quot mihi? mille, quid est?

Quid id mavult De Rooy. Praeferam:

Misisti nummos quod mihi mille, quid est?

Quae causa est, quod mille tantum misisti? adjuvat conjecturam scriptura veteris codicis.

Ita prostat in *Lib.* 10. *Ep.* 95.

Saepe loquar nimium gentes quod, Avite, re motas,
Miraris, Latia factus in urbe senex,

Auri-

Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salonem,
Et repetam saturae sordida rura casae.

Est qui conjicit:

Et referam Hispanae sordida rura plagae.

Recte hoc modo scribere potuisse Poëtam adsentior, sic dedisse eum, nemo quisquam, puto, nisi omnem penitus libris scriptis fidem is deroget, sibi persuaderi sinet. Concedimus ista luxuriantibus ingeniis eorum, qui immemores conjecturas se prodere, quibus a librariis corrupta loca veterum emendaturos se promiserunt, ipsorum Auctorum dicta corrigere instituunt. Simplicissima, an nulla, mutatione sic refero:

Et repetam sature sordida rura casae.

A *satur*, an *saturus*, descendit adverbium *sature*, pro quo *satulle* dixerunt alii per deminutionem, id quod positum pro copiose, abunde. *Sordida rura casae* accipio rura sordidae casae, hoc est, sedis avitae.

Offendit merito multos vox *rasit* in his *Lib.* 12. *Ep.* 5.

Longior undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, et breve RASIT *opus.*

Sunt qui interpretari videntur, contraxit, in compendium redegit. Cedo. At quis ita rasit? Poëta respondes: dixisse igitur oportuerat *rasum*, aut *rasi*, vel *rasimus*. Emendant alii *vasit* pro *evasit*. De Rooy reponit *lusit*. Mihi sic videtur rescribendum:

Arctatus labor est, et breve restat opus.

Rectissime, opinor, inconcinni quid inesse vidit De Rooy in his *Lib.* 12. *Ep.* 26.

Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis.

mutarique vult *ceu tu*, malim *sic tu.*

Non temere quoque Idem in *l. l. Ep.* 53. pro

Et quid tu fatuos, rudesque quaeris?

corrigit *at quid.* Praeferam tamen leviore mutatione, siquidem praecedit *rapacitatis*, reponi *sed quid.*

Opinantur plerique inesse quid vitii in *Lib.* 10. *Ep.* 104.

Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
Jucundos mihi, nec laboriosos
Secessus spatio paret salubri.

Mutant alii *pretio salubri*, Rutgersius *pretio selibri*, De Rooy *pretio paret*, *sed illos*. Nollem factum. Quid mirum eum, ex cujus sententia

Non est vivere, sed valere, vita,

Vid. *Lib. 6. Ep.* 70. *v. ult.*, secessus sibi quaerere in spatio salubri, hoc est, loco valetudini prosperae conservandae augendaeque commodo, opportunoque, ubi spatiari possumus? Recte Cornelius Fronto: *salubre et ad locum refertur, et ad cibum.* Ita *salubre frigus* dixit Noster 10. *Ep.* 30. *salubre corpus* 10. 47. *Ingrata lati spatia campi* memorat idem 3. 58. *Locum et spatium* conjungit Lucret. *Lib.* 1. *v.* 427.

Tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus.

Parco pluribus in re notissima.

Haec sunt. Jam tumidus vocat magister,
Castigatque moras. Vale Valeri.
Navem, scis puto, non moratur unus.

Cap. XVII. *Nos ingenia juvenum, non item ad ingenia: naturae virtutes et vitia, quae exsistunt ab ingeniis, judicabantur? an ea non aliter?* Repono: *Nob.* id est, nobis, *ingenia juvenum non item ad ingenita naturae virtutes et vitia quae existunt ab ingeniis, judicabuntur? an ea modo aliter?* Ut verum tamen fatear, glossema videntur, *quae existunt ab ingeniis*, interpretationis causa addita, qua explicaretur τ *ingenita*, quae ex margine dein in textum irrepsit.

Cap. XIX. *Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia.* Quod in Coll. Leg. Mos. et Rom. *Tit.* 3. §. 3. positum vidimus *pudicitiam* pro *inpudicitiam*, idem hoc loco factum fuisse suspicor. Accipe stuprum infame, nefandum, quod pluribus exponere pudor vetat.

Utrum autem diversam ac plane contrariam significationem hanc admittat vox, an potius scripturae levis error sit habendus, dubito. Hoc constat, vocabula esse plurima ambiguae notionis, quae in utramque partem, bonam et malam, possunt accipi. Ne de *fortuna*, *valetudine*, aliisve sexcentis memorem, *adversum* novimus denotare plerumque ac vulgo, contra. Alio tamen, imo diverso admodum sensu, usurpavit Terent. *Andr. Act.* 1. *Sc.* 1. *vs.* 15.

Id gratum fuisse ADVERSUM *te, habeo gratiam.*

In-

Interpretationis caufa *adverfum* voci in editione Argentinenfi, quae prodiit anno 1499., fuperfcriptum apparet *apud.* Sic autem ibidem Scholiaftes: ADVERSUM *non declarat contrarietatem.* ADVERSUS *autem dici poteft, et* ADVERSUM, *fic ut* RURSUS, *et* RURSUM. Donatus quoque exponit *apud te, et penes te.* ADVERSUM, addit, *fine dubio praepofitio eft*, ADVERSUS *participium poteft effe, ab eo quod eft* ADVERTO, *ficut alibi:* (Innuit forte locum ex Andr. I. I. 37. ADVERSUS *nemini*). *Ergo* ADVERSUM TE *dixit, quod* (in aliis eft *pro*, poffis et reponere *quafi*, nifi malis pofteriora haec gloffema arbitrari) *apud te.* Junge Ter. Andr. I. 5. 30. *adverfum hunc loqui*, ibique Donatum noftrum. Commentatores explicant *coram*, advocantque Plauti auctoritatem, quo eodem modo et Prifcianus Comici verba intellexit *Lib.* 18., qui Atticos adjungit dixiffe ἐναντίον τοῦδε, pro, *coram illo.* Idem *Lib.* 14.: ADVERSUM *quoque ideo praepofitionem effe putaverunt, quia pro* ἐπὶ, *Graeca praepofitione, folet aliquando poni, ut Terentius in Andria:* ID GRATUM FUISSE ADVERSUM TE, HABEO GRATIAM. *Quando autem* τὸ ἐναντίον *fignificat, magis adverbium oftenditur.* Agraetius: ADVERSUM TE, *adverfarius*, ADVERSUS TE, *imitator.* Feftus ADVERSUS *aut contrarium fignificat, aut idem quod erga.* Exempla varia allegat Nonius *Cap.* 4. locorum ex Ennio, Afranio, Plauto, quin ipfo Cicerone petita, quibus pro *apud* adhibetur *advorfum.* Antiquitati placuit magis *advorfum*, pro quo deinde fere *adverfum* pofitum. Vid. Caffiodor. *de Orthogr. circa pr.* Confer quae notavi ad Ulpianum, qui poffeffionem bonorum *adverfus tabulas* appellat, quae alias dicitur *fecundum tabulas*, Tit. 28. §. 1.

CAP. XX. *Perparvam vero controverfiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia.* Reftituo: *at non caufam, quae dirimat omnia.* Novimus ex Probo *caufa* vocem per *ca* notatam.

CAP. XXI. *Solum bonum effe diceret.* Senfus exigit *deceret.*

Vita modica et apta virtute perfrui. Re modica qui perfruitur, aptior eft procul dubio virtuti, prae eo, qui re ampliffima beatur. Hunc enim plerumque videmus luxui fe mancipare, ac vitiis corrumpi. Praeferam itaque *virtuti.*

Quod inter haec, hoc eft, dum ea poffidet, dum iis perfruitur, *velit virtute tanquam lege vivere.* Eft in quibusdam *virtutem: malo virtutum.*

CAP. XXIV. *Fufa latius* PERPETUA *oratione.* Tefte Diacono iisdem figlis exarata olim fuerunt *perpetua* et *propofita.* Ore *funditur* oratio, *proponitur* fcripta in publicum edita. Quidni itaque dubitem a Cicerone profectum fuiffe: *fufa latius propofita oratione*, id eft, non inter amicos folum, aut pro concione etiam fubtili difputatione perfuadere velle, fed latius quoque publice propofitae fententiae noftrae univerfis copiam facere, veritatemque rei *fempiternis monumentis prodere*, quae verba mox fequuntur.

Vero facis, et merito, et ipfe. Scriptum fuiffe conjicio *ipce*, hoc eft, *jure praecepti*, quemadmodum litteras illas explicat Diaconus. Vera funt quae dicis, mereturque hanc laudem tuam Sapientia, facis denique pro jure tuo praecipientis.

LXII. Progredior ad LIBRI SECUNDI CAPUT II., in quo ita Tullius: *Nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria, non Roma, sed Tusculum.* Exstitisse suspicor: *nisi sic forte, ut sapienti. . . . .*

Ut vestri Attici . . . . et Sunii erant iidem et Attici. Pro *Sunii* libri omnes veteres exhibent *Symphratides.* Nisi *vestri* pro *vestrates* velis accipere, substituo: *vestrates, Attice.* Quod si *Sunii* retines, Atticum conjicio e Sunio ortum, aut potius oriundum fuisse. Sin praefers antiquorum codicum lectionem, emendo συμπατριωται, qui dicuntur populares, conterranei. Novit unusquisque, Graeca vocabula mirum in modum flecti solere a librariis.

Necesse est, caritate eam patriam *praestare, qua reipublicae nomen universae civitatis est.* N littera et *nostrae*, et *nomen* designat. I pro *justus* ponitur. Muto: *quae reipublicae nostrae universae civitas justa est.*

CAP. V. *Ergo ut illa Divina mens summa lex est: item cum in homine est perfectum* (MSS. habent *perfecta*) *est in mente sapientis.* Corrigo: *ita et, quae in homine est, perfecta est in mente sapientis.*

In ipso nomine legis interpretando inesse vim et sententiam justi, et juris legendi. In aliis est: *vim juris colendi.* Supra *Lib.* I. *Cap.* 6. Legem dixit Noster dictam videri a *legendo*, quod in ea insit *vis delectus.* Interpretor itaque *jus legendum* eligendum.

Cap. VI. QUINTUS. *Quid, quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timaeus?* MARCUS. *At Theophrastus, auctor haud deterior, mea quidem sententia, meliorem multi nominant: commemorant vero ipsius cives.* Corruptum hunc locum pronuntiare omnes, quotquot vidi, Commentatores, miror vehementer, ellipsi vulgatissima sic expono: unquam exstitisse Zaleucum negat Timaeus, at Theophrastus, auctor Timaeo non postponendus, me quidem judice, imo vero ex sententia multorum etiam melior, commemorat eum fuisse, commemorant deinde Zaleuci cives. Sin hoc displiceat, per geminationem refer: *commemorat: commemorant vero. . . . .*

CAP. VII. *Ita prisca, ut in veteribus ex his sacratisque legibus.* Pro *his* alii repraesentant *is.* Sic, opinor, scriptum fuit: *in veteribus e. XII. s. sacratisque legibus*, explico, *in veteribus est XII* tabularum *sanctis sacratisque legibus.* Testatur Valerius *e* pro *est*, item *s* pro *sanctus* poni.

CAP. VIII. *Separatim nemo habessit Deos neve novos: sed ne advenas, nisi publice adscitos*, (additur in nonnullis haud inepte: *aut* [intellige id est] *a patribus*, hoc est, senatusconsulto, *acceptos*) *privatim colunto.* Malim ita distingui: *Separatim nemo habessit Deos: neve novos, ... adscitos eos privatim colunto.* Confer quae dixi ad Ulpian. *Tit.* 22. §. 6., et ad Coll. Leg. Mos. et Rom. *in fine.*

Ollos. De voce hac dixi supra.

Nec ulla vitiorum sacra solennia obeunto. Repono *obeuntor.*

Itaque ut ita cadat in annuis amfractibus, in plerisque est *cadant.* Restituo: *Itaque ut jam cadant.* Eadem olim nota exarata fuere *ita* et *jam.* Explico: ut

ut itaque certo quoque ac constituto tempore feriae habeantur in annuis periodis.

Itemque alios ad dies ubertatem lactis foetusque servanto. *Id quod ne committi possit*, hoc est, itemque observanto ad alios dies ubertatem lactis, foetusque, feriasque conceptivas propter ea habento. Ne quid autem in his peccetur, aut omittatur. Praeferam tamen *in quod.*

Quodque baec privatim et publice modo rituque fiat. Rescribo: *quoque.... fiant.*

Cum Senatus populusque adsciverit. Lego *id sciverit*, hoc est, jusserit: veluti, libros Sibyllinos consuli, inspici, et exponi.

Augures signis et auspiciis postea vidento. Exstitisse conjicio *post fa*, hoc est, *post futura vidento.*

Effata. Varro de Ling. Lat. Lib. 5. *Effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum coelestium extra urbem agreis sunt effati*, id est, *in agris.* M praecedens *in* saepissime absorpsit.

Cap. IX. *Foederum, pacis, belli, induciarum oratores, fetiales, judices duo sunto. bella disceptanto.* Pro *duo*, quod huc minime convenit, libri MSS. habent *non.* Vide num sic placeat: *judices nt. se int. de bello disceptanto*, expono: *judices nominati se inter de bello disceptanto.* Hoc enim lege sancivit Cicero, ut de bello suscipiendo, gerendo, et deponendo *publici interpretes essent.* v. Cap. 14. sq. Novimus disputationes fori Jurisconsultorum, quidni utile quoque fuerit de rebus belli institui disceptationes ejusmodi?

Obstita pianto. Non est, quod emendandum hic cum plerisque censeamus, aut ignorantiam profiteamur, siquidem apertissime demonstret Festus *obstitum* esse, *violatum, attactumque de coelo.* Ipsum consule in voce.

Idaeae matris. Quam hoc loco, itemque in Cap. 16. seq. *Idaeam matrem* nominat auctor, intellige Matrem Deorum, quae, uti *Berecyntbia, Idaea, Pbrygia* dicta fuit a cognominibus locis, in quibus ea colebatur olim, ita *Sipylenem* appellatam fuisse a *Sipylo*, urbe, et monte Phrygiae, observavimus ad Ulpianum *Tit.* 22. §. *6.* De Matris Deum nominatione multa congessit Seldenus *de Diis Syris p.* 255. *sq.* Singularem *de Magna Deum Matre* dissertationem conscripsit L. Pignorius, in qua et Ulpiani locum explicat, ipseque ab ea, quae antea nobis placuerat, lectione, non alienus fuisse videtur. Ipsa foederis antiquissimi, anno videlicet ante natum Christum CCXLIV., Smyrnaeos inter et Magnesios percussi, itemque binorum, ad pactum illud pertinentium, Smyrnensium decretorum verba αυτογραφα publicavit Seldenus in *Marmor. Arund.*, in quibus plurima, eaque egregia, obvia sunt vetustatis monumenta. In memorata conventione legitur: ορκισατωσαν αυτους οι εξεταςται επι του μητρωου ιεροις νεοκαυτοις, vertit Interpres: *adjuranto eos Quaesitores super ardentibus Fani Magnae Matris victimis.* Caesa jungebant foedera porca antiqui. Sanctissimum jusjurandum habitum in ipsis sacris praestitum. In eadem bis prostat: ομνυω δια . . . την Μητερα την Σιπυλην, *juro per Matrem Sipylenen.* Columnarum mirandarum, *Marmeriae apud Sipilum* positarum,

rum, meminit Ampelius *Cap.* 10., quo loco, haud temere, ut puto, substituunt alii: *Magnesiae apud Sipylum.*

Poena violati juris esto. Quocirca ne quis agrum consecrato. Quaero primum, quae poena statuenda, dein quorsum, rogo te, *quocirca?* neque enim agri consecratio ad jus, ejusve violationem pertinet. A Tullii, credo, manu est: *Poena violati juris esto, q. e. r. e.* (Probus explicat *quanti ea res erit*, quibus verbis poene nihil est frequentius in legibus, atque edictis, unam vide L. 179. D. de V. S.) *Ne quis agrum consecrato.*

Deorum Manium jura sancta sunto. Hos leto datos divos habento. Nihil muto. Expono: Manes, sive animas defunctorum familiarium, consanguineorum, eorum, qui veluti in mari perierunt, quibusque adeo justa a familia praesentibus fieri non potuerunt, quorumque ossa terra obtegi ab iis nequiverunt, divos tamen habento, atque in larario ponunto, colunto.

Cap. X. *Exspectate leges, quae genus illud optimum reipublicae contineant.* Exspectare vero leges non poterant, jam ante propositas Cap. 8 et 9., at expetebant, credo, rationes earum: hinc in seq. Atticus *suade igitur*, inquit, *legem.* Pro *quae* itaque scribo *quare.*

Suosque Deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, et ignotas caerimonias. Non a sacerdotibus, non a Patribus acceptos Deos ita placet coli, si huic legi paruerunt ipsi. Loco τῶ *suosque* malo *suos quidem. Aut novos* accipio, id est novos. Caeterum praeplacet lectio codicum antiquorum, qui exhibent: *caerimonias, etiam sacerdotibus. Nam a Patribus acceptos Deos ita placet coli, si huic legi paruerunt ipsi.* Interpretor: si senatusconsulto, de cultu Deorum eorum lato, paruerint ipsi cultores.

Cap. XI. *Jam ritus familiae, patrumque servare, id est, (quoniam antiquitas proxime accedit ad Deos:* Divi enim sunt patres, id est, proavi, lares) *a Diis quasi traditam religionem tueri.*

Fides consecratur manu. Frigida videntur, quae in medium proferunt, qui *manu* vindicare student. Unam M positam fuisse suspicor, denotat autem littera haec *manum*, et *memoriam.* Praeferam ergo *memoria*, vel *in memoria.* Sacrosancta habetur in memoria hominum.

Araque vetus. Contextus postulat: *ara quidem vetus.*

Detestataeque quae omnia ejusmodi repudianda sunt. Rectius legeretur: *detestanda quidem haec, et omnia ejusmodi repudianda sunt.*

Statassandique cognomina. Quid si rescribamus? *Statae, standique cognomina.* Festo teste *Statae Matris* simulacrum in foro primum, dein in quibusque Romae vicis cultum fuit. *Standi* cognomen *Jovi Statori* datum, ipse indicat Auctor.

Primigeniam a gignendo comes tum. Restituo *Primigenia, a gignendo cognominata.*

Cap. XII. *Quas ferias compositor anni conferre debet et ad perfectionem operum rusticorum: quod tempus. . . . . . Et* vel *etiam* huc non convenit, adhaesisse perperam opinor ex praecedenti *debet.* Pro *quod tempus* malim

lim *in quod tempus*, repetito *in* ex praecedentis *rusticorum* littera ultima. Ad id tempus vult ferias conferri, quo consummata sunt et perfecta opera rustica.

Plures autem Deorum omnium, qui sunt quasi generales, universorum sacrorum ministri, *singuli singulorum* Deorum, speciales quasi, *sacerdotes, et respondendi juris*, hoc est, interpretandi fatidicorum, et vatum effata incognita, *et conficiendarum* (sic lego pro *confitendarum*, aut *conferendarum*, quae sunt in aliis, adjutus auctoritate libri veteris, qui habet *confitiendorum*) *religionum*, id est, quo modo religiones, caerimonias, puta, et sacra, conficere oporteat, *facultatem afferunt*. Confer ipsam de his legem in Cap. 8. praecedenti.

Cumque Vesta consepta sit. Codices alii exhibent *conspecta*, alii *conspexa*, nonnulli *complexa*. Ego Tullium scripsisse puto: *Vesta c. o. recepta sit*. Probus auctor est C. O. designare *civitas omnis*. Rectissime autem, ac vere civitate omni receptam dicit Vestam, quam quippe Romani omnes soliti fuerunt, in atrio, id est, in *vestibulo* habere, id quod exinde nomen suum accepit, cui sacrificium quotidie facerent, collocata ibidem ara Vestae, teste Eugraph. *ad Ter. Andr. Act.* 4. *Sc.* 3. *v.* 11.

Sentiant mulieres, in natura feminarum omnem castitatem pati. Emendo *poni*, aut ex aliorum crisi *peti*.

Continet enim, reipublicae consilio et auctoritate optimatium, semper populum indigere. Non equidem intelligo. Ita substituo, ac distinguo: *Conducet enim reipublicae, consilio et auct. opt. semp. pop. ind.* Accipio de Senatusconsultis de religione, veluti de inspiciendis libris fatidicis, adoptandis Diis peregrinis, aliisque, latis.

Ut Tertiam decreto collegii. Mira hic fingunt Interpretes. Parenthesi haec includo, et repono: *ut taceam decreta collegii*.

CAP. XIII. *Quasi divinare videatur prorsus posse*. Quis ambigat ita praestare? *quasi divina res videatur prorsus esse*.

CAP. XIV. *Quid autem mibi displiceat, innocentes poëtae indicant comici*. Ut sensus sit verborum idoneus, sic muto: *quod autem mihi displiceat, initiorum ritus poëtae indicant comici*, nisi malis *quin comici*. Mysteria esse habita sacra ista nocturna, pueri discimus.

CAP. XVI. *Quoniam mibi sermo est apud eos*. Inepte plerique *apud Deos*. Refero *apud vos*.

CAP. XVII. *Circumspicite celeriter animo*. In vulgatis est: *circumspicit haec celeriter animus*. Rescribo: *circumspicite haec celeriter animis*.

Judicia perrupta ab iisdem: corrupta hominum, non Deorum. Fuit forte: *judicia pec. rupta*. Valerius exponit *pecunia*.

Tantum ponam, erui duplicem poenam esse divinam, quod constaret et ex vexandis vivorum animis, et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et judicio vivorum et gaudio comprobetur. Locum corruptissimum sic sano: *Tantum ponam, metui duplicem poenam esse divinam, quod* (aut *quae*) *constaret et ex vexandis vivorum animis, et ex f. m.* (*fati munere*, id est, morte, interpretor ex Magnone) *mortuorum, ut. . . .* Hoc tantum dicam, timeri, duplicem esse poenam impiorum divinam, eamque constare et apparere ex eo, quod vivo-

rum etiam eorum vexetur conſcientia, tum deinde ex eorum interitu, et morte, ita ut impiorum exitium non comprobetur tantum univerſorum hominum judicio, ſed et laetentur ob id omnes, liberari terram monſtris iſtiusmodi.

Cap. XVIII *Lignum autem quodque voluerit.* In Graecis Platonis eſt: *ὅτι ἂν ἐθέλῃ τις*, malo itaque: *quod* (aut *quodque*, id eſt, quodcunque) *quis voluerit.*

Qui paulum modo ingenio poſſit moveri. Praeferam legi *moderato ingenio.* In mox ſequentibus pro *cum ſcias*, ut *cum ſciat* corrigas, contextus imperat.

Cap. XIX. *Ullo omnino.* Temere faciunt, qui mutanda haec eſſe cenſent. Nullum omnino jus civile pontificibus ſcire neceſſe eſſe probat Auctor, niſi illud unice, quod conjunctum eſt cum religione.

Quaeruntur enim, qui adſtringantur ſacris. Rectius fortaſſe: *quaerunt ii enim*, puta, Jurisconſulti.

Ut is, qui ei, qui mortuus ſit, pecuniam debuerit. Aut poſt *ut* ſubintelligo *ſi*, aut repono: *ut ſi qui*, hoc eſt, quis.

Cap. XX. *Atque etiam dant hoc Scaevolae, quod eſt partitio: ut, ſi in teſtamento deducta, ſcripta non ſit, ipſique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, ſacrisne alligentur.* Difficillima videntur primo obtutu, ac vix intelligenda verba, quae propoſui. Removebuntur, niſi mi ipſe blandiar, nebulae, ac quam clariſſima lux adfulſura eſt, ſi, vitiata ſcriptura levi correctione adjuvata, ſic interpreteris: *Atque etiam dant hoc Scaevolae* ambo exemplum, jus, puta, civile noſcere oportere Pontificem, *quod eſt partitio*, quae appellatur, quando legata eſt pars hereditatis, veluti dimidia, tertia, vel quarta, vid. Ulpianum Tit. 24. §. 25: *ut*, exempli gratia, *ſi in teſtamento deducta ſumma ſcripta non ſit*, (addi vides vocem *ſumma*, quae facile per geminationem inſeritur, unica quippe S denotata) hoc eſt, ſi major ſumma legatario deducta fuerit, ac per hoc non ſufficiens ei in teſtamento adſcripta fuerit, veluti, ſi centum fuerint deducta, vid. Cap. 21. ſeq., *ipſique*, quibus ſumma illa, centumve deducta fuerint, hoc modo *minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, ſacris ne alligentur*, ne onus ſacrorum ad hos, quaſi heredes, transmittatur. Confer ſis Caput hoc cum proxime ſequenti, neque dubium, credo, remanebit.

Quas qui intelligat, non ſi ad caput referat, per ſe ipſe facile perſpiciat. Miror equidem Interpretes fere omnes lectionem hanc codicum praeferre vulgatae, in qua eſt: *qui non intelligat, modo ſi.* . . . Cognoſce, quaeſo te, finem Cap. 18, et judica.

Non pro *modo* perperam poſitum in his Senecae in *Apocolocuntoſi*, quem libellum mendoſiſſimum eſſe ac difficillimum merito conqueruntur omnes, ſuſpicor: *Nimis ruſtice adquieſcunt oneri Poëtae, non contenti ortus et occaſus deſcribere, ut etiam medium diem inquietent.* Carpere puto Auctorem Poëtas, ac reprehendere, ob id, quod ſic negligenter tranſeant horam tam bonam ſcilicet, ruſticos imitati, qui fere diem nominaſſe contenti, horam addere raro conſueverunt. Malim: *nimis ruſtice adquieſcunt operi* huic *Poëtae, modo contenti ortus et occaſus deſcribere*, ita, *ut etiam medium diem* male *indicent*, vel *indigitent*, cum verius inter ſextam et ſeptimam defecerit Claudius. Idemne dicendum de ſequentibus? *Hercules . . . . perturbatus eſt, ut qui etiam*

non

non omnia monstra timuerit. Praefero: *at quem etiam modo omnia monstra timuerint*, tunc nimirum, cum in terris versaretur homo: nisi malis: *at qui etiam modo omnia monstra domuerit.*

Excidisse quid opinor, aut potius compendiariam scripturam non recte intellexisse librarium in iis, quae modo praecedunt: *horam ejus nemo novit: nemo enim illum unquam natum putavit.* B. Rhenanus exponit: nullus nascentem sensit, quod merito reprobat Schefferus, qui ex dicto matris Antoniae, quod memorat Suet. *in Claud. Cap.* 3. sic accipit: non perfectum, *non absolutum a natura, sed tantum incohoatum.* Exstitisse conjicio: *nemo enim IP eum unquam natum putavit*, hoc est, *Imperatorem*, vel *imperio.* Mater, si quem socordiae argueret, *stultiorem* ajebat *filio suo Claudio.* Avunculus major Augustus, Imp. prudentissimus, quid de eo in utramque partem opinatus fuerit, tradit Sueton. *in Claud. Cap.* 3. *sqq.* Istum talem, tam stupidum, tam deridendum virum, quem pro despectissimo semper habuerunt cognati, adgnatique, quis unquam Principatum adepturum esse sperare potuerit? Non erat ergo, quod Chaldaei et Mathematici inquirerent, quo habitu, qua forma, et qua positura stellarum natus fuisset Claudius, vide Gell. *Lib.* 14. *Cap.* 1. Horam ejus genitalem neminem novisse mirum non est, quippe quam saepe occultabant cauti. Suet. *Aug. Cap.* 94. de Octaviano refert: *Reticere ipse genituram suam, nec velle edere perseverabat*, neque temere, nisi fiduciam fati haberent, thema suum vulgabant. Sequitur: *nec illum incomitatum dimittam.* Malo, *ne eum.*

Imposuerat Herculi homini minime vafro. Itane Herculem Claudii adspectus hominem tam cito refinxit? Lego *hominum minime vafer.* Ironice dixit pro, hominum omnium, quotquot sunt, insulsissimus. Positivus usurpatus pro superlativo.

Ego tibi dico . . . . quod tibi narro. Ut evitetur ταυτολογία absurda, repono: *quem tibi narro.* Sed nolo diutius immorari cloacis his purgandis, quibus nec Hercules forte sufficiat, nisi instrumenta subministrentur, quibus sordes eximat.

Sicuti *quod* vidimus mox positum fuisse pro *quem*, ita *quod* pro *quo* exhibitum puto in Cicer. *Lib.* 1. *Cap.* 1. *Academ. Quaest.* Sic prostat in J. Verburgii editione: *Habeo opus magnum in manibus, quod jam pridem ad hunc eum (ipsum me autem dicebat) quaedam institui, quae et sunt magna sane, et limantur a me politius.* Reponam: *quo jam pridem ad hunc e 9 m. r. Pitum (me autem dicebat) quaedam institui* sc. scribere, *quae* . . . . hoc est, *ejusmodi rerum peritum.*

Eluamus et maculam, quae insidet Cap. 2. *nihil apta interrogatione concludunt.* Quae sit ars, via, *ratio*, vis denique conclusionis, tradit Auctor *lib.* 4. *cap.* 30: quorsum autem hic *interrogatio?* scripsisse conjicio Tullium: *nihil apta justave ratione concludunt.*

Cuique pro *quoque* exhibitum credo in *Lib.* 1. *de Divinat. Cap.* 1., ubi sic Tullius: *trajectiones motusque stellarum observaverunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt.* Possis, scio, interpretari, unicuique hominum, malim tamen, quocunque sc. signo.

Ibid. Cap. 2: *Magna vis videretur esse, et in impetrandis consulendisque rebus,*

bus, et in monstris interpretandis ac procurandis, in haruspicum disciplina. Recte alii libri habent, *et in patrandis*, intellige, in agendo consulendoque. Rescribendum porro, *ac praecavendis.*

In Cap. 7. pro *in significatione eventus animadversa*, restituo: *in significatione eventu sunt animadversa.*

Levi mutatione in his Cap. 8. *qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret*, praeferam *tale quid.* Eatenus laboravit, id operam dedit, ut rationem exponeret rerum, non omnium, sed quae fierent in coelo terrave.

Cap. 13. libri alii habent *Veneris eoque*, nonnulli *aque*, sunt qui *coeque*, lego *Veneris Coae aeque.* Verum, ne Sarmatarum, qui subinde, ut invitavere pabula, sedem mutare consueverunt, morem sequi velle videar, in viam redeo.

Cap. XXI. *Super dicebant, qui quid cepissent, adstringi.* Malo. *Sup. en.* (hoc est, *super*, vel *supra enim*, id est, plus) *dicebant*, Scaevolae, vel JCti, *qui quid cepissent*, quam omnibus heredibus relictum fuerit, sacris *adstringi.* Hac arte ii, qui adstringebantur, *rursus sacris liberantur*, etiam si ceperint legatum, dummodo minus ceperint.

Cap. XXII. *Quia residentur mortui.* An legendum? *resident*, id est, quiescunt, aut *residunt*, hoc est, in terram, in sepulcrum immittuntur *tum mortui.*

Quibus neque ipsius gentis puta *feriae sunt:* praecessit enim *extra sacra et gentem.*

Quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lare (emendo *Lari*) *vervecibus fiat.* Quid vero? dicendumne Lari vervece sacrificatum fuisse olim, quando finis erat familiae, hoc est, ultimus ex familia perierat? censeo ampliandum. *Verberibus* esse in MSS. nil mirum est: *habes* pro *aves* fuit in *Cap.* 18. *h. l.*, item in *Tusc Disp.* I. 8.

Os rejectum terrae obtegatur. Possis exponere, os a mari ferisve in terram rejectum: praeferam tamen *terra.*

Quod procul a Fontis aras. Lego: *quod haud procul a Fontis ara est.*

Corpus incensum est. Repono: *corpus incensum*, hoc est, crematum, *inest.*

In omnibus sepultis penitus, in omnibus omnino quoquo modo sepultis, sive crematis, sive humatis.

Decrevit P. Mucius, familiam puram, quod os supra terram non exstaret: porcam heredi esse contractam, et habendas triduum ferias, et porco femina piaculum pati. Facili interpunctionis verborumque mutatione sic restituo: *familiam puram:* sc. manere, nec incipere sepulcrum esse, aut locum religiosum, siquidem corpus non est illatum. *Quod os supra terra non exstaret, porcam heredi dandam esse contractam*, ob id tamen, quod terra non contegeretur cadaver in mare projecti, obligari heredem porcam immolare contractam, eam accipe, quam Festus appellat *praecidaneam.* Vocabulum *dandam*, quod per siglam olim scribi solebat, teste Diacono, praecedens *heredi* absumpsit. Pro *pati* denique substituo *peti.*

Cap. XXIII. *Quid, qui post XII.* Rescribo: *quid, quod.*

Domina Honoris. Parum inter se differunt siglae vocum *domina*, *dona*, *domus.* An potius? *dicata memoriae Honoris.*

Re-

Rogum ascia ne polito. Ascia est instrumentum fabrile, quo calx macerata dolatur, ceu constat ex Vitruvio *Lib.* 7. *Cap.* 2. Figura ejus repraesentatur a Grutero *in corpore Inscr. pag.* 518. *num.* 4., et alibi. Frequentissima est in inscriptionibus monumentorum, Gallorum praecipue, formula P. C. ET S. A. D., hoc est, *poni curavit*, *et sub ascia dedicavit*. v. Reines. *pag.* 652. *num.* 5., *pag* 662. *num.* 34., *pag.* 770. *num.* 167. 168. *et* 169., ne dicam de Grutero, aliisque. Disputatum multis inter Jurisconsultos, Grammaticos, antiquitatum studiosos, quae sit verborum significatio. Reinesius *d. pag.* 662. *num.* 34. explicat, *marmorariis*, *quorum ascia et dolabra* λαξευτικὰ *organa*, *faciendum curavit*, *hoc est*, *ab inchoato opus curavit.* Peculiari tractatu de eodem egit F. C. Conradi in *Parergis pag.* 72. *sqq.*, qui, enarratis ordine singulorum sententiis, sibi videri ait, significare ea, *monumentum sub tutela et cultura fabricae*, *ut sartum tectum praestetur*, *constituere*. Ego interpretor: consummatum ac plene perfectum dedicare. Ascia admota, dealbatoque opere, nihil quidquam amplius restat, sed perfecta sunt omnia. Hinc *consummatum opus sub ascia* vocatur in Inscriptione apud Reines. *Classi* 6. *Inscr.* 112. Confer Guther. *de Jure Manium Lib.* 2. *Cap.* 28. Male vero, si quid video Plauti locum ceperunt Commentatores, *in Asin.* 2. 2. 90.

> *Quid nunc consilii captandum censes? dic.* Li. *hem*, *istuc ago*,
> *Quo modo argentum intervortam*, *et adventorem*, *et Sauream.*
> *Jam hoc opus est exasciatum. Nam si ille argentum prius*
> *Hospes huc affert*, *continuo nos ambo exclusi sumus.*

Plerique exponunt, perfectum est, nonnulli accipiunt, inceptum est. Perperam utrique. Quo modo enim perfectum dici possit, aut etiam inceptum opus, quo de deliberatur adhucdum, quemadmodum fiat? Quid quaeris? ita intelligo: jam hoc opus est subtile, ascia quasi perpolitum, scite fabrefactum: metaphorice dixit pro opere, sive re, ad quam opus est arte, fallacia, machinatione. Calliditas, vult, ad hanc rem adhibenda est, qua argento emungantur isti. In glossis Servii Grammatici est: *Ascia*, σκέπαρνον. Glossarium Isidori habet: *Asciculus*, *Asciola*, *dolabra*. Recte J. G. Graevius mavult *asciolus*, *asciola*: ab *ascia* enim est diminutivum *asciolus*. Papias: *Ascia ab assulis* (sic restituendum pro *astulis*, Vossius et Graevius contendunt, quos sequor) *dicta*, *quas e ligno eximit*, *cujus diminutivum asciola.* Sunt autem assulae, *quae sunt securibus excussae*, asserum fragmenta, alio nomine *fomites* quibusdam appellantur, qui sunt *assulae ex arboribus*, *dum caeduntur*, *excussae*, v. Fest. in *Fomites*. Item Isidorus *Lib.* 19 *Cap.* 19. *Ascia*, inquit, *ab astulis* (*assulis*) *dicta*, *quas a ligno eximit*, *cujus diminutivum nomen* (τὸ *nomen* omittunt editiones aliae) *est asciola. Est autem manubrio brevi*, *ex adversa parte referens vel simplicem malleum*, *aut cavatum*, *vel bicorne rastrum.*

Extenuato igitur sumptu, *tribus riciniis*, *et vinculis purpurae*, *et decem tibicinibus*, *tollit etiam lamentationem.* Malim *demtis tibicinibus*, id est, diminuto eorum numero. *Purpurae vincula* interpretor, limbos purpureos.

Cap. XXIV. *Quibus servilis unctura*, an *quod?*

Ne sumtuosa resperſio, ne longae coronae, nec acerrae praetereantur. Unum dico, nihil quidquam mutare me, nisi quod pro *nec acerrae* mallem *neve acerrae*. Expono: Verba legis, hoc, si sensum perspexeris, jubentis, *ne sumtuosa fiat resperſio, ne multae coronae, neve acerrae*, praetereantur a nobis silentio.

Quod coronam. Vellem *quare*.

Easque etiam cantu ad tibicinem prosequatur. Scribo *cantus ac tibicines prosequantur.* Non sunt autem haec legis Decemviralis verba, sed in more sic positum fuit.

Cap. XXV. *At justa conjecta erant.* Vehementer hic falluntur Interpretes. Contorta, ideoque non verosimilis, est Clerici emendatio *Vol.* 2. *pag.* 157. *de Art. Crit.* Auctoritate librorum veterum subnixus, corrigo: *at justa conjectura erat.* Mortui laudes praedicare licuit, mentiri vero nefas habitum, conjecturas de eo addere jura permiserunt, veluti, si diuturniorem vitam fata concessissent defuncto, virum futurum fuisse maximum, alia.

Expressa verbis sunt. An *verbis his?*

Cap. XXVI. *Hermas hos*, forte melius *huic*.

Habet enim luctum concursus hominum. Possis reponere: *favet enim luctui.*

Civis e republica maxime. Legam potias: *in rep. maximus.*

Aut mensam, aut labellum. Lapis hic est in labri formam concavus. Imaginem ejus exhibet Guther. *de jur. Man. pag.* 334. Quid si *tabellam* scribamus, et interpretemur, *mensam, id est, tabellam?* Marcellinus *in vita Thucydidis* narrat ἴκριον, hoc est, lignum, sive tabulam, positam fuisse super ipsius sepulchrum: hoc autem inanis et honorarii tumuli patrium signum, et solenne Atticum haberi, in iis, qui peregre obiissent, neque Athenis essent sepulti. Ipse Auctor *Lib.* 3. *Cap.* 13. *villas* refert *signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis.*

LXIII. In Libri Tertii Cap. II. sic vitiose prostat: *Deinde etiam deinceps pesteris prodebatur.* Corrigo: *defunctorum imperium deinceps posteris a patribus dabatur.* Erroris causa est, quod, Magnone teste, iisdem siglis scripta fuerunt olim vocabula *defunctus* et *deinde*, P autem et *Patres* notat et *pro.*

Cap. III. *Cum magistratus judicassit, inrogassitve, per populum multae, poenae certatio esto.* Accipio: ad populum liceat provocare, atque apud eum de mulcta imposita, poenave irrogata certare.

Minores magistratus partiti juris, plures in plera sunto. Nil muto. *In ple Ra* expono *in plebe Romana.* Probus auctor est *ple* significavisse olim *plebem*, Diaconus testatur *Ra* pro *Romana* scriptum fuisse. Partim hos ex patriciis, partim ex plebejo ordine eligi vult legislator, plures tamen fore ex plebe.

Hunc potestate pari quocunque Senatus creverit. Substituo: *huic potestate pari quotcunque. . . .*

Oenus, id est, unus, Dictator puta. Pariter in Cap. seq. *Coerator, oesus*, alia. Hinc *oetier* apud Festum in v. *publica pondera.* Inde *poeniri.*

Equitem cumque qui regat, habeto pari jure cum eo. Repono: *equitum turmas quiqui regat, habetor pari jure cum eo.*

Ex-

Ex quois. Vel reſtitue, vel explica *queis*, hoc eſt, *quibus*.

Cap. IV. *Loco Senator et modo orato.* Senator, loco opportuno dato, rogatus ſcilicet, et modo adhibito, ita, ut ne infinitus ſit, orato.

Aſt qui turbaſſitur. Exhiberi debuerat *quid turbaſſitur.* Si quid turbatum fuerit. Actori autem turbae ac ſeditionis culpa praeſtanda, quoniam licet ei, orta ſeditione, concilium dimittere. Quod ſi actor inſtando ſeditionem promovet, ei imputatur. v. *Cap.* 19.

Promulgata, propoſita, IN AERARIO *cognita agunto.* Mutandum puto *in populo Romano cognita.* Hoc certum eſt, ſcribendi compendia, quibus utraque vox notabatur olim, haud plurimum inter ſe differre. Non ante agi licuit, quam roganda lex per certum temporis ſpatium, provulgata, propoſita, ac ſic inter populum Romanum cognita fuiſſet.

Cenſoris fide legem cuſtodiunto. Malo: *Cenſores fide*, hoc eſt, fideliter, *legem cuſtodiunto.* Confer *Cap.* 20. *ſq.*

Cap. V. *Diſcerem.* An *diſcede jam?*

Quam maxime probat, temperationem reipublicae. Praeſtet forte, *temperatio noſtrae reip.*

Cap. VI. *Ab hac familia.* Retinendum puto: intelligo familiam eorum, quam mox indicat, quorum quaſi unam facit domum, ex qua ſucceſſu temporis, alter alterum inſecuti, prodierunt viri praeclari. Quo eodem refero *habitavit.*

Ex umbraculis. Accipe privatas diſputationes, inter eruditos inſtitutas, in ambulationibus, in porticibus.

Cap. VIII. *Deinde cum eſſet cito legatus, tanquam ex XII tabulis, inſignis ad deformitatem puer, brevi tempore creatus, multoque tetrior et foedior natus eſt.* Monſtroſos partus educari noluiſſe Decemviros novimus. Varia ſunt, quae, ut deformi lectioni ſubſtituerent meliorem, remedia excogitarunt alii. Quidni et noſtram conferamus conjecturam? Sic muto: *deinde, cum eſſet cito leto dandus, tanquam ex XII tabulis, inſignis ad deformitatem puer, brevi tempore cretus*, (addit vulgata *neſcio quo pacto* poſt *tempore*, quae ſi retinenda ſunt, orta ex veteri codice, malim omnino *neſcio quo pacto ſervatus*) *multo quidem tetrior et foedior natus eſt. Natus* accipe factus, ſin hoc nolis, ſcribe *natura eſt*, hoc eſt, natura ejus facta eſt.

Cap. IX. *Quem enim ille non edidit?* Fuit forte: *quod enim ille monſtrum edidit?*

Ut impio dignum fuit. Quid impio dignum, niſi poena et ſupplicium? An *ut imperium diviſum fuit?* id eſt, poſtquam poteſtas populi, et honores ad plebem, plebejumque ordinem etiam tranſlata ſunt.

Cap. X. *Quin per ipſum Ti. Gracchum non ſolum nectus, ſed etiam ſublatus interceſſor fuerat.* Legendum admonuit Florus: *non ſolum injecta manus, ſed....* Audi ipſum Lib. 3. Cap. 14. num. 5. *Sed, ubi intercedentem legibus ſuis Cnaeum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, jus poteſtatis, injecta manu, depulit Roſtris, adeoque praeſenti metu mortis exterruit, ut abdicare ſe magiſtratu cogere-*

geretur. Imo vero plebiscito magistratum abrogasse collegae suo Gracchum constat. *Sublatum* itaque interpretor, potestate depulsum.

Sapientia majori in illo vide. Fuisse suspicor *sapientiam majorum*. . . .

Quamvis enumeres multos licet, si sic exponas, licet enumeres quantumvis multos, caetera quoque per se credo evadent manifestissima.

Invidia quidem summus ordo caret: repete ex praecedentibus: *concessa plebi a Patribus ista potestate.*

Ut multis praeclarissimis addiceretur. Exstitisse conjicio: *ut multis pc. l:* haec cum *priscis legibus*, secundum Magnonem, essent explicanda, librarius perperam dedit *praeclarissimis.* Malo deinde cum aliis *adduceretur.*

Cap. XI. *Deberi non posse.* Restituenda omnino scriptura MSS. *deleri.* Excusat quodammodo Tullius factum Pompeji, quem Clodii furori, qui Tribunus plebis, coacta servili manu, ex civitate ejecerat patriae patrem ac vindicem, obsistere potuisse, ac debuisse, existimabat Quintus, quippe in consulatum Pompeji inciderat ista seditio.

Perniciose populari civi non relinquere. Audaciore forsitan, sed, puto, necessaria correctione sic repono: *pernicie sine populi ac civitatis non adimendam relinquere.* Meliora, nec invidebo, edoceant sagaciores.

Admodum. An *ad modum?* hoc est, breviter, modice. Ipsum consule Auctorem *Cap.* 18. *sq.* Sermonem alio transferre, ac mutare cupiebat Cicero, ne longior esset in re memoria gravi, de Viro, quo de secus sentire, nedum dicere, nefas habebat.

Cap. XII. *Popularem sane:* pro uno ex populo, plebejo, accepit forte vocem Gebhardus, qui defendit lectionem propositam. At vero, si et hac significatione intelligamus, mutilus est ac debilis locus. M saepissime abundare alibi demonstravimus. Si retinere velis, exponere possis *populare mihi* est, vel videtur. Caeterum de notione *τοῦ popularis* v. Auctores ab Delrio citatos ad *Ter. Phorm.* I. I. I.

Auctoritas. Sequitur enim, ejus decreta sunto. Restituo: *auctoritas. Rata, sequitur enim, ejus* . . . . sic enim est in lege, v. *Cap.* 3. Syllabae postremae vocabuli *auctoritas* absumserunt *rata.*

Cap. XIII. *Dicimus aliquid.* Praestaret *dicemus.*

Cap. XVI. *Docuitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse et reipublicae.* Magis quidem mihi se probat vulgata, quam haec aliorum conjectura, temere in textum recepta. Ita libri veteres: *Doluitque*, ob id puta, quia ita se gesserat, istudque fecerat, *quoad vixit: sed ut opprimeret Coelius populum* (muto *Popilium*) *nocuit et reip.*

In Aegaeo excitavit mari, ac nostro quidem. Quoi. Pater fluctus excitavit in vasculo exiguo, filius in mari vastissimo, id est, ille in municipio parvo, hic in urbe, terrarum domina, hoc est, nostra rep., turbas conflavit. Pro *quoi* malo *quae.*

Cap. XVIII. *Est enim Senator is, cujus.* . . . Rectius exhibent alii *Senatoris, cujus.* Pari modo Callistratus in *L.* 19. §. 1. *D. de Off. Praef.: Id enim non est constantis, et recti judicis, cujus animi motum vultus detegit.* Emendandum

dum censet Auctor Obs. Misc. Amst. *Vol.* 1. *pag.* 426. *si cujus:* quem non est quod sequamur.

Aut peccante Senatu, quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adjuvante. Levissima adhibita emendatione sic interpretor: *Aut a peccante Senatu*, tum, quando peccaverit Senatus, qui peccat saepissime ambitione, *cum nullo mag. adj.*

CAP. XIX. *Permovet*, instando operam dat, ut continuetur, aut *promovet*, ut augeatur ac crescat.

Sunt deinde posita deinceps. Eloquentiae principe non digna oratio. Scriptum fortasse fuit: *Sunt de iisdem posita deinceps*, actores accipe, de quibus mox egerat. In lege est: *qui agent, auspicia servanto.*

Esse debere. Minime necessarium est suppleri *se*, siquidem in sequentibus pronomen hoc additur, tum deinde, quia saepissime illud omittitur ab scriptoribus optimis.

De quibus saepe opem referre possit. Non inepte profecto substituunt nonnulli *reip. ferre.* Puto tamen vindicari posse lectionem priorem, dummodo *re ferre* exponas *recte ferre:* qua eadem ope et alia loca adjuvimus. Intelligo: per quas res saepe haud parum utilitatis adferre ac procurare laudabiliter possit.

Vetat, nondum initis seditiosis tribunis plebis. Negotialis quidem admirandum tantum majores in posterum providisse. Contaminatissima haec esse nullus temere dubitet: num recte emendarint alii, non mei est res arbitrii. Ego sic repono ac distinguo: *vetat.* *Nondum notis seditiosis tribunis plebis, ne gentibus aliis quidem, admirandum* est, *tantum.* . . . .

Cum legis haec vis sit, scitum est jussum in omnes. Lego: *sit, ut scitum esset jussum in omnes.*

Nihil omnino actum esse de nobis . . . . nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. Ipso jure nullum, nullius momenti aut valoris judicandum esse, id quod de se actum fuerat, indicat Cicero, nullamque adeo caussam videri satis idoneam, quam propter ad revocandum, restituendumque se exsulem, lege opus esset: quippe cum nulla unquam lege ejectus fuisset, non jure, ac legibus, hoc est, jussu populi universi, in comitiis centuriatis, sed furore potius Clodii, qui, incitatis servitiis, adjuncto etiam terrore militari, hoc effecit, ut cedere maluerit Cicero, quam civitatem, haud ita pridem a se liberatam, praesenti exponere periculo. Pro *tributa capitis comitia* praeferam, *tributa civitatis comitia.* Pro *privilegii* reponendum *privilegia*, nullus dubito.

Non diu tamen calamitatem exsilii perpeti necesse habuit vir optime meritus de Rep. *intra biennium* enim, *sera Cn. Pompeji cura, verum ut* COEPIT INTERRITA, *restitutus est*, teste Vellejo Paterc. *Lib.* 2. *Cap.* 45. Quamobrem *seram* appellet Pompeji *curam* Auctor, intellexisti, credo, ex iis, quae supra notavimus. Difficiliora sunt verba adjecta. Alii quid senserint, vid. in commentariis ad *d. l.*, et apud Celeb. Bondam in *Var. Lect. p.* 10. *sq.* Rescribo: *verum, ut saepe fit, interrita.* Excusat Pompejum, quod adeo

 sero

fero laboraverit de restituendo Cicerone, siquidem ex sententia plerorumque restitisse oportuerat Consulem furori Clodii. Accidisse indicat Pompejo, quod idem accidit plurimis, qui, perterritus minis et machinationibus tribuni plebis, ratus fuit cedendum esse tempori. *Interritus* vides positum pro simplici *territus*, aut, si hoc mavis, pro valde perterritus. Eodem sensu accipiendum nonnulli censent *imprudentibus*, pro admodum prudentibus in *L.* 52. §. 3. *D. pro Socio.* Sequar potius illos, qui *imprudentibus* exponunt, insciis, qui nec providerunt, nec providere potuerunt, non propter culpam, sed propter imbecillitatem conditionis humanae. Nos efferimus *onvoorziens*. Consule Bynkersh. *Obs.* 2. 10., Van de Water *Obs.* 1. 6.

Quod ibidem ait Vellejus: *cujus*, Catonis puta, *integritatem laudari nefas est:* sunt, qui substituunt *non laudari*, alii aliter explicant: interpretor: ne fas quidem est, hoc est, fieri non potest, ut justa ac debita laude efferatur ejus integritas. Quo sensu Horat. *Carm. Lib.* 1. *Od.* 24. *in f.*

Levius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

Publius dixit:

Feras, non culpes, quod mutari non potest.

Eodem modo intelligere possis verba edicti in §. 4. *Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 6., *nefas est credere*, credi vix potest.

Quod dixi in proxime praecedentibus composita frequenter usurpari pro simplicibus, egregie hoc, ac pluribus demonstravit V. Acidalius ad Vellejum nostrum 2. 6. 2., ubi *longe majora et acriora repetens* exponit *petens*, quod sequor, longeque praefero emendationi Crusii audaciori, qui in *Prob. Crit. p.* 116. substituit: *longe majore et acriore spe potentiae.* Cicero, ni fallor, in *Lib.* 2. *de Nat. Deor. Cap.* 60. *abuti* posuit pro *uti*: *nos*, inquit, *elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur.* De usu, non de abusu, cogitasse auctorem, certum videtur ex contextu. Capitolinus contra simplex posuit pro composito *in Pio Cap.* 10. *Vocareturque ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis*, hoc est, avocaretur, vel revocaretur.

Cap. XX. *At de jure naturae cogitare per nos, atque dicere debemus: de jure populi Romani, quae relicta sunt et tradita.* Ita, Turnebo auctore, fuit mutatum: sic exhibet vulgata: *at de jure naturae cogitari per nos et quae dicere debemus.* . . . . Emendo: *at de jure naturae cogitare per nos* debemus, *et* (vel potius *at*) *quaedam dicere debemus de jure populi Romani*, ea puta, *quae relicta sunt* a nobis, ac nondum exposita, *et tradita* ab aliis. *At* pro *et* restituendum quoque videtur in his Minucii *Cap.* 21.: *et cum Feretrius, non auditur.* Caetera sequor Rigaltium.

LXIV. Umbilicum addere cogitantem libello reprimunt, quem modo dixi, Mi-

Minucius Felix, et Cornelius Nepos, par, si stili, elegantiam spectes, bene comparatum, affectos se conquesti, opemque flagitantes, quam num praestiterim, vide.

Sic ille in Cap. 1: *Cum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut et in ludicris et seriis pari mecum voluntate concineret . . . . sic solus in amoribus conscius ipse socius in erroribus.* Cum constet ex Probo, *sic* positum olim fuisse pro *sicuti*, malo: *sicuti solus* (forte *socius*) *in amoribus conscius, ipse socius in erroribus.* Arcto adeo amicitiae vinculo constrictus mihi fuit, ea inter nos intercessit familiaritas, qualis esse solet in socio, aut eo, cui soli amores nostros secretos, furtivaque gaudia prodimus, is qui vel ipsis socius fuit in erroribus meis. *Ipse* interpretor *ipsis*, quae constructio creberrimo in usu fuit scriptoribus optimis: hypallagen vocant Grammatici. Alia placuerunt C. Crusio in *Prob. Crit. p.* 63., et Struchtmeyero *pag.* 55.

Idem *Cap.* 6. Romani, inquit, expugnata a Gallis Urbe, solo sibi servato Capitolio, nil quidquam fracti rebus quamvis angustissimis, *captis hostilibus moenibus, adhuc ferociente victoria, numina victa venerantur.* Corrigo *capti super hostilibus moenibus*, intellige moenia, quae in hostium potestatem jam pervenerant.

Quae sit *daemonum coitio* in his *Cap.* 31., frustra quaeras ex Interpretibus, quibus altum est de eo silentium: *Et de incesto convivio*, ait Minucius, *fabulam grandem adversum nos* DAEMONUM COITIO *mentita est, ut gloriam pudicitiae deformis infamiae* AVERSIONE *macularet.* Ne quid dissimulem, ridicula videtur lectio, a librario, homine superstitiosissimo, in hunc modum contorta. Repono: *adversum nos, de morum quoque vltio mentitus est* Fronto, quo de mox sequitur, *ut gloriam pudicitiae deformis infamiae accusatione macularet.* Per *infamiam* scimus designari stuprum nefandum. Idem forte intellexit Spartianus in *Ael. Vero Cap.* 5. *Voluptates* appellans *non infames, sed aliquatenus diffluentes*, licet aliter ceperint Interpretes.

LXV. Sic Nepos in *Attic. Cap.* 9., si credas editionibus nostri temporis: *Si* DIVINATIO *appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus neque agitur neque minuitur.* Sunt, qui substituunt *divinitas*, alii *divina*, alii aliter, v. Struchtmeyer *in Animadv. Crit. pag.* 54. Mihi placet: *si divina tn* (hoc est, *tamen*, teste Diacono) *appellanda est. . . .* Pro *agitur* cum aliis malo *augetur.* Bonitas, quae, eadem semper, neque secundis rebus effertur, neque adversis adficitur.

Manifestum se prodit scripturae vitium in his Ejusdem *in Lysandro Cap.* 6. *Id qua ratione consecutus sit*, LATET. Victoriam intelligit, mox autem subjungit rationem, qua eam comparavit. Mutant nonnulli *non latet*, aliqui pro *nec* reponunt *id.* Legendum videtur *patet.*

Suspecta habent plerique, ac varie emendant sequentia in *Thrasyb. Cap* 1.: *Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus, et fortuna, quod in praelii concursu abit res a consilio ad vires, vimque pugnantium: itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque his plus valuisse,* quam

quam ducis PRUDENTIAM VERE *potest praedicare.* Sana credo omnia, nisi quod unice pro *prudentiam vere* praeferam *prudentia requirit.* Praecesserat: *illi sine dubio neminem praefero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore. . . . .* Interjectis nonnullis pergit: *Sed illa tamen*, fides puta, caeteraeque virtutes, *omnia communia* sunt *imperatoribus cum militibus, et fortuna* quoque communis est: ratio est, *quod in praelii concursu, abit res a consilio ad vires, vimque pugnantium*, priusquam cum hoste congrediaris, consilio ac prudentia opus est, post, ubi manum conferere coeperis, virtutis et fortitudinis causa agitur, quam moderatur fortuna, magisque consideratur pugnantium militum industria, quam ducis ars. Apparet itaque, multum facere imperatoris prudentiam, plurimum tamen conferre fortunam. Thrasybulus autem hanc sibi jure vindicat gloriam, plus se valuisse in utroque, fortuna scilicet, et militantium ac pugnantium virtute, quam exspectare possis, aut saltem requirere ab duce etiam prudentissimo.

Crisin plane inutilem excercere videntur Commentatores in his in *Dione Cap.* 1.: *Habuit magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur*, substituendo *commendat*, aut *qua . . . . commendabatur*, vel denique *commendavit.* Cicero dixit: *nulla re una magis commendatur orator, quam splendore verborum.* Seneca in *Epist.* 27. *Bona mens*, inquit, *nec commendatur, nec emitur, et, puto, si venalis esset, non haberet emtorem*, quae lectio longe videtur praeferenda ei, quam referunt alii libri, *commodatur.* Commendatur dignitas, orator, bona mens, quae se commendant, placent. Latinitati selectae atque elegantiori merito passivam pro activa constructionem ejusmodi accenset J. Vorstius *de Lat. Sel. p.* 296. *sq.* Neglectus hujus observationis fraudi fuit Interpretibus.

Eodem modo peccatum ignorantia ellipseos usitatissimae, in his Auctoris nostri in *Thrasyb. Cap.* 2. *Neque vero hic contemtus est primo a Tyrannis, sed ejus solitudo.* Mirum, quantum desudarint viri etiam egregii in restituendo loco quasi corruptissimo. Exponas: neque vero hic Thrasybulus tantummodo contemtus est, sed magis etiam exiguus ducem suum sequentium numerus, quippe qui *non plus habuit secum, quam triginta de suis.* Ita Florus 2. 2. 20.: *Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est.* Subintelligi nimirum oportet *tantum*, et *sed* accipiendum *sed et*, qua de ellipsi v. Duker *ad Flor. l. c.* Ictis frequentissimam eam fuisse, demonstrarunt, quos citat Auctor *Obs. Jur. Civ. p.* 19.

Eodem fortasse modo explicandus est locus Velleji Paterculi *Lib.* 2. *Cap.* 29., mox allegato Cornelii dicto non admodum dissimilis. *Fuit hic*, inquit de Cn. Pompejo, *forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque in illam conveniens amplitudinem fortunamque ejus ad ultimum vitae comitatata est diem.* Repono: *sed et dignitate. Constantia quidem, in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus. . . .* Excelluit gratia formae, non ea tantum, quae placere solet maxime in flore juvenili, sed et praesertim dignitate corporis Imperatoria. Accessit ad haec constantia, et ani-

animi magnitudo, tantis corporis dotibus apta ac conveniens. Haec ei tam praeclara vitae decora atque ornamenta, fortuna duce ac comite, propria fuerunt et perpetua ad ultimum vitae diem. *Que* in *quidem*, alterum in *quoque* mutasse me non mirabitur, neque hoc factum audacius exstimabit, qui scit *qui* pronomen, caeterasque inde derivatas terminationes, millies in codicibus vetustissimis permutatas inter se deprehendi, eamque causam exstare variorum in scriptoribus antiquis errorum: quam viam secutus, loca plurima corruptissima, imo poene desperata visa viris etiam masculae eruditionis gloria conspicuis, facili opera restitues. Adjungam exemplum elegantissimum.

Viduam, quae intra id tempus, quo elugere virum moris est, iterum matrimonio se junxisset, infamia notatam olim fuisse certum videtur ex *L.* 11. §. 3. *D. de his, qui not. inf.*, nimirum propter turbationem sanguinis, v. §. 1. *ibid.*, quae causa cum valeat etiam in vidua mariti talis, quem more majorum lugeri non oportebat, veluti hostis, vel perduellionis damnati, vel suspendiosi, vel qui manus sibi intulerat, non taedio vitae, sed mala conscientia, recte respondit Ulpianus in §. 3. *c.*, infamia notari, *si* QUIS *post hujusmodi exitum mariti nuptum se collocaverit*. *Quis* pro *quae* positum terminatione antiqua. Sicuti *ivai* pro vivere Graecis dictum, et *fuit* pro mortuus est Latinis, v. J. Arntzen. *ad Pacat. Pan. p.* 9., nec non *discedere*, et *abire*, pro mori, *abitio* pro morte, consule Klotzium in *Miscell. Crit. p.* 3. *sq.*, ita *exitum* simpliciter pro discessu e vita usurpavit Ulpianus. *Bonos exitus habere* dixit Cicero *de N. D.* 3. 37. *Exitum mortis* appellat Macrob. *Saturnal. Lib.* 1. *Cap.* 11. *Vide*, inquit, *in hac fortuna* intellige statum ac conditionem servilem, *etiam magnanimitatem* servi, *exitum mortis*, hoc est mortem, *ludibrio praeferentem:* narrat exemplum servi, qui, ne ludibrio hostili exponerentur, domino, quem prius ipse interfecerat, semet, eodem pugione confossum, comitem dedit.

Perspicis legitimae necessitatis vinculo obligatam fuisse viduam, ut maritum suum amissum lugeret, non tantum propter pietatem, aut affectionem conjugalem, sed magis evitandae confusionis sanguinis gratia. Quae ratio cum cesset in propinquis, pulchre statuit antiquitas, laudari officium ac pietatem eorum, qui sanguinis necessitudine sibi junctos elugent, iis qui non luxerint, poenam non constitui. Aperte Ulpianus in *L.* 23. *D de his qui not. inf. Parentes et liberi utriusque sexus, nec non et caeteri adgnati et cognati secundum pietatis rationem, et animi sui patientiam, prout quisque voluerit, lugendi sunt: qui autem eos non eluxit, non notatur infamia. Patientiam* interpretor affectum, *passie* exprimunt nostrates. Dissensisse tamen videtur Paulus in *Sent. Rec. Lib.* 1. *Tit. ult.* §. 13. *Parentes*, inquit, *et filii majores sex annis anno lugeri possunt, minores mense, maritus decem mensibus, et cognati proximioris gradus octo: qui contra fecerit, infamium numero habetur.* Ab Ulpiani partibus standum esse certissimis argumentis demonstravit Bynkershoek *Obs. Lib.* 5. *Cap.* 13. Quae vero ratio moverit Paulum, ut contra sui tem-

 poris

poris mores, adverſus juris notiſſimi rationem ſententiam prodiderit Iɛ̃to indignam, abſonam, ac plane abhorrentem a ſuae aetatis diſciplina, dubitant interpretes. In Tribonianum alii, alii in Anianum culpam conjiciunt. Jus novum aliqui ſomniant. Opiniones ſingulorum recenſet Bynkersh. *l. c.*, adde notas ad Pauli *d. l.* Idem ſenſiſſe utrumque Iɛ̃tum perſuaſum habeo. Leviſſima mutatione adjuvandam Pauli ſcripturam exiſtimo, pro *qui* ſubſtituendo *quae*. *Maritus*, ait, *decem menſibus lugeri poteſt*, hoc eſt, debet ab vidua: *quae contra fecerit*, *infamium numero habetur*. Favet conjecturae, quod non de omnibus ſupradictis in fine §. ſenſiſſe videatur Paulus, quippe quem, hoc ſi voluiſſet, ſcribere oportuerat, *qui contra fecerint*, . . . *habentur*, verum, unius viduae ratione habita, dixit: *quae* . . . *fecerit*, . . . *habetur*. Veroſimilem, probabilem, atque excuſandum etiam librarii errorem hunc eſſe, quis dubitet, qui animadvertat Q litteram utrumque deſignaſſe olim, *qui* puta, et *quae*, teſtibus Valerio Probo et Petro Diacono. Hinc apud illum Q. V. A. exponitur *qua*, *vel qui*, *vixit annis*, emendandum puto, *quae*, *vel qui*. Magno Q̄ interpretatur *qui*, Q *quae*, ea quae facile confundi potuiſſe nullus eat inficias. *Qui* praetulit librarius, quia praeceſſerant genera maſculina. Nihil, opponis, praemiſſum eſt, quo referri apte poſſit *quae:* reſpondeo, mente intellexit, non addidit Paulus, *ab uxore*, *vidua*, ſimileve: ſic ſolent Scriptores veteres, vid. Struchtmeyer in *Animadv. Crit. p.* 54.: feſtinantes ſcimus, occupatosque, verbis minus quam rei intentos, alind ſaepiſſime ſcripſiſſe quam initio deſtinaverant, quod pluribus egregie oſtendit Ampl. Rygerbos in *Obſ. Jur. Rom. p.* 19. *ſqq.* De luctu viduarum, itemque ad *L.* 1. et *L.* 11. §. 2. *et* 4. *D. de his*, *qui not. inf.* commentatus eſt Putman in *Interpr. Cap.* 33. Inter *lugere* et *elugere* verba non diſtinguere Iɛ̃tos notavit Schroder *Obſ. p.* 189. Majoribus noſtris placuiſſe videtur, ut ne permitteretur marito viduo alteri ſe mulieri nuptiis copulare, ante quam elapſus fuerit certus temporis terminus poſt amiſſam priorem conjugem. Sic ſtatuitur in *Stadr. van Deventer Part.* 3. *Tit.* 1. *Num.* 11: *Een Weduwenaer zal na het afſterven ſyner Vrouwen ſig niet mogen weder hertrouwen binnen den tyd van vyf maenden.* Idem jubetur in *Landr. van Overyſſel Part.* 2. *Tit.* 1. *Art.* 9. In Friſia centum florenorum poena vindicatur factum ejus, qui intra ſex menſium ſpatium poſt obitum uxoris ſuae ad ſecundas nuptias convolaverit, vide *Statuten van Frieſland Lib.* 1. *Tit.* 1. *Art.* 17.

Addo *L.* 1. §. 3. *D. nautae*, *caup. ſtab.* Si quis ex his, quibus navis cuſtodiam commiſit is qui navem exercet, receperit quid, putat Ulpianus, in exercitorem dandam eſſe actionem, *quia*, inquit, *is*, *qui eos hujusmodi officio praeponit*, *committi eis permittit*, QUANQUAM *ipſe navicularius*, *vel magiſter id faciat*, *quod* χειρεμβολον, *id eſt*, *manus inmiſſionem appellant: ſed et ſi hoc non exſtet*, *tamen de recepto navicularius tenebitur.* Aliorum ſententias recenſuit Bynkershoek. *Obſ.* 2. 14. Leviſſima mutatione pro *quanquam* ſubſtituo *quemadmodum*, quae vocabula facillime permutari potuiſſe non dubitabis, ubi cognoveris notas, quibus perſcripta illa olim fuerunt, apud ſiglarum interpre-

pretes. Expono: sic tenetur in hac re exercitor, quemadmodum teneretur idem, si ipse id fecerit, quod χειρεμβολον nominant, hoc est, si ipse res transferendas manu acceperit, easque alii nautae in manum tradiderit, et commiserit, ut eas conderet, ac servandas deponeret: sed et, si quidem manu sua ipse non receperit exercitor, atque ita per manum tradiderit, sed absens forte aut occupatus alicui ex nautis committi jussit, tenebitur tamen de recepto. *Si* millies subintelligendum omittitur: quamobrem necesse non fuerat Cujacio, ut particulam hanc adderet *Legi* 3. *C. Th. ad SCtum Claudianum*, ubi Constantinus *nihil enim*, constituit, *rebus publicis ex antiquo jure detrahimus, nec ad consortium hujus legis volumus urbium quarumcunque servitia* COPULAMUS, *ut civitates integram teneant interdicti veteris potestatem, vel error improvidus, vel simplex ignorantia, vel aetatis infirmae lapsus, in has contubernii plagas depulerit, haec nostris sanctionibus sint excepta.* Cujacius edidit *si vel.* Pro *volumus* J. Gothofredus reponit *ullatenus.* Transpositionis opem si adcommodare luberet, sic restitui possit lectio sat apta: *legis urbium quarumcunque servitia copulamus, S* (id est, *sed*) *volumus, ut civitates* . . . . malo *servitia copulari, vs. v. ut*, hoc est, *volumus vero ut. V* pro *voluit*, et *voluerunt*, item pro *vero* poni Diaconus testatur. Ciceronis haec *de Nat. Deor. Lib.* I. *Cap.* I. *inprimisque magna dissensio est* offendunt Interpretes: plerique *τε que* ejiciunt. Praeferam: *in primis quidem*, vel *quoque.* Idem dicendum puto de illis, quae exhibentur *ibidem in Cap.* 9. *Deinde quod ita multa sunt incommoda in vita*, varie mutant alii, reponam: *deinde quidem*, vel *quoque.* Pro *quem vos praeclare defenditis*, malo *quam* . . . . *defenditis* in *Lib.* 3. *Cap.* 38.

LXVI. Dum mentio incidit *libri primi Ciceronis de Natura Deorum*, quid vetet adjungere conjecturas nostras de locis nonnullis difficilioribus, in illo tractatu obviis?

CAP. XI. *Anaxagoras* . . . . *non vidit, neque motum sensui junctum et continentem in infinito ullum esse posse, neque sensum omnino, quo* NON *ipsa natura pulsa sentiret.* Nexus orationis requirere videtur *modo.*

CAP. XIII. *Deos octo dicit: quinque eos, qui in stellis vagis nominantur.* Lambinus reposuit *numerantur.* Malo: *qui in stellis vagi nominantur:* hoc est, qui inter stellas apparentes *vagi*, id est, planetae, dicuntur. In *Lib.* 2. *Cap.* 27. est: *in septem numeratur vagantibus*, sed et ibi MSS. habent *nominatur. Vagas stellas et inerrantes* dicit *Lib.* 2. *Cap.* 31. Ibid. Cap. 40.: *stellae quas vagas dicimus.*

CAP. XV. *Naturam, universa atque omnia continentem.* Fronto *omnes* ait *nullum excipit, ut omnes homines, ita et res: universi, in unam sententiam conversi, dicendi quid, sive faciendi.* Veteres scimus inter *omnes* et *universi* non solere distinguere. Muto: *universitatemque omnia continentem.* Mox ipse Auctor: *universitatemque rerum, qua omnia continerentur.*

CAP. XVIII. *Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet, ut* MANU *doceat, eam esse vim et naturam Deo-*

Deorum, ut primum non sensu sed mente cernatur . . . . *cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamque nostram intelligentiam capere* . . . . Corrigo: *ut manifesto doceat* . . . . *tum* (hoc est, deinde, repetendum autem *doceat* ex praecedentibus) *maximis*. . . .

Cap. XXVII. *Rem nullo modo probabilem omnium. Quis tam coecus.* Alii *omnium* omittunt. Aut emendo *omnino*, aut rescribo: *probabilem. Omnium quis tam coecus.*

Natantibus invehens belluis. Temere mutant nonnulli: *invehens* dicitur pro invectus, aut se invehens: ita *vertentibus* pro versis, aut se vertentibus, usurpavit Plautus, plura exempla produxit Sciopp. *in Verosim. Lib.* 1. *Cap.* 8, et 2. 1.

Cap. XXVIII. *Huic Deo pulchrior.* Non invenuste alii *hui:* malo *homo.* Auctor est Valerius Probus, *huic* et *homo* una H littera fuisse notata.

Cap. XXX. *Athenis laudamus Vulcanum*, expono *laudavimus*, vel *laudabamus*, cum Athenis essemus. Ita supra Cap. 28. *Athenis cum essem, e gregibus ephebeorum vix singuli reperiebantur.* Frequens est enallage temporum: *putamus* pro *putabimus* dixit noster in *Cap.* 32. Offendunt Interpretes haec Spartiani in *Aelio Vero Cap.* 3.: *potueritque eum amovere a familia imperatoria, quum saepe de aliis cogitaret, si forte vixisset*: explico: potuissetque.

Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire, quod nescires. Praeferam, utpote Ciceronis stilo convenientius, *nescire te*, nec tamen urgueo.

Cap. XXXI. *Dubium est enim, utrum dicat aliquid iste.* Epicurum intelligit *beatum et immortale, an, si quod sit, id esse immortale.* A Cicerone credo profectum esse *aliquid esse*, nisi malis *iste esse.*

Cap. XXXIII. *In pr. Etenim enumerasti memoriter, et copiose, ut mihi quidem admirari liberet, in homine esse Romano tantam facundiam.* Restituam: *at enim* . . . . *admirari liceret.* Docent lexicographi *enim* pro *quia*, itemque pro *autem* poni. Pariter infra *Lib.* 3. *Cap. XI. in pr.*

Istisne fidentes somniis . . . . dixerunt, *sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit? scito illa quidem sermone et Attico,* sed *tamen. Tantum Epicuri hortus habuit licentiae,* et *soletis queri.* Pro *dixerunt* substituam *dixerint*, pro *sed*, *severo:* Valerius testatur *Sev.* pro *severus* olim scriptum fuisse. Denique pro *et soletis queri*, reponam *ut soletis queri:* qua de re ipsi saepe estis conquesti.

Epicurus *Nausiphanem, magistrum suum, a quo nihil didicerat, tam male acceperit.* Imo vero constat ex *Cap.* 26. antecedenti, nihil non ab Nausiphane didicisse Epicurum. Emendo: *a quo quasi nihil didicerat:* ecquis paululum modo versatus in scriptoribus antiquis exigat a me, ut demonstrem, *quasi, quamvis*, aliaque ejusmodi indicativo aeque ac subjunctivo modo, quem appellant, praeposuisse?

LXVII. Et pauca quoque delibare juvat ex *ejusdem operis libro secundo*, festi-

stinantibus tamen, et, quod facere solent praeternavigantes, considerationem tantummodo intendentibus in eminentiora.

Cap. III. Sic prostat: *quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae adscivissent, si* RES *omnino repudiarent.* Vix dubito scripsisse Tullium: *si ōēs omnino repudiarent.* Possis et pro *res* substituere *responsa*, cum, Diacono teste, ℞ notet *res* et *responsum*: sicque refingam: *si responsa omnia omnino repudiarentur.* Verum hoc quidem audacius. Certissimum est *res*, itemque aliorum *rem*, parum convenire in hunc locum. Hoc vult: si plane neglecta ac contemta fuissent augurum responsa, ne per fabulas quidem ad posteritatem transmissa esset memoria eorum augurum, non notassent eorum vaticinia scriptores antiqui.

An Attii Navii lituus ille, quo ad investigandum SUEM *regiones vitae terminavit, contemnendus est? Crederem, nisi ejus augurio rex* Hostilius *maxima bella gessisset.* Historiam, quam innuit Auctor, quia pluribus tradidit in *libro de Divinatione* I. *Cap.* 17, hoc loco verbo tangit. Constat autem exinde, primum, non ad investigandam suem lituum adhibitum fuisse, sed ad recuperandam uvam amissam, deinde, non Hostilio, sed Prisco regnante Tarquinio facta haec fuisse. Errorem istum Ciceronis lapsui memoriae excusabili condonandum existimant Interpretes. Culpa omni, nisi fallor, absolvit Scriptorem diligentissimum locus ex Divinatione mox citatus, longior quam ut describam. Librariorum manu corrupta fuisse verba, quae produxi, quis ambigat? Exstitisse conjicio: *ad investigandum usus, regiones.* Possis et reponere *ad investigandam usus uvam regiones:* vero tamen videtur similius in re notissima, eademque copiosius a se alibi pertractata, brevem esse laborasse Tullium. *Suem* vocem a glossatore in margine positam, qui non recte intellexerat historiam, a librario in textum receptam puto, rato esse eam pro *usus* substituendam. *Hostilius* quoque perperam margini adscriptum, atque inde in textum migrasse autumo, additum a sciolo, quem nominis fefellerat memoria. Ferendum tamen vix esse videbitur fortasse nonnullis, integram vocem eliminari ac proscribi: praesto est aliud remedium, quo, non gravi mutatione, meliorem sensum reddas, si emendes: *rex, hostium victor, sic maxima bella gessisset.* Docuit Diaconus V pro *Victor*, itemque S pro *Sic* antiquis frequentatum. Jure autem meritoque suo *hostium victor* audit Tarquinius Priscus: *duodecim namque Tusciae populos frequentibus armis subegit*, quod refert Florus I. 5. 5.

Cap. IV. *Haruspicum disciplinam P. Scipione, C. Figulo Consulibus, res ipsa probavit.* Adsentior omnino Bouhierio, legendum censenti *in P. Scipione.* Quod vero *et* interserit idem post *Scipione*, dubito num aeque probabili ratione adductus fecerit: siquidem saepissime τὸ *et* omittitur: quo de vidimus ante. Pari modo, si fides est codicibus plerisque, *informatum, anticipatum* dixit Noster supra *Lib.* 1. *Cap.* 27., ubi v. Gronov. Florus *Lib.* 1. *Cap.* 18. *Num.* 23. *quis ergo miretur*, inquit, *his moribus, virtute militum, victorem populum Romanum fuisse?* Tollius in *Fortuitis pag.* 62. mutat: *his moribus ducum,*

cum, *hoc virtute militum*. Rectius exponit Graevius: *his moribus* civium et hac *virtute militum*.

Quos cum Ti. Gracchus, *Consul iterum*, RECREARET. Loquitur de Scipione et Figulo, quos cum constet tum primum Consules creatos, vitio laborare scripturam liquet. Emendo *rite crearet:* sequitur enim: *ego non justus*, *qui et Consul rogavi*, *et augur*, *et auspicato?*

Itaque (an *id itaque?*) *inter omnes omnium gentium sententia constat*, (*omnibus enim innatum est*, *et in animo quasi insculptum*) *esse Deos*. Sic si distinguas, facile carebis aliorum conjecturis.

CAP. V. *Terreret animos fulminibus . . . . lapideisque imbribus . . . . tum* LAPIDIBUS, *aut repentinis terrarum hiatibus*. Cum jam *lapideorum imbrium* mentionem injecerit Auctor, non temere quidem dubitet quis, referre eum voluisse loco eodem de *lapidibus*. J. Gulielmius reponit *lapsibus*. Cogitabimusne de face ardente, Tarquiniis late visa, subito lapsu cadente? quod prodigium narrat Julius Obsequens *Cap.* 105. Idem conjecit substituendum esse *labibus*, quae sunt ruinae: hinc Noster *de Divin.* I. 43. *delata etiam ad Senatum labes agri Privernatis*, *cum ad infinitam altitudinem terra desedisset*. Miror autem, nil quidquam addere Tullium, eo loco, quo de portentis loquitur, de lactis imbribus, praesertim cum in libro *de Divinatione cap. cit.*, ostentorum serie sat longa proposita, enumeratisque iis, quae hoc capite recensuit, monstrorum generibus, lactis imbrem adjunxerit: suspicor propterea, hic pro *lapidibus* restituendum esse *lactis pluviis*. Frequenter lacte pluisse quondam in Italia, memorant annales: Unum consule Obsequentem *Cap.* 90. 91. 96. *et alibi*.

CAP VII. *Orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur*, *angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur*. Ciceronem credo scripsisse: *conclusae orationis vis*.

CAP. IX. *Toto genere hoc igneo*, *quod* TRANAT *omnia*, *subtilius explicato*. Lambinus vult *trameat*. *Trano* pro transno, vel transnato, veteres usurparunt: metaphorice etiam adhibuit vocem Varro *de L. L. Lib.* 4 *trama*, inquit, *quod tranat frigus id genus vestimenti*, in quo tamen loco convenientius videri possit *trameat*, ut derivatum respondeat fonti. Ipse quid intelligat satis explicat Auctor in sequentibus.

Atque etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi, *et id maxime hibernis fieri temporibus* videmus, *quod magna vis terrae cavernis contineatur caloris: eaque hieme fit densior: ob eamque causam calorem insitum in terris contineat arctius*. *ea in terris* mutant alii *intra se*, alii *interius*. Referenda mihi videtur vox *eaque* ad *aquam*, quoniam in *Cap. seq.* memorat Auctor *aquae admistum calorem:* amplius inquirant physici. *Terrae cavernis* dictum pro *in terrae cavernis:* quae ellipsis haud infrequens est: ita Aur. Victor *de Caesarib. Cap.* 5.: *quod his proditum magis*, expono: quod in his, Nerone puta, et Agrippina, manifestatum praecipue fuit.

CAP. XVI. *Ordo autem siderum*, *et in omni aeternitate constantia*, *neque naturam*

turam significat, est enim plena rationis, neque fortunam. Nullus faciam cum Lambino, qui vult mutari: *est enim expers rationis:* neque enim verba *est enim plena rationis* referenda puto ad *naturam*, sed ad *constantia:* exinde probat, non natura, neque fortuna facta sidera, hoc est, non nata esse, aut casu exstitisse, quia ordo eorum est optimus, aeternus, et constans, tum quoniam plena sunt haec omnia rationis.

CAP. XXIII. *Vides Honoris* templum, *a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat, bello Ligustico, a Q. Maximo dedicatum.* Neutiquam vero sunt multi anni: hinc Bouhierius pro *quod* reponit *haud:* malo *quod n. multis*, id est, *non multis*: littera sequens *m* absorpsit *n*.

CAP. XXIV. *Quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera: quod in* LIBERA *servant, in Libero non item.* Num reponendum forte? *quod in liberis servant:* hoc est, quam appellationem et hodie servamus *in liberis*, non item in numero singulari *libero*.

CAP. XXV. *Pleniusque alio loco idem* Ennius:

Cui, quod in me est, exsecrabor hoc, quod lucet, quidquid est.

Sic exhibet Columna:

Quoi quod in me est exsecrabor hoc, quo lucet quicquid est.

Malim:

Cur, (vel *quo*, id est, quare) *quod in me est, exsecrabor? hoc quod lucet, quicquid est.*

Coelum intellige, quod invocat Ennius, id quod *δεικτικῶς hoc* appellabant veteres. Vid. Pater *ad Avianum Fab.* 39. *v.* 12. Pacuvius apud nostrum infra *Cap.* 36.

Hoc, quod memoro, nostri coelum, Graji perhibent aethera.

Plenius exstat apud Varronem *de L. L. lib.* 4.

Hoc vide circum supraque, quod complexu continet
Terram, id quod nostri coelum memorant.

Adde haec apud Ciceronem *de Divinat.* I. 57.

Quicquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater,
Indidemque eadem quae oriuntur de integro atque eodem occidunt.

Pergit Auctor: *hunc etiam augures nostri* nuncupant, *cum dicunt: Jove fulgente, tonante: dicunt enim: coelo fulgente, tonante.* Missis aliorum opinionibus, expono: dicere enim volunt, significant, *coelo fulgente.*

Cap. XXVII. *Quae eadem Diana* ANNIVAGA *dicitur: non a venando, sed quod in septem numeratur, tanquam vagantibus.* Quae sit *annivaga*, nullus, quantum scio, exposuit, neque quem justum sensum vox accipiat intelligo. *Omnivaga* alii substituunt, sed nec hoc placiturum omnibus statuo. Possis *amnivagam* interpretari, quae circa amnes vagatur: Dea autem fuit ea amnium domina. Catullus in *carmine saeculari* ad Dianam scripto, quod est 35.

Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.

Sin hoc nolis, *axivagam* accipio, quae circa axem vagatur.

Cap. XXVIII. *Elegantes ex eligendo.* Varie scribuntur composita verbi *lego:* modo enim *collego*, modo *colligo* exarari videas apud antiquos: *collegi* pro *colligi* est apud Ulpianum in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 2. §. 2. Idem obtinet in *neglego*, *intellego*, caeterisque. Pari modo in libris veteribus apparent *depremo*, *oppremo*, *compremo*, v. Duker *ad Florum* 4. 4. 3.

Cap. XXIX. *Nec vero hoc in te uno convenit . . . . limato, sed cum in reliquos vestros, tum in eum.* Sequor Bouhierium, corrigentem: *hoc in te virum convenit . . . . limatum*: non ob eam tamen causam, quod solitus fuerit Cicero *convenire* verbo addere praepositionem *in* cum casu quarto, sed quia sequentibus eundem casum adjunxit: quanquam et ipsi auctores veteres casus aliquando mutasse in talibus videantur: Noster infra *Cap.* 59. *plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus*, ubi v. Lambinum. *In* autem promiscue positum fuisse scriptoribus antiquis optimis cum casu quarto et sexto, non sexcenta probant, sed sexcenta forte millia exemplorum.

Cap. XXX. *Maria, terraeque regantur.* Est quod vehementer equidem mirer nimiam Lambini diligentiam, modo serius dixerit vir doctissimus, qui omnino mutandum contendit, reclamantibus licet codicibus manu scriptis, *terrae regantur*, aut certe lectionem vulgatam esse ejiciendam: rationem quaeris? ne scilicet in clausulam versus heroici desinat sententia, quod in soluta oratione vitiosum est. Itane vero anxie cavendum est in prosa scriptione ab ejusmodi vitio? vitandum utique tibi fuerat, Aristarche, ne culpa redargueret ipsum doctorem, quod non vitium censetur, sed turpitudo. Mirum vero, sicam Lambini criticam evasisse, quae utramque paginam faciunt in opere nostro, *natura Deorum.* Demonstrare facile esset cui, qui vellet otio suo abuti, nullum esse veterum auctorum, neminem recentium ac nostrorum, cui non imprudenti exciderint, non dico hemistichia, sed integri

gri aliquando versus. Exempla suppeditat ipsum, de quo agimus, caput 30. *quae docet esse Deos.* Tum *secunda est autem quae docet omnes.* Dein *est igitur natura Deorum.* Praeterea *subjectus Deus omnem.* Vis integrum hexametron? obediens *aut subjectus Deus omnem ergo regit ipse.* Denique *ignoratio rerum aliena.* Vides, septies minimum in uno eodemque capite peccatum fuisse ab Auctore nostro, si tamen peccatum est dicendum error communis, quique vitari vix potest. Tacitus, Annalium scriptor, sic infit:

Urbem Romam a principio Reges habuere.

Totum distichon incautus inseruit vir eloquio princeps eo ipso loco, quo de vitando hoc vitio admonet, vide Heinecc. *in fund. stil. cult. Part.* 1. *Cap.* 1. §. 19. Homines sumus: in nulla re aberrare, non est mortalis.

Cap. XXXII. *Glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliquid ejusmodi, nulla cohaerendi natura. Aliquid* ex usitatissimo more positum pro *aliud quid.* Loco τοῦ *cohaerendi* malim vel *cohaerentis*, ut referatur ad *ejusmodi*, aut *cohaerentia*, ad *glebam aut fragmentum.* Nulla cohaerent natura, in quibus neque ordo apparet, neque ars, sed quae sunt fortuita.

Cap. XXXIX. *Nutibus suis conglobata.* Facio cum iis, qui mutant *nixibus*, quia in *Cap.* 46. *seq.* scribit Auctor: *nixu suo conglobata.*

Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus eludit. Emendandum censent *alludit*: verum cum ex ipsis, quos ad partes vocant, locis veterum pateat, *eludere* vocem in hac re esse frequentissimam, nil mutandum censeam. Isidorus *Lib.* 14. *Cap.* 8. *Littus est terra aquae et mari vicina: et dictum littus, quia fluctu eluditur, vel quod aqua alluitur. Cicero in Topicis: litus est, quod fluctus allidit.* In Basileënsi editione sic prostat: *quia fluctu eliditur. Cicero in Topicis: littus est aqua q̄ fluctus eludit.* Ea Petiti exhibet hoc modo: *Littus est terra, quae et mari vicina: et dictum littus, quia fluctu eliditur, vel quod aqua alluitur. Cicero in Topicis: littus est aqua, qua fluctus eludit.*

Cap. XLII. *Hoc caput hic paulum subitoque recondit.* Grotius restituit *subito aequore condit*: non intellexerunt Interpretes, qui *subito* adverbium acceperunt, quod est participium verbi *subeo.*

Attingens defessa velut moerentis imago.

Μογεῦντι, qua voce usus est ipse Aratus, non recte reddidisse nostrum, sunt qui accusant: μογέω significat laboro, labore fessus sum, atque exinde doleo: expono: velut imago hominis defessi, ac propterea moerentis quasi, ac dolentis ex nimio labore, qui fuerat exantlandus.

Cap. L. *Quid ea, quae nuper, id est, paucis ante saeculis, medicorum ingeniis reperta sunt? vomitione canes, purgante autem alvos ibes Aegyptiae curant.* Nimium quantum desudarunt Commentatores in reparandis his quasi corruptissimis, variis inter se certantes conjecturis. Vide, an, vi nulla adhibita, sic mecum placeat exponere: quid memorem ea, quae haud ita pridem a medicis,

dicis sunt deprehensa? *medicorum* enim *ingenia* accipiendi sunt ipsi medici. *Reperta* autem intelligo, quae medici a bestiis edocti ad homines transtulerunt. Vomitione canes sibi medentur, re autem, vel remedio purgante alvos, ibes Aegyptiae se curant: nisi malis, alvos curant. Ampliorem tractatum res non desiderat.

Cap. LIV. Stomachus *agitatione, et motibus linguae, cum depulsum, et quasi detrusum, cibum accepit,* DEPELLIT. An *depescit*, quod dictum pro *depascit*, hoc est, consumit, absumit.

Cap. LVII. *Munitaeque sunt palpebrae, tanquam vallo pilorum, quibus, et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, et somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus,* UT QUI, *tanquam involuti, quiescerent.* Sunt qui *utique* emendant, alii quasi glossema ejiciunt. Quid, si pro *ut qui* reponamus *utri*, id est, pelli, sacco.

Cap. LXV. *Multae saepe res hominum sententia, atque utilitate partae.* Rescribo *res ex hominum.* Confer Interpretes.

Haec igitur . . . . homini profecto est, nec ALICUIQUAM *a Diis immortalibus data.* Vel lego, vel expono *alii cuiquam. Aliquis* pro *alius quis*, itemque *aliquid* pro *aliud quid* saepissime poni plus semel ostendimus.

Cap. LXVI. *Magnis autem viris prospere semper omnes res: si quidem satis a nostris . . . . dictum est.* Vulgata exhibet *prospera eveniunt.* Refingam: *prosperae semper omnes res sunt. Sic quidem.*

LXVIII. Ad finem properantes levi ac tumultuaria opera defungemur in recensendo *Ciceronis libro tertio de Natura Deorum.*

Cap. I. *Spero enim te, ut soles, bene paratum venire. Tum Cotta,* SI *mehercule, inquit.* P. Manutius corrigit *sane hercule*: Lambinus edidit *sic est mehercule.* Davisius probat *non mehercule.* Bouhierio placet *sim mehercule.* Verius mihi quidem videtur nil quidquam mutari oportere: *si* enim cum sit adverbium rogantis, et, quod huc apprime facit, optantis, per se plenum, pro quo neoterici ponunt *o si*, teste Servio *ad Virg. Aen.* I. v. 187., recte exponas: utinam profecto sit verum, quod dicis, bene me venire paratum.

Cap. II. *Ex portentis et monstris.* Sic Noster supra *Lib.* 2. *Cap.* 3.: *praedictiones, et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea* (vel corrigo *futura*, scripto fortasse *fa*, vel *ea* interpretor ex praecedentibus *res futuras*) *quae sint ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur.* Eadem itaque sunt *portenta* et *monstra*, quamobrem saepissime ea conjunguntur. Neque tamen contemnenda est lectio libri MS. antiquissimi, quam refert Ursinus, pro *monstris* exhibentis *monitis.* Optime J. G. Graevius in *Syll. Epist. Vir. Ill. tom.* 4. *pag.* 445. *monitum Deorum* exponit signa illa, quae futura praesignificant. Suetonius in *Aug. Cap.* 94. *prohibitum monitu Dei.* Ulpianus apud *Collatorem Leg. Mos. et Rom. Tit.* 16. §. 2. *sub obtentu et monitu Deorum quaedam vel renuntiant, vel jactant, vel scientes* EOS *fingunt,* hoc est, sub praetextu instinctus divini. Glossator antiquus: πρόσχημα, τὸ προκάλυμμα, *praetextus, ob-*

obtentus. v. Martinium *in Lex.* v. *Obtentus.* Pro *scientes eos fingunt*, nescio an reponi recte possit, *scientes se & fingunt*, hoc est, *scientes se opertorum fingunt.* Nota apposita, testibus Diacono et Valerio, significavit olim *opertum*, quod ignorantes librarii acceperunt pro sigla non dissimili, quae *os* designat. Monstra et ostenta *monita Deorum* interpretatur Nonius *Cap.* 5. Monstra a *monitu* dicta fuisse vult Isidor. *Lib. XI. Cap.* 18. Quam differentiam statuerint nonnulli inter *prodigia*, *monstra*, *ostenta*, *portenta*, vide apud Nonium *Cap.* 5. *Num.* 31. *et* 54., Isidor. *l. c.*, Festum in v. *portenta.*

Cap. III. *Primum* QUIDQUE *videamus* . . . . *ex animo* EXURI *non potest.* Malim: *primum quidem*, *quaeso*, *videamus.* Disputemus de primo. Pro *exuri* cum aliis rescribam *eximi.*

Cap. VI. *Cum isti plurimis de rebus divinis mentiantur.* Diaconus tradit S pro *sub* positum: praeferam itaque: *divini submentiantur.* Divini sunt divinatores, mathematici, Chaldaei. Confer Walkerum.

Nam *Fauni vocem equidem nunquam audivi.* Walker restituendum putat *jam:* Scio equidem, permutari inter se vocabula illa, quod pluribus demonstrarunt Vonck in *Obs. Misc. pag.* 145., J. Arntzenius *ad Plin. Paneg. p.* 174. *et* 354. Adde Obs. Misc. *Vol.* 1. *pag.* 203. Non hic tamen remedio illo opus esse, existumo. Eleganter eo, quem hic observamus, usu positum videmus *nam* ab antiquis, ut nimirum postremum locum obtineat in enumeratione, tum ut inserviat occupationi. Vid. Tursell. *de Partic. Cap.* 97. Explicari possit caeterum, quod attinet ad, denique. Hoc sensu accipienda puto Modestini verba in *L.* 101. *§.* 2. *D. de Verb. Sign.*: *vitium vero perpetuum corporis impedimentum: veluti si talum excusit:* NAM *et luscus utique vitiosus est.* Transpositione adjuvanda haec esse censet Catharinus in *Thes. Otton. tom.* 1. *pag.* 497. Aliter Bynkersh. *Obs.* 3. 1. Expono: si talum quis alicui excussit, adeoque debilem ac vitiosum fecerit, caeterum, quod attinet ad luscum. Pari modo interpretor Florum 2. 15. 5. Nam *Martio Philippo*, quo loco alii pro *nam* reponunt *tamen*, quod probare videtur Tollius in *Fortuit. Cap.* 10.

Cap. IX. *Locum totum illa vetus Zenonis brevis*, *et*, *ut tibi videbatur*, *acuta conclusio* DILATAVIT. Verbum requiri certum est, quod premere et coarctare notat. Hoc animadverso, alius *coarctavit*, alius *declaravit* mutat. Neutrius probabilis videtur conjectura. Restituo *dilaniavit* Proprie, secundum Festum, *dilaniare est*, *discindere*, *et quasi lanam trahere*, (an *detrahere?*) *unde lacinia*, *et lanius dicitur*, *qui pecus discindit.* Per metaphoram transfertur vox ad omnes, qui detrahunt. Orationem itaque, aut conclusionem alterius dilaniat, qui coarctat eam, qui brevius et angustius concludit.

Cap. XIII. *Ex quibus effici* COGIQUE *possit.* Rescribendum esse censet Bouhierius *colligi*, quoniam pro concludi poni vocem ignoraret. Multoties eo significatu *cogi* vocabulum ipsum usurpasse Ciceronem, cognoscere est ex indice Nizolii.

Cap. XVI. *Ex eo igitur et* LISYTO *est is Hercules.* Pro ignoto hoc nomine *Iside* vult idem Bouhier. Praeferam *Libycus.* Id quod notissimum est Herculis,

culis cognomen. Hinc et Postumus *Hercules Lybicus* dictus fuit: rationem investigavit Pater meus in libello singulari *de Postumo Cap.* II.

CAP. XVII. AMOR, *Dolus*, *Metus*, ... GRATIA, *Fraus* . . . . *quos omnes Erebo et Nocte natos ferunt. Aut igitur haec monstra probanda sunt, aut prima illa tollenda.* Uno itaque, eodemque ordine censendi sunt Amor, et Dolus, Gratia item, et Fraus? cunctine illi Erebo et Nocte nati? monstrisne adnumerandi Amor et Gratia? non ferantur haec in Boeoto homine, nedum Cicerone. Restituo: *Timor*, *Dolus*, *Motus*, quod ipsum est in libris antiquissimis, intelligo inconstantiam. Pro *Gratia* muto *Ingratia*, quam vocem servavit Plautus, aliique. Praestat autem, credo, Ingratiam fingere Deam, quam Gratiam inferere monstris. *Prima* interpretor omnium numinum prima, aut emendo *primum*, hoc est, quamprimum, protinus.

CAP. XVIII. *Achillem Astypalenses insulani sanctissimum colunt.* Incolas intelligo unius ex Cycladum insulis, quam *Deorum mensam* appellatam fuisse, scribit Stephanus, propter amoenitatem. *Sanctissime* ut rescribas cum Lambino, necessarium non videtur. Dii *sancti* recte appellantur, utpote quos violare nefas est.

Furinae lucus. Furinae Deae honos fuit apud antiquos: nam ei sacra instituta fuerunt annua, et flamen attributus: feriae ejus publicae *furinalia* appellabantur. Ita de ea Varro *de L. L. lib.* 4. Quoniam vero addit idem: *nunc vix nomen notum pauceis*, mirum profecto nemini videbitur, luci hujus mentionem non incidere apud alios scriptores.

CAP. XXIII. *Atque haec quidem* ATQUE *ejusmodi.* Posterius *atque* in nonnullis codicibus omittitur, in antiquissimis adjungitur. Scriptum fuisse puto *alque*, hoc est, *aliaque ejusmodi.*

CAP. XXIV. *Quarum rerum utilitate video etiam consecrata simulacra. Quare autem in his vis Deorum insit, tum intelligam, cum cognovero.* Admodum placet lectio Codicum, qui referunt *utilitatem video*, *video etiam.* Reliquas difficultates, quas queruntur Interpretes, removebis facile, si cogitaveris, quod, credo, omnibus est notissimum, *intelligere* dici, qui ipse percipit, persuasus argumentorum vi ac validitate. Hinc Grammaticus: *intelligimus, quod certum est.* Asconius: *intelligitur aliquid argumentis.* Cognoscit, qui aliunde docetur, vel ore, vel scripto. Inde *Cognitor* nominatus, teste eodem, *qui praesentis causam novit*, *et sic tuetur ut suam*, confer Festum. Lucilius apud Nonium *Cap.* 4 : *rem cognoscas simul*, *et dictis animum attendas.* Cognoscit itaque proprie, qui aliorum sententiam audit, vel legit; translata deinde vox est ad eos, qui, bene pensitatis scriptis et sermonibus aliorum, certi sunt rem ita se habere. Confer Nonium *l. c.*

Omissis caeteris, ne longior mora taedium afferat, unum addam locum obscuriorem ex CAP. XXXIX. *Quo modo iidem dicitis*, *non omnia Deos persequi*, *iidem vultis a Diis immortalibus dispartiri ac dividi* SOMNIA. *Idcirco* (*somnia*) *haec tecum*, *quia vestra est de somniorum veritate sententia* Quam uncinulis inclusam vides vocem, in vulgata editione addi, in ea Verburgii omitti scias: abesse eam ab antiquo codice testatur Ursinus. Nihil faciunt ad interpretan-

tanda haec somnia, quae apposuit Lambinus. Quid, si, retenta lectione veteri, ita exponamus? Post *dividi* impletae sententiae notam statuo, ac subintelligo *omnia* ex praecedentibus. *Somnia.* Futilia, vult, absurda, et somnia censeri oportet, sentire, Deos unicuique homini suam attribuere partem, eosdem tamen non curare omnia. *Idcirco haec tecum* loquor, tibi oppono, *quia vestra*, hoc est, sectae tuae, *est de somniorum veritate sententia.* Graviter perspicis invehi Cottam in Lucilium: hanc ob causam Lucilius in *Cap. seq. vehementius*, inquit, *tu quidem, Cotta, invectus es in eam Stoicorum rationem, quae de providentia Deorum constituta est.* Quoniam autem reprehensa fuerat, atque irrisa de somniis opinio, adjungit ibidem: *quippe qui etiam somnia putes ad nos mitti ab Jove: quae ipsa tamen tam levia non sunt, quam est Stoicorum de natura Deorum oratio.*

LXIX. Julius Capitolinus *in Antonino Pio Cap.* 3. *Somnio saepe monitus* Antoninus *se penitus ejus Adriani simulacrum inserere.* Repono: *suum penatibus Adriani simulacrum inserere:* quo prodigio praenuntiabatur, in sacra et familiam Adriani adoptatum iri Antoninum.

Idem *Cap.* 7. *patrimonium privatum in filiam contulit: sed fructus reipub. donavit.* Infra *Cap.* 13. *privatum patrimonium filiae reliquit.* Ecquis ab optimo ac prudentissimo, sed et propter insignem pietatem in primis claro Principe exspectet, hoc voluisse, ut fructus rerum a se relictarum acquirantur Reip., proprietas sola sit penes filiam, id est, sanguinem suum? explico: *sed et* fructus rei suae publicae, hoc est, fiscalis, eidem donavit. *Res publicae* et *res fiscales* pro eodem ponuntur. v. Salmas. *ad Spart. in Adrian. Cap.* 7. Res autem fiscales quasi propriae et privatae Principis sunt. *L.* 2. §. 4. *D. ne quid in loco pub.* Confer *L. ult. C. de quadrienn. praescript.*

LXX. Agmen claudat Spartianus: Sic ille *in vita Adriani Caesaris Cap* 2.: *Fuitque in amore Trajani, nec tamen ei per paedagogos puerorum, quos Trajanus impensius diligebat, Gallo favente, defuit.* Quidlibet audendi potestatem in his sibi concessam arbitrantur Interpretes; quidni et nos nostram proferamus audaciam? Exstitisse conjicio: *nec tamen l. id per paedagogos puerorum*, . . . *Gallo favente*, (aut *fovente*) *defuit.* Expono: *nec tamen locus injuriae* (hoc modo notas exhibitas interpretatur Diaconus) defuit Hadriano, propter paedagogos *puerorum*, (intellige Trajani *delicatos*, uti vocat eos Auctor *Cap.* 4., quos Hadrianum *curasse, et saepe lisse*, hoc est, livisse, ibidem narrat, quam ob causam mirum non est invidos fuisse, atque infestos paedagogos eorum,) quam injuriam fovit, aut, quibus paedagogis favit Gallus.

Vexat admodum Eruditos locus ejusdem in Cap. 4.: *In adoptionis sponsionem venit, Palma et Celso inimicis semper suis, et quos postea ipse insecutus est, in suspicionem affectatae tyrannidis lapsos.* Pro *lapsos* cum aliis muto *lapsis*, quod rei gestae ratio, et sermonis nexus requirit. *Sponsionem* interpretor rumorem, famam publicam. In *Aelio Vero in pr.* dixit Auctor: *in famam, aut in spem principatus venire.* Ignorata videtur, aut certe non observata Commentatoribus vocabuli significatio. Aperte Festus *spondere*, inquit, *ponebatur pro dicere, unde respondere.* Sequitur mox: *totam praesumtionem adoptionis eme-*


emeruit. Primum quidem sermone ferebatur populi, adoptatum eum iri sperantis et conjectantis, deinde vero ea fuit universorum exspectatio, ut nemo quisquam de eo dubitaret.

Vitiosa videntur haec in Cap. 7.: *Non solum amicis, sed etiam* PESSIMIS ALIQUANTIS *multa largitus est*. Corrigo *passim aliis quam multis*. Confer Gruterum. Negari tamen non potest, seriores aevi scriptores *aliquanti* dixisse pro *aliquot*.

De scripturae compendiis, quae in codicibus MSS. antiquis Graecis cognoscuntur, copiosissime pertractavit Bern. de Montfaucon in *Palaeographia Graeca*, *Lib*. 5. Quid, quod et in Pandectis sacris, si credere fas est Jo. Clerico in *Art. Crit. Tom*. 2. *Part*. 3. *Sect*. 1. *Cap*. 12., notarum supersint vestigia? videant de his Theologi.

Jam pervenimus usque ad umbilicos.
Forsan serius haec peracta res est.
Jam lector queriturque, deficitque.

F I N I S.



ANA-

JOANNIS CANNEGIETERI

OBSERVATIONUM MISCELLANEARUM,

QUIBUS PLURIMA JURIS ROMANI CAPITA, MULTA QUOQUE ALIORUM AUCTORUM VETERUM LOCA EXPONUNTUR, EMENDANTUR, ILLUSTRANTUR,

LIBER SINGULARIS.

„ Niſi mera ſomniare prodigia velis, fatendum profecto erit,
„ fieri non potuiſſe, quin multa in jure noſtro ſint corrupta,
„ disjecta, ac poene deſperata. Quid, quaeſo, hic futurum,
„ niſi ars critica pararet medicinam, corruptaque integritati,
„ disjecta loco ſuo, deſperata ſanitati priſtinae reſtitueret? Ne-
„ que exiſtimandum profecto, otium poſteris feciſſe ALCIATOS,
„ AUGUSTINOS, CUJACIOS, CONTIOS, BUDAEOS, FABROS, VI-
„ GLIOS, aliaque Jurisprudentiae lumina. Majus eſt iſtud Au-
„ giae ſtabulum, quam ut illi repurgando illorum induſtria ſuf-
„ fecerit. Multa reliquerunt intacta, multa emendarunt parum
„ feliciter, et ſaepe doctiſſimis iſtis hominibus accidit, quod
„ Medicis etiam peritis, qui nimia cura ex aegris faciunt vale-
„ tudinarios. Opus ergo hodienum critica manu, quae ulce-
„ ra, his Medicis intacta, ſanet: opus et altera, quae male ſa-
„ nata reſtituat in integrum. Utraque opera non magis carere
„ poteſt Jurisprudentia, quam pharo, qui in tenebris navigant.

J. G. HEINECCIUS *in Praefatione praemiſſa Corn. van Bynkersboek Obſervationum Juris Romani libris IV. prioribus.*

ANACEPHALAEOSIS

DISQUISITIONIS

DE

N O T I S.

Ratio et ſcopus Disquiſitionis. *Notae* etymon. Tentantur *Servius*, *Diaconus*, et *Iſidorus*. De *Notariis*, et *Notoriis*. *Siglarum* etymon. *Signa*, *Singla*. Vindicatur lectio §. 5. *Conſtit. Juſtin. de emend. Cod.* Corrigitur *L.* 1. §. 13. *C. de vet. jur. enucl. Sifrae*, Σημεια, *ſingularii*. Differentia *Siglarum*, et *Notarum*. Earum frequentia, origo, et antiquitas. Emendantur *Diaconus* et *Iſidorus*. De veteribus Siglarum interpretibus. *Valerii Probi* aetas et ſcripta. De *Magnone*. De *Petro Diacono*. De *Iſidoro*. De Notis Inſcriptionum, et Codicum Antiquorum. Tentatur *Cicero*. Exponitur *Manilius*. Errores ex uſu Notarum vulgari et crebro. Compendia ſcribendi in libris Juris. Aetas *Pandectarum Florentinarum*: num eae ſint fons omnium exemplarium reliquorum. Scriptores recentiores de Notis. Artis per Notas corrigendi neceſſitas, uſus, abuſus, auctoritas. *Pag.* 297–303.

Exempla locorum ex Notis emendatorum.

LIV.



JOAN-

ADDENDA

ET

EMENDANDA.

Quod absente me impressa sunt haec Commentaria, veniam, spero, conciliabit erratorum typographicorum. Paucissima, quae, dum indices confeci, deprehendere datum est, sic corrigas.

IN TEXTU.

Pag. 17. *Lin.* 2. *lege* modo

IN NOTIS.

Pag. 18. *Col.* 1. *Lin.* 41. *adde*: et Noster *Tit.* 24. §. 16.

— 36. *Col.* 1. *Lin.* 18. in quo loco *Larcium Euripianum* mavult Menagius *Amoenit. pag.* 178.

— 45. *Col.* 1. *Lin.* 23. Confer Nonium *Cap.* 4.

— 54. *Col.* 2. *Lin.* 7. *lege* addc et

— — *Lin.* 12. dubito num

— 58. *Col.* 1. *Lin.* 11. de poenis debitorum obaeratorum uberrime egit Hotomannus in *Quaest. Illustr. Cap.* 26.

— — *Col.* 2. *Lin.* 28. Caecilii

— — — *Lin.* 40. persuasurum

— 59. *Col.* 2. *Lin.* 15. *sed et*

— 60 *Col.* 1. *Lin. antepenult. L.* 1. §. 1. *D.*

— 63. *Col.* 1. *Lin.* 18. Pubertas etiam ex jure Saxonico videtur aestimata fuisse ex inspectione corporis. Vid. Saxenspiegel *Lib.* 1. *art.* 42. *pag.* 107.

— 67. *Col.* 2. *Lin.* 12. *L.* 39. §. 1. et 4. *D.*

— 68. *Col.* 1. *Lin.* 12. *L.* 14. §. 9. *D.*

— 69. *Col.* 2. *Lin.* 15. unici

— 73. *Col.* 1. *Lin.* 18. Praesentia, et naturalis possessio quatenus requiratur in transferendo dominio, inquirit Hotomann. *Ill. Quaest. Cap.* 12.

Pag. 78. *Col.* 2. *Lin.* 10. Scripsit de argumento hoc impeditissimo J. F. Gronovius ad Salmasium. Vide Syllogen Epist. Vir. Ill. *Tom.* 2. *pag.* 548. *sq.*

— — — *Lin.* 32. Distinguit Jus Veluvicum *Cap.* 24. *art.* 1. inter alienationem rerum immobilium factam coram Praefecto supremo, *den Officier*, eamque, quae instituitur coram duobus viris judicialibus, *Gerichtsluyden*, quos rei soli possessores, *Geërfden*, appellat idem *Cap.* 28. *art.* 1.: illam nominat *gerichtelyken*, hoc est judicialiter, factam, puta, coram Praefecto, sedente quasi in judicio, ac pro tribunali.

— 85. *Col.* 2. *Lin.* 36. facessit

— 94. *Col.* 1. *Lin.* 5. **Μεάλπτου Διδυμεια** exstat in marmore antiquo, Septimio Citharoedo posito, quod exhibet Jo. Seldenus in *Marmor. Arundell. pag.* 34., intellige agonem sacrum Apollini Didymaeo celebrari solitum.

— 95. *Col.* 1. *Lin.* 14. *Smyrnae* —

— 98. *Col.* 2. *Lin.* 16. De *quis* pro *qui* adde notas *ad Ennii fragmenta pag.* 1. *et* 229. de *quis* pro *quae* v. *ibid. pag.* 9. 136. *et* 331.

— 109. *Col.* 1. *Lin.* 45. *de legat.* 20.

— 131. *Col.* 1. *Lin.* 7. *L.* 3. §. 15.

— 133. *Col.* 2. *Lin.* 6. *unde legitimi.*

— 134. *Col.* 2. *Lin. ult.* Adde Hotomann. *Ill. Quaest. Cap.* 38.

— 139. *Col.* 2. *Lin.* 29. *Dolg* vulnus significare veteribus Germanis, Frisiisque, *dolk* pugionem, notat Siccama *ad leg. Fris. ad inscript. Tit.* 22.

— 177. *Col.* 1. *Lin.* 23. quae, et *Lin.* 37. *L.* 3. §. 5. *D.*

— 179. *Col.* 1. *Lin.* 17. *nam et* — —

— 180. *Col.* 2. *Lin.* 1. *eum jure jubete*

3. 24. *Si medicus sciat, eum aegrotum, qui* JUSSUS SIT *vinum sumere.*

— 322. *Lin.* 26. Spartianus in *Aelio Vero in pr.: in hac statione, quam temperas.* Scio, *temperare Remp. institutis*, dici a Cicerone, pluraque ejusmodi exstare apud alios, simpliciter ita poni *temperare*, pro moderari, regere, dubito. Levissima mutatione reponam, neque tamen invito obtrudam, *cui tu imperas.* Idem *ibid. Cap.* 6. alio sensu vocem usurpavit: *volens videri quod tristia verba temperasset.* Hoc, credo, voluit Spartianus: ominosa verba, quae de Aelio Vero fuerat elocutus, Adrianus publice voluit ostendere, poenitere se dixisse, probareque, non adeo tristi sensu se accepisse, quo retulerat ea Praefectus.

— 324. *Lin.* 9. Ita *continente habitare* exstat in tabulis Heracleënsibus, a Mazochio publicatis, *pag.* 324.

— — *Lin.* 15. Eadem ellipsis locum habet in *τοις ope consilio*, quae simpliciter nonnunquam ponuntur, aliquando disjunguntur. v. Oisel. ad *Cajum Inst. Lib.* 2. *Tit.* 10. §. *ult.*, et Schulting. ad *Paul. Sent.* 2. 31. 10., add. Putman. in *Interpr. pag.* 137., quo loco egregie explicat verba *L.* 52. §. 2. *D. pro socio: pretium enim operae artis est velamentum*, per *operae, artisve.* Pari modo intelligenda videntur haec Frontini *de re agraria in praefat.: et si in parvo, in aliqua cessasse videamur parte.* Interpretor: in re non multi ponderis, aut in alia qua parte. Non necessarium itaque, ut cum R. Keuchenio inseramus *aut.*

Pag. 333. *Lin.* 17. Pro erga, sensu bono, frequentissime usurpavit Cicero: ita *de Nat. Deor. Lib.* 1. *Cap.* 2. *fides adversus Deos. Ibid. Cap.* 41. *pietas adversus Deos, justitia adversum Deos*, alibi.

— — *Lin.* 32. malo

— 382. *Lin.* 13. *dele* MSS.

— 398. *Lin. ult.* impedito

— 427. *Lin.* 12. Cicero *Epist. ad divers. Lib.* 9. *Ep.* 24. *num.* 9. interpretatur *concoenationes.* Adponam locum egregie opportunum: *illi*, inquit, puta Graeci, *συμποσια, aut συνδειπνα, id est compotationes, aut concoenationes, nos convivia.*

— 428. *Lin. ult.* Isidorus *Lib.* 19. *Cap.* 1.

— 432. *Lin. ult. Sortio* pro *fortior* est in tabulis Heracleënsibus, a Mazochio propositis, *pag.* 324. ubi v. Maittaire.



JOANNIS CANNEGIETERI

OBSERVATIONUM MISCELLANEARUM

LIBER SINGULARIS.

CAPUT PRIMUM.

Vindicatur, atque exponitur lectio vulgata Legis 16. D. de Condit. et Demonstrat. *Tentatur* L. 24. D. de Reb. dub. Jus scriptum *quid dicatur.* Juris *significatio, etymon.* Jusa *pro* jussa, jura. *Testatoris voluntas religiosissime olim observabatur. Ratio* Legis 6. D. de Transact. Legare *pro* jubere. Leges *pro* lex. Lex *unde dicta. Promiscue usurpata* legere *et* legare, *similiaque. Illustratur* L. 116. pr. D. de Legat. 1°. *Testator* jubere *dicitur. Testamenta legis modo condita.* Jus *et* lex *appellata jussus, voluntas testatoris. Explicantur* L. 77. §. 12. D. de Legat. 2°. *et* L. 30. D. de Test. Tut.

Ita Gajus in *L.* 16. *D. de Conditionib. et Demonstrationib: In his,* inquit, *quae extra testamentum incurrerent, possunt res ex bono et aequo interpretationem capere: Ea vero, quae ex ipso testamento orirentur, necesse est secundum scripti juris rationem expediri.*

Testatoris voluntas religiosissime observanda, idque unice attendendum, quid senserit defunctus: hinc inspicienda, et ponderanda verba testamenti, atque ex mente illius, qui testamentum fecit, omnia sunt expedienda: Rem paucis comprehendit Marcellus: *non aliter,* ait, *a significatione verborum recedi oportet, quam, cum manifestum est aliud sensisse testatorem,* in *L.* 69. *pr D. de Legat. et Fid. III.* Quod si vero accidat, ut controversiae incidant, non

quidem de ipsis testamenti verbis, sed de iis, quae extra testamentum incurrunt, id observatur, quod aequitas suggerit. Casus hic esto: Cajus a Sejo ex asse heres est scriptus, mortuo Sejo, apertis tabulis, Cajus hereditatem petit: objicitur, quod infaustas voces adversus testatorem jactaverit, aperteque ei maledixerit: quod si hic scripturae attendamus, repelli nullo jure potest Cajus: atqui vero ratio et boni aliud velle videtur: injustum enim, atque ab ipsius defuncti sententia alienum, isti hereditatem relinquere, qui malis ominibus mortuum persequitur. Extra omnem dubitationis aleam est positum, testatorem, si haec praevidere potuisset, alium heredem fuisse scripturum: non itaque hic verba testamenti observantur, sed res, utpote extra testamentum incidens, ex aequitate interpretationem accipit. Vid. *L.* 9. §. 1. *D de his, quae ut indign. aufer.* Elegans quoque exstat exemplum in *L* 9. *D. de Cond. et Dem.* Adde *L.* 61. *eod.*, et *L.* 13. §. 1. *D. de annuis legatis.* Ita quoque exponenda est *Lex* 7. *C. de Fideicommissis.* Confer *L.* 10. *D. de reb. dub.*, et *L.* 14. *C. de Testamentis.* Res clara est ac perspicua. Verum a juris ratione illud alienum videtur, quod in fine legis Gajus *jus scriptum* in caussa testamentaria opponat aequitati, quasi vero summum jus in ultimis voluntatibus praepolleat, et juri stricto inhaerendum sit, in quam sententiam verba haec accipienda ratus fuit antiquus Glossator ad hanc legem: *Si heres meus*, inquit, *diceret uxori meae, non fuit tibi legatum, et ipsa velit probare sibi legatum, debet haec quaestio expediri secundum rationem stricti juris, scilicet audiendo probationes, et faciendo ea, quae solent fieri in causis ordinariis:* haec quidem Juri nostro immane quantum adversantur. Non enim res secundum observantiam stricti juris expeditur, sed ratio habetur voluntatis, consiliique testatoris, verbaque ejus in mitiorem partem flectenda, uti manifestum est ex *L.* 24. *D. de reb. dub.*, ubi aperte Marcellinus: *quum*, inquit, *in testamento ambigue, aut etiam perperam scriptum est, benigne interpretari* (insere hoc loco *est*, id est, licet, possumus, quae locutio non Jurisconsultis tantum usitatissima, verum classicis quoque scriptoribus, qui vocantur, frequens est. Horat. *Lib.* 1. *Serm.* 5. *v.* 87.

Quod versu dicere non est.

Virg. *Georg.* 4. *v.* 447.

Neque est te fallere cuiquam.

Adde, quae de Graeco hoc loquendi more adcumularunt Jo. Schulting. *in notis ad Senecae Suasor.* 3. *pag.* 25., et Vechnerus *in Hellenol. Lib.* 1. *Cap.* 31. *pag.* 127. *et seqq.* Ex juris corpore depromta exempla profert Brisson. *in lexico*, voce *est.* *Est* absorptum hoc loco, cum quod ter positum in hac lege, tum ob vocem sequentem *et*, earundem poene litterarum: denique notari velim, *το est* perperam saepissime contextui a librariis addi, vel omitti. Vid. Cl. Arntz. *ad Caton. Lib.* 1. *Dist.* 12. Aut potius sic distingue: *perperam scriptum*,

ptum, est benigne interpretari, et ....) et secundum id, quod credibile est cogitatum, credendum est. Pluribus hanc materiam eruditissime, ut solet, exposuit Vir summus Petrus Faber *Semestr. Lib.* 3. *Cap.* 15., qui, ut legem nostram 16. cum caeteris legibus conciliet, quod occurrit hic, *Juris* vocabulum, non ab ipso Gajo expressum statuit, sed ab imperito quopiam Scholiaste adjectum, male postea atque imprudenter contextui interpositum esse existimat. Hanc Fabri sententiam sequitur Antonius Schultingius, *in Exercitatione ad Valer. Max. Lib.* 7. *Cap.* 7. *pag.* 900., et Joannes Sandius, *in Decis. Fris. Lib.* 4. *Tit.* 5. *Def.* 8. Imo, quotquot fere sunt hilarioris famae juris Interpretes, omnes, quasi agmine facto, pedibus in hanc opinionem descendere non dubitarunt.

Quominus autem illorum sententiae calculum adjicerem, conspirans librorum omnium in eandem lectionem consensus est, quam non temere movendam esse censeo. Codicum autem antiquorum nullus est, quin vocem *juris* agnoscat et tueatur. Quam et hodie non difficulter tuebimur, si vocem *juris*, non eo, quo illi, sed alio sensu accipimus. *Jus scriptum* illi interpretantur, jus civile Romanum. Sed quae caussa prohibet, quo minus interpretemur, jus a testatore in testamento scriptum? ut mihi quidem videtur, nulla. Retinendam itaque censeo vocem *juris* in illo Gaji fragmento, atque illud *jus* accipio, quod in testamento est scriptum. Et, ne de usu hoc vocis dubites, ipsi Decemviri in legibus suis id *jus* esse voluerunt, quod *paterfamilias legassit*. Proprie ergo in re testamentaria *jus scriptum* dicetur testatoris voluntas scripta. Malo tamen latius interpretari, atque eo nomine complecti etiam jus testamenti nuncupatum, id est, ore prolatum: haud aliter, atque jus Romanum *scriptum* dicimus, non tantum, quod stilo aut calamo scriptum, sed et quod, quomodocunque prolatum, expressa legislatoris voluntate constat, vid. §. 3. *sqq. I. de Jure Nat. Gent. et Civ. Jus* itaque testamenti *scriptum* erit, quod expressa et manifesta testatoris voluntate censetur.

Quod si autem vocabuli *juris* originem indagamus, certum est nulli rei eam aptiorem esse, quam testamentis, et testantium voluntati: siquidem ea vox a *jubendo* descendit, a quo est *jusum:* ita enim vetustiores Romani, qui non geminabant litteras, vid. Fest. in *Ab aloes*, in *Anus*, *atque alibi:* confer Rad. Forner. *Rer. Quotid. Lib.* 2. *Cap.* 1. *Jusa* autem dicebant non *jura*, quoniam olim litteram R non habebant, quam demum Appius Claudius invenit, uti est in *L.* 2. §. 36. *D. de Orig. Jur.* Hinc *Papirii* olim *Papisii* dicti, Cicero *Lib.* 9. *ad Familiares Epist.* 21. *Num.* 4., vide et Menag. *Amoenit. Jur. Civ. Cap.* 39. in v. *jus*, junge Festum in voc. *Pignosa*, adde denique Schulting. *ad* Πρῶτα *D. Tit.* 1. *Num.* 8. Egregie Cornificius *Rhetoric. ad Herennium Lib.* 2. *Cap.* 13. *lege*, inquit, *jus est, id, quod populi jussu sancitum est.* Livius *Lib.* 7. *Cap* 17 *quodcunque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset: jussum populi et suffragia esse*, add. eund. *Lib.* 9. *Cap.* 33 *et* 34. Cicero *Lib.* 1. *de Legib. Cap.* 5. *tum haec*, ait, *tractanda, quae composita sunt et descripta, jura et jussa populorum.* Idem *Cap.* 12. *Lex, quae est recta ratio in jubendo et veta do:*

tando: si lex, jus quoque. Ibidem *Cap.* 16.: *si populorum jussis jura constituerentur.* Confer *Lib.* 2. *Cap.* 4. Praeclare postremo Idem *Lib.* 3. *Cap.* 1. *hominum vita jussis supremae legis obtemperat.* *Jus* itaque cum nihil aliud sit, quam jussus, voluntas ore aut stilo expressa, dubium non est, quin optimo jure ad testatorem possit tranferri. Ecquis enim adeo imperitus rerum, qui nesciat, Romae nihil unquam religiosius fuisse observatum, quam suprema hominis, debita naturae jam jam reddituri, mandata? publice enim expedit suprema hominum judicia exitum habere, *L.* 5. *D. testam. quemadm. aper.*, nihilque tam conveniens est, quam voluntatem ejus ratam haberi, qui rem suam ad alium vult transferri, §. 40. *J. de Rer. Divis. Nihil est*, uti legitur in *L.* 1. *C. de Sacros. Eccles.*, *quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, post quam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus, et licitum, quod iterum non redit, arbitrium.* Haec itaque ratio censenda, quod lex ut immeritos atque indignos ab hereditate removeat eos, qui jussa testatoris non adimplessent. *L. ult.*, et *Authent. hoc amplius. C. de Fideicommiss.*: junge, quae hanc in rem congessit Annaeus Robertus *Rer. Judicat. Lib.* 1. *Cap.* 3. *pag.* 25. *et seq.*, et *Lib.* 2. *Cap.* 10. *pag.* 422: hinc testamenta supprimi, aut de controversiis, quae ex testamento proficiscuntur, transigere, non inspectis cognitisque tabulis, non licuit. *L.* 6. *D. de Transact.*: imo nefas istud habebatur: fiebat enim alias, ut elusoria essent hominum judicia, ut legatis honorati nihil quidquam acciperent: imo nesciebatur, quid circa sepulturam, caeterasque religiones fieri voluisset testator: quae tamen accurate adeo olim fuere observanda, ut, si quid in his neglectum foret, animas defunctorum quiescere non posse, sed per longam annorum seriem in terris vagari, atque quasi furiis quibusdam agitare eos, per quos steterat, quo minus defuncti mandatis mos gereretur, sibi persuaderet superstitiosa gens Romulidarum. Elegantissimum exemplum narrat Plinius *Lib.* 7. *Epist.* 27., ubi consule Commentatores. Hinc Valerius Maximus *Lib.* 7. *Cap.* 7. *Ex.* 2., de filio agens, patris testamentum rescindente, *plus*, scribit, *illi in judicio cum excellentissimi viri gratia, quam cum parentis cineribus negotii fuit.* Idem *Cap.* 8. *Ex.* 4.: *cineres fratris quietos esse passus est.* Ignorabatur deinde, quid senserit testator de amicis atque inimicis, ea quae tamen diligentissime attendebant Romuli nepotes, quandoquidem morientium verbis omina inesse crederent: inde Augustus Imperator suprema amicorum judicia morosissime pensitasse narratur Suetonio *in Aug. Cap.* 66. Huc etiam referendam arbitror causam, ob quam maximo sibi honori duxit antiquitas, si quando legata cui adscriberentur in testamentis: hinc *honor hereditatis*, *injuria*, *contumelia exheredationis*, vide Schulting. *ad Val. Max. in pr.*, *voce*, *honorem hereditatis.* Quid, quod ex legum quoque vinculis obstricti fuerint heredes ad voluntates mortuorum exsequendas, quo de pluribus pertractavit Gerh. Noodt *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 2., adde Gudelin. *de Jure Noviss. Lib.* 2. *Cap.* 9.

Cognitis his, ac recte ponderatis, quae de religiosissima observatione supremae testantium voluntatis proposui, quis dubitet, noluisse Romanos, apud quos, secundum Paulum in *L.* 43. *D. de Relig. et sumt. fun.*, *summa* erat *ratio*,

tio, quae pro religione facit, ut supprimerentur tabulae, aut de controversiis testamentariis transigi, non inspectis cognitisque iis? Confer iis, quae ad *L. 6 D. de Transaction.* obiter notavi, quae uberius nuperrime ad eam legem commentatus est H. J. Arntzenius *in Miscellan. Cap* 13, ex quo et hoc disces, eodem, quo dudum ante ego exposueram, modo, iisdemque argumentis usum, *legis nostrae* 16. lectionem defendere atque exponere Cl. Schroderum, suppresso tamen nomine meo.

Nihil itaque prius, nihil antiquius habuerunt Quirites, quam ut integre ac plene servarent testatoris jussum, eique adeo eandem quam legi vim tribuerunt. Fidem poene superat, quam anxie heredes exsecuti fuerint ultima morituri mandata. Poëta, nescio quis, in carmine de vita Virgilii, quod Augusto Imp. a nonnullis adscribitur:

Sed legum est servanda fides. Suprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies: supremaque jussa parentis
Amittant vigilasse suum.

In cachinnum solvatur, qui cognoscit ineptis aliquando, ac non bene sani hominis visis jussionibus extremis, si legibus vetarentur observari, colore aliquo quasi temperatis, ab herede pro facultate tamen fuisse obeditum. Ovidius cecinit *Fastor. Lib. 5. v. 653. sq.*

Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me in Tyberim, Tyberinis vectus ut undis,
Littus ad Inachium pulvis inanis eam.
Displicet heredi mandati cura sepulchri:
Mortuus Ausonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino Tyberi jactatur imago,
Ut repetat Grajas per freta longa domos.

Confer omnino de religione veterum circa monumenta Freher. *in Parerg. Lib. 1. Cap. 23. et 26. in Thes. Jur. Otton. Tom. 1. pag. 891. sq. et 897. sq.*

Ex hoc fonte derivanda sunt legis XII tabularum verba, de quibus jam ante coepi dicere: *Paterfamilias uti legassit super pecunia, tutelave rei suae, ita jus esto.* Vid. Ulpian. *in Fragment. Tit. XI.* §. 14. Add. *L 53 et 120. D. de V. S., L. 1. D. ad Leg. Falcid., pr. J. de Lege Falcid.*, et *Novell. 22. Cap. 2.* Unde manifesto apparet, arbitrium testatoris unice esse attendendum, idque prae caeteris considerandum, quid defunctus *legassit*, hoc est, jusserit. *Legare* enim antiquissimis temporibus idem significavit quod jubere, mandare,

 legem.

legem dicere, v. Heinecc. *in Antiq. Rom. Lib.* 2. *Tit.* 20. §. 1. et in *Dissertatione de origine testamenti factionis, et usu*, §. 2. *sq.* Aperte Ulpianus *Tit.* 24. §. 1.: *Legatum dicitur, quod legis modo, id est, imperative, testamento relinquitur.* Quid, si dicamus ipsum *legis* vocabulum inde descendere? vero namque simillimum esse videtur, in casu olim primo dictum fuisse *leges* vel *legis*, *duces* vel *ducis*, *Reges* vel *Regis*, quorum loco nunc dicimus *lex*, *dux*, *Rex*. *Faces* nominandi casu est apud Festum in voce *Faces*. *Plebes* et *Plebs*, *trabes* et *trabs*, *canes* et *canis*, promiscue antiquis usurpata fuisse testantur Varro et Priscianus. *Plebes* pro *plebs* plus semel posuit Ausonius. Confer Vossium *de Art. Gramm Lib.* 1. *Cap.* 21., et Sanctii *Minerv. Lib.* 4. *pag.* 347. Econtra *frux frugis*, *nubs nubis*, *prex precis*, *rups rupis*, *spex specis*, *vix vicis*, *unx unguis*, leguntur in Glossis Servii. Terminatione, non sensu discrepant, adeoque promiscue apud veteres adhibita *lego legare*, et *lego legere*, quod idem et in plurimis aliis obtinuit, sicuti ex verborum temporibus apparet: ita *cubo*, *cubui*, *cubare*, *domo*, *domui*, *domare*, *crepo*, *crepui*, *crepare*: neque aliter *dicere* et *dicare*, *praedicere* et *praedicare*. De *lavo*, *lavare*, et *lavere* v. Servius *ad Virg. Aen.* 10. *v.* 727., add. Jo. Nic. Funccium *de legib. XII. tabb. pag.* 178. *Ducare* et *ducere* frequentatum olim fuisse demonstrat verbum *ducator*. *Ducator* navis dixit Ulpianus *in L.* 29. §. 4. *D. ad leg. Aquil.* *Comere* pro *comare* saepe utitur Ausonius. De *educere* et *educare* v. Salmas. in *Plin. Exerc. pag.* 200. Exemplorum plurium copiam subministrat Nonius in capite *de mutatis conjugationibus*, multa quoque congessit Bynkersh. *Obs.* 4. 17., et Aus. Popma *de usu antiq locut. Lib.* 1. *Cap.* 11., et Schroder in *Obs. pag.* 267. Quemadmodum autem a *grex*, sive potius, *greges*, est *grego*, unde *congrego*, a *pax*, seu *paces*, *paco*, *pago*, *pango*, sic a *leges* est *lego*. Florentinus, cum in *L.* 116. *pr. D. de legat. I. legatum* definit *delegationem hereditatis*, respicit, credo, derivationem vocis a *legendo*, hoc est, decerpendo. Potuit sane, *legatum*, quasi *delegationem*, sive delectionem, id est, deminutionem, sive *delibationem*, quod substituitur in Codicibus nonnullis, dicere, spectans promiscuum verbi *legere* et *legare* flectendi modum, promiscuamque et communem utriusque vocis significationem. *Deligere* autem pro decerpere usurpatum Ovidio in *Remed. Amor. v.* 189.

Temporibus certis maturas rusticus uvas
Deligit.

Ubi consule Nic. Heinsium. An vero sonum inanem secutum fuisse Florentinum dicendum est, *legatum* appellanti *delegationem*? sonum certe vocabulorum in definitionibus ac derivationibus non segnius sequuntur Jurisconsulti, quam artem: vide, quae de testamenti originatione disputata sunt in opusculis Dukeri *de Latinitate veterum Jurisconsultorum*, *pag.* 27. *et seqq.* Stoicos quoque, aliosque Philosophos parum sollicitos fuisse de vera vocum origine indaganda, multa declarant. Quare nec ipsum Ciceronem moror, nec ipsum etiam Varronem, quantumvis Ciceronis judicio Romanorum doctissimum: quorum ille *de Legibus Lib.* 1. *Cap.* 6. *legem* a *legendo* ob id dictam scribit,

bit, quod in ea insit *vis delectus*, hic vero *de Ling. Lat. Lib. 4. pag. 23. legatos*, quod lecti publiee, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus. Alia de vocis *legare* origine dabit Funccius *d. l. pag. 222.*

Deinde, quod si quis respiciat ad antiquissimum legandi, atque heredes instituendi morem, ambigere non poterit, modum imperandi, verbisque *jubendi* quasi proprium fuisse iis, qui testamenta condebant. *Heres institui*, verba sunt Ulpiani *in fragmentis Tit. 21., recte potest his verbis: Titius heres esto, Titius heres sit, Titium heredem esse jubeo:* hinc et descendit solennis illa atque usitatissima monumentorum et cipporum sepulchralium formula: T. F. I, hoc est, *testamento fieri jussit*, qua de Valerius Probus *de Notis Romanorum interpretandis.* Adde praeterea eas, quas Brissonius collegit *de Formulis Lib. 7.*, in quarum numero: *jubeo ut det., jubeo hoc fieri.* Hinc et *jussio* vocatur testatricis voluntas in *L. 44. D. de manumiss. testam.:* inde quoque *damnari* dicuntur heredes: exempla apud JCtos passim obvia. Quinctilianus *Lib. 7. Cap. 9 heres meus uxori meae damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum.* Imo vero non omnino in arbitrio erat positum testatoris, verbisne uteretur precariis ac supplicibus, an directis, sed ex juris necessitate cogebatur, si ratam esse vellet voluntatem suam, imperativis verbis uti, ut nimirum appareret, sese optimo jure, et jure Quiritium esse rei suae arbitrum ac moderatorem, et, quodcunque vellet testatus, pro lege esse observandum: quare, teste eodem Ulpiano, illa institutionis verba: *heredem instituo, heredem facio*, plerisque improbata sunt. Verba illa imperativa, quae dixi, quaeque Ulpianus significat *Tit. 24. §. 1.*, cum legatum dicit esse *quod imperative, legis modo, relinquitur*, idem Ulpianus *Tit. 25. §. 1.* verba *civilia* nominat, ut ostendat, eandem ea vim habere, quam legum civilium verba, quae sententia est Cujacii *Lib. 11. Observ. 25. et alibi:* adjungo hoc: quia verba illa civium Romanorum propria erant, quibus jus fuit et domi et foris imperare: unde Virgilius *Aen. 6. v. 852.*

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Qui Poëta non eo tantum nomine Romanorum Vatum princeps appellatur, quod caeteris majestate carminis praestat, verum etiam, quod eruditione, et antiquitatis scientia antecellit. Eruditissimus Scholiastes ad Horatii *Lib. 2. Sat. 1. v 9.*, qui sermo scriptus est ad Trebatium, virum juris peritissimum, *habento* interpretatur *habeant:* addit deinde: *vide, ut directis Jurisconsultorum verbis utatur ad Trebatium JCtum.*

Legandi modos quod attinet, postquam praeceperat, ut dixi, Ulpianus *Tit. 24. §. 1., ut legis modo, id est, imperative, testamento relinquantur*, mox quatuor legatorum genera recenset, quae imperium testatoris luculentissime ob oculos ponunt: at, quod in primis huc facit, constat ex Paulo *Sentent. Lib. 1. Tit. 19. §. 1.*, legati per damnationem relicti actionem duplari, si heres a se id relictum esse inficias ivisset: ut adeo damnatio a testatore profecta eundem sortiatur effectum, quem sortiri solet res

a

a judice judicata: hinc et eſt, quod non ſemel factum teſtatoris et judicis aequiparentur, vid. Vasquius *Controverſ. Lib. 5. Cap. 27. Num. 9.*

Quod ſi ea, quae diximus hactenus, plenam non faciant fidem, neque quis credat, id, quod teſtamento juſſum eſt, recte *jus* appellari, nullus equidem dubito, quin in noſtra caſtra tranſiturus ſit, ſi is mecum reputaverit antiquos apud Populum Romanum teſtandi mores. Omnium, quantum conſtat ex annalibus, vetuſtiſſima fuit conſuetudo heredem declarandi in calatis comitiis, qui conventus erat populi, quem rogabat teſtator, adhibitis iisdem, quibus leges concipiebantur, verborum formulis, ut ratum vellet eſſe, ac *jubere* id quod in teſtamento ſuo ſcripſerat. Vid. Ulpian. *Tit.* 20. §. 2., Gell. *Lib.* 15. *Cap.* 27., denique §. 1. *Inſt. de Teſtam. Ordin.*, ibique Theophilus. Requirebatur itaque univerſi populi conſenſus, isque ut *juberet* neceſſe erat. Quin autem illud, quod ab ipſo populo ſancitum publice ac juſſum eſt, *jus* dici poſſit, nemo temere ambigat. Succeſſit poſtea alius mos per mancipationem imaginariam, ſeu per aes et libram, qua in mancipatione id, quod lingua nuncupaſſet, jus eſſe ſanciverunt Decemviri, hoc eſt (uti ea verba exponit Feſtus in voce *Nuncupata pecunia*) *ita, uti nominarit, locutusve erit, ita jus eſto*, et hoc idem a Cicerone quoque ad teſtamenta transferri docet Cl. Schulting. *ad Val. Max. loco ante citato.* Nuncupationis formulam exhibet Ulpianus *Tit.* 20. §. 9. Aderant et teſtes ad minimum quinque, qui ſcilicet repraeſentarent populum, olim in comitiis adhibitum: Commodius enim videbatur, quinque teſtes, quam univerſi populi ſuffragia rogare. Manifeſto itaque apparet, omnia quae eſſent ſcripta, pro nuncupatis fuiſſe habita, atque ideo ſecundum ſcripturam illam expedienda, quippe quae jus faciebat. Quae quidem res nonnullos impulit, ut heredes, iſtiusmodi teſtamento inſtitutos, *legitimos* potius dicendos eſſe exiſtimarint, quam *ſcriptos*, ſiquidem *jure*, id eſt, *juſſu* populi erant heredes facti; tu ea vide, quae ex Thomaſio, et Ampliſſ. Bynkershoeckio probat Cl. Heineccius *Lib.* 2. *Tit.* 10. *Antiq Rom.* §. 2. Denique, quum Praetor ſeptem teſtes requirat, referentes imaginem populi, quid vetat etiam *Jus* illud dici, quod a teſtatore juſſum eſt eo teſtamento, quod ex edicto Praetoris eſt conditum, de quo vid. §. 2. *J. de Teſtam. Ord.* Id quoque obſervatum Schultingio, *legitimorum* tutorum nomine Ulpianum *Tit.* 11. §. 3. etiam teſtamentarios comprehendere.

Quid verbis aut longiore diſputatione opus eſt? ipſi ſcriptores antiqui ultimam voluntatem νομον appellaſſe deprehenduntur, aut νομω et *legi* adſimilaſſe: teſtatores ipſi νομοθετειν dicuntur, hoc eſt legem ferre, jus dicere. *Nov. XXII. Cap.* 2. νομοθετειτω μεν γαρ εκαστος επι τοις εαυτου τα εικοτα, και εστω νομος η τουτου βουλη. Quae Latine ita verſa: *Diſponat itaque unusquisque ſuper ſuis, ut dignum eſt, et ſit* LEX *ejus voluntas.* Subdit iis Juſtinianus haec: *Sicut et antiquiſſima nobis lex, et prima poene reipublicae Romanorum diſponens ait, (dicimus autem duodecim tabularum) ſecundum antiquam et patriam linguam ita dicens:* UTI LEGASSIT QUISQUE DE SUA RE, ITA JUS ESTO: *nullo valente citra illius*

illius voluntatem, nec si sacram impetret formam, nec si quidpiam aliud omnium, aliquid aliter disponere in rebus alienis. Textus Graecus ex editione Gothofredi sic habet: καθαπερ και ο παλαιοτατος ημιν των νομων, και πρωτος σχεδον την πολιτειαν Ρωμαιοις διαταξας φησι, (φαμεν δε τον δυωδεκαδελτον) κατα την αρχαιαν και πατριον γλωτταν ουτωσι που λεγων: uti legassit quisque de re sua, ita jus esto. ουδενος δυναμενου παρα εκεινου γνωμην, ουδ'αν ει θειον πραττοι τυπον, ουδ'αν ει τι των παντων ετερον, τι παραδιατυπουν επι τοις αλλοτριοις. Num recte reddiderit Interpres, dubito. Hanc credo mentem fuisse Imperatoris. *Sicut et antiquissima nobis lex, et prima poene rem populi Romani publicam constituens*, (sive ordinans) *dicit (dicimus autem legem XII tabularum) secundum priscam et patriam linguam ita alicubi dispenens: . . . . Nullo valente, ex legis illius sententia, neque* ipso *quidem* Principe, *sacram faciente formam*, per sacratissimas constitutiones suas, aut rescripta, *neque si quid aliud omnino* facere instituerit quispiam, *quidpiam* reformare, aut *aliter disponere in* testamentis *alienis*. Confer Theophilum *ad pr. Inst. de Lege Falcidia*, atque in primis Schulting. *ad Ulpian. Tit.* 11. §. 14. Cicero *Philipp.* 2. *Cap.* 42. testamentum legi aequiparat: *in publicis*, inquit, *nihil est lege gravius, in privatis firmissimum est testamentum.* Plinius, pietate ductus, non semel jus testamentarium, id est voluntatem testatoris, juri civili antetulit. Ita namque *Lib.* 5. *Epist.* 7.: *mihi autem defuncti voluntas antiquior jure est.* Add. omnino *Lib.* 2. *Epist.* 16. Hoc egregie idem Plinius *Lib.* 4. *Epist.* 10.: *Defunctorum voluntatem bonis heredibus intellexisse pro jure est.* Quare non imperite Lucius Titius in *L.* 88. §. 17. *D. de Legat.* 2., quicunque tandem illle fuerit: *Pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas.* Add. *L.* 1. *in fine C. de Testam. Mil.: Voluntas militis pro jure servatur*, et *L.* 77. § 12. *D. de Legat.* 2°. *ordo scripturae non impedit causam juris ac voluntatis*, hoc est, juris, id est, voluntatis.

An *jus* pro jussu testatoris accipiendum in *L.* 30. *D. de Test. Tut.?* Si non apparet, quem dare se tutorem testator senserit, *non jus deficit, sed probatio*, hoc est, uti ego quidem interpretor, constat de voluntate defuncti, recte quidem is jussit atque jure, nec rejiciendus ejus jussus, sed exitum habere nequit, quia probari non potest, utrum tutorem ex duobus Titiis voluerit.

CAPUT SECUNDUM.

I. *De communi religione veterum circa cadavera, funera, et quietem mortuorum. De negata nonnullis sepultura.* Cicero *aliquoties exponitur, et tentatur.* Plinii *verba explicantur, et ten-*

tentantur. II. Petronius *exponitur*. Cicero *et* Ausonius *tentantur*. III. *Restituitur lectio*, *et sensus* Legis 40., IV. *item* L. 14. §. 7., V. L. 2. §. 9., *et* L. 12. §. 1. D. de Religios. Alius *pro* alienus. VI. *Notarum ope corrigitur* L. 3. pr., *et* §. 1. D. de Sepulchro viol. Admodum impuberes *qui sint*. Admodum praetextatus *quis dicatur* Floro.

I. Ostendimus in superioribus, id in primis operam dedisse Romanos, ut supremae hominum voluntates diligentissime observarentur. Ejusmodi tamen conditio in testamento adscripta, *si reliquias meas in mare abjiciat*, impune ab herede negligi, quin impleri non posse visa est, quippe *memoria humanae conditionis sepulturae tradi* eas oportere placuit. Vide L. 27. *D. de Condit. Instit.* Jam ab antiquissimis inde temporibus ea insedit mortalium animis religio dicam, an opinio, cineres defunctorum si moverentur, inquietari eo manes, imo injurias exinde fieri cadaveribus: quam ob rem poenae variae constitutae adversus istos, qui tale quid commisissent. Singulare est, quod justa sepultura denegata fuerit olim iis, quos vindicta divina fulmine percussos exstinxerat. Hominibus impiis sceleratisque prohibitum fuisse antiquitus funeris honorem, quem et hodie nonnullis non concedi est notissimum, probavit Schedius *de Diis Germanis pag.* 431. *sq.* De humatione luctuque adfinium vetitis consule Lips. *ad Tacit. Annal. Lib. 6. Cap.* 29. Parricidis, scimus, monstris hominum, hoc quoque supplicii genus additum, ut cadavera istorum in profundum abjecta a nullo reciperentur, humo nunquam conderentur. Egregie Cicero *in Orat. pro Rosc. Amer. Cap.* 26. *quid*, inquit, *tam est commune*, *quam spiritus vivis*, *terra mortuis*, *mare fluctuantibus*, *littus ejectis? Ita vivunt* parricidae, *dum possunt*, *ut ducere animam de coelo non queant: ita moriuntur*, *ut eorum ossa terra non* TANGAT. Hotomannus corrigit: *terram non tangant.* Doctissimus Juvenis P. P. Justi in *Specim. Obs. Crit. Cap.* 21. rescribi jubet: *terra non tegat.* Optime se habere puto Oratoris verba, neque quidquam mutandum. Ossa in mare projecta jactantur continuo ac fluctuant, usque dum piscibus esca fiant. Vix itaque evenire potest, ut desidentia ea terra tangat.

Omni itaque ope id sedulo adlaborarunt majores, ut reliquiae suae post fata immotae quiescerent. Fidem poene superat summum, non gentilium modo, sed et Christianis sacris addictorum studium, anxiaque cura, qua id efficere adnixi fuerunt, ut mortuis sibi propria esset ac perpetua sedes, et quies aeterna. Neque enim insani vulgi, in superstitionem proni, mentem hanc fuisse credas, sed communem scias, non dico Romanis, sed quaqua late patet terrarum orbis incolis,

Qua mare, qua tellus, qua sidus currit utrumque.

Con-

Conſtat de Judaeis ex Pandectis ſacris. De caeteris gentibus inſpici merentur, quae adnotavit Alexander ab Alexandro *Gen. Dier. Tom.* 2. *Lib.* 6., nec non Jac. Gutherius in tractatu inſigni *de Jure Manium*. Plurima quoque hanc in rem congeſſit Vir Nob. S. H. van Idſinga *in Variis Jur. Civ. Cap.* 20. *ſq.* Multis etiam de eodem diſputat rarae eruditionis Juvenis R. M. van Goens in Diatribe elegantiſſima *de Cepotaphiis*. Adde Commentatores *ad Petron. Sat. Cap.* 114. Eo usque proceſſit religio, ut et ſervi cadaver, ſervi inquam, qui rebus potius, quam hominibus accenſeri ſolebat, locum faceret religioſum.

Huic gentium opinioni originem debent variae leges de ſepeliendi ritibus, ac praecipue de ſepulchris non violandis, propoſitae. In Capitulario Caroli M. *Lib.* 5. *Cap.* 361. qui mortuum hominem repertum humanitatis cauſa humaverit, a parentibus ejus remunerandus, et, ſi a parentibus ejus mercedem noluerit recipere, recepturus dicitur a Domino, qui praecepit mortuos ſepelire. Ibid. *Lib.* 6. *Cap.* 198. mortuum ſuper mortuum ponere, neque oſſa defunctorum ſuper terram dimittere licere conſtituitur. Adde leges Bajuvariorum *Tit.* 18. Servus, qui ſepulchrum violaverit, aut mortuum exſpoliaverit, ducenta flagella ſuſcipit, et inſuper flammis ardentibus exuritur ex lege Wiſi-Gothorum *Lib.* 10. *Tit.* 2. §. 1. In Edicto Theodorici Regis *Cap.* 110. ita jubetur: *Qui ſepulchrum deſtruxerit, occidatur.*

Varias diverſarum gentium opiniones de ſepeliendi modo recenſet Cicero in *Tuſcul. Diſp. Lib.* 1, ubi multis id agit, ut demonſtret, in corpore, exſtincto, vel elapſo animo, nullum reſidere ſenſum.

Obſcuriora ſunt in opuſculo illo, an foedata non pauca. Adjuvare conabimur caput unum alterumve difficilius. Ita philoſophatur Auctor Cap. 31. *Siquidem vel Dii ipſi, vel cum Diis futuri ſumus. A. Quid refert? adſunt enim, qui haec non probent. M. Ego autem nunquam ita te in hoc ſermone dimittam ulla uti ratione, ut mors tibi videri malum poſſit.* Ego omnia haec Marci eſſe puto, ac ſic eſſe diſtinguendum, et mutandum. *Siquidem vel Dii ipſi, vel cum Diis futuri ſimus, quid refert? At ſunt etiamnunc,* (teſte Valerio per EN ſcribitur vox poſtrema) *qui haec non probent: ego autem nunquam ita te in hoc ſermone dimittam, ulla uti ratione vel mors tibi videri malum poſſit.* *Ta ut* et *vel* confundi ſolere docuit J. Arntzen. ad *Pacat. pag.* 108. In Cap. 44. *tenendum eſt igitur,* inquit Tullius, *nihil curandum eſſe poſt mortem, cum multi inimicos etiam mortuos poeniantur.* Nonius *Cap.* 7. refert *quo multi*, malim *quamvis multi.* Ibidem: *quam eſſent dura, ſi ſentiret? nulla ſine ſenſu ſunt.* Reſtituo: *nulla, ſi* hoc eſt, ſiquidem, quoniam, *ſine ſenſu ſunt.* In Cap. 48.: *His et talibus auctoribus uſi confirmant cauſam, rebus a Diis immortalibus judicatam.* Sic diſtinguo, neque quidquam emendo. Re ipſa atque eventu judicarunt, atque oſtenderunt Dii, mortem homini eſſe rem optimam. Ad rem redeo.

Romani, qui inſepultorum manes, eorum certe, quorum, in mari ſubmerſorum, animae ſcilicet aqua exſtinctae fuerant, miſere errare crediderunt, quanto opere id adlaborarint, ut terrae infoderentur corpora mortuorum,

rum, tranquillaque perpetuo quiete fruerentur, demonstrant inscriptionum millia, ubivis obvia, indicant tituli D. *de Sepulchro violato*, ac *de Religiosis et sumtibus funerum*, quibus adde Pauli *Sent. Lib.* 1. *Tit.* 21. *de Sepulchris et lugendis*, et Ciceronem *de Legib. Lib.* 2. *Cap.* 22. *sqq.*, manifestant pleni de eo veterum libri, innumera exemplorum copia. Memorabile, neque tamen temere credendum factum refert Plinius *Lib.* 7. *Ep.* 27. umbrarum hominis non rite sepulti, quae domum quandam continuo infestasse narrantur: *ossa*, inquit, *collecta publice sepeliuntur: domus postea rite conditis manibus caruit.* Varie emendantur verba postrema: Sunt qui *manibus* per geminationem repetunt. Manes sunt animae defunctorum: reliqnias, ossave ipsa eo nomine appellari posse vehementer dubito. Sic potius distinguendum esse existumem: *domus postea, rite conditis*, (scilicet *ossibus*, quae vox proxime praecedens hic loci subintelligenda est) *manibus caruit*, hoc est, species amplius non apparuit, postquam condita fuerant ossa. Neque tamen intercedam, si plenius legi malis: *conditis iis.* Hinc *domus aeternae* nominati tumuli. *Perpetuae sepulturae* tradita corpora dicit Ulpianus in *L.* 3. §. 4. *D. de Sep. Viol.*

II. Apposite Trimalchio apud Petron. *Sat. Cap.* 71.: *Valde enim* FALSUM *est, vivo quidem domos cultas esse, non curari eas, ubi diutius nobis habitandum est: et ideo ante omnia adjici volo:* HOC MONUMENTUM HEREDEM NON SEQUATUR. Ne scilicet moveantur ossa. *Caeterum erit mihi curae, ut testamento caveam, ne mortuus injuriam accipiam: praeponam enim unum ex libertis sepulchro meo custodiae causa.* Non faciam equidem cum iis, qui pro *falsum* substituunt *falsum*. Interpretor: valde falluntur, atque errant, qui opinantur, vivo domos cultas esse oportere, quibus exiguo temporis spatio utimur, vana est ac jejuna opinio. Eodem modo Cicero *Lib.* 2. *de Orator: Valde baec videntur, et hercle omnia, quae a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde falseque dicuntur*, sic enim reponendum pro *false*, quod insulse exhibent editiones, docet contextus. In Epigrammate veteri est:

Haec domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.

Ovidius *Met. Lib.* 4. *v.* 34. *domum ultimam* appellat. Confer notas VV.DD. ad Petron. *l. c.* Ausonius in *Profess. Carm.* 11.

Esto placidus, et quietis manibus sedem fove.

Idem *Carm. ult. v.* 11.

Sedem sepulchri servet immotus cinis.

Sic malo pro *sepulchris*.

III.

III. Eleganter Paulus in *L.* 40. *D. de Religiof.magis*, ait, *temporis gratia deponere, quam quod ibi fepeliret mortuum, et quafi aeternā fedē dare deftinaverit.* Sic malo pro *aeterna fede*, quod eft in Florentino.

IV. Humanitatis, mifericordiae, et pietatis negotium agit, qui defunctum terrae mandari curat, vid. Catharin. *in Obf. et Conj. Lib.* 4. *Cap.* 33. *Aeftimandum erit*, dicit Ulpianus in *L.* 14. §. 7. *D. de Religiof.*, *arbitro, et perpendendum, quo animo fumtus* in funus *factus fit: utrum negotium quis vel defuncti, vel heredis gerit, vel ipfius humanitatis, an vero mifericordiae, vel pietati tribuens, vel affectioni.* Pro *humanitatis* Def. Heraldus *in Obf. Cap.* 34. fubftituit *hereditatis.* Heraldum fequitur Grotius in *Flor. Sparf.* Aliter exponit Bynkersh. *Obf. Lib.* 4. *Cap.* 22. Nil quidquam mutandum cenfeo. *Humanitatem* intelligo officium, quod homo homini praeftat, is qui humani nihil a fe alienum putat. Sic interpretor: *vel ipfius humanitati S*, hoc eft, *fcilicet*, tefte Probo, *an vero* dicam *mifericordiae, vel pietati tribuens* arbiter. Levius eft monuiffe, *tribuens* pofitum pro *tribuenti*: referenda videtur locutio ad ea, in quibus feftinantes occupative JCti, rei magis quam verbis intenti, curiofas Grammaticorum regulas minus anxie obfervarunt.

V. Emendatione indigent haec ejusdem Ulpiani in *L.* 2. §. 9. *D. de Religiof.*, facili tamen ope reftituenda: *is, qui pignori dedit agrum, fi in eum* SUORUM *mortuum intulerit, religiofum eum facit.* Excidit puto Q, legendumque *fuorum quem.* Editiones aliae exhibent *fuum.* Haud ineleganter *fuos* et *alienos* a JCtis inter fe opponi videas. Ita Paulus *Sent. Lib.* 1. *Tit.* 21. §. 6.: *qui mortuum fuum, alienumve intulerit*, item §. 10. *ibid.*: *qui mortuum alienum fepelierit.* Adde et §. 12. *eod.* Ulpianus in *L.* 12. §. 1. *D. de Religiof.*: *SCto*, inquit, *cavetur, ne ufus fepulchrerum permutationibus polluatur, id eft, ne fepulchrum* ALIAE *converfationis ufum accipiat.* Cl. Marckart, qui et aliorum de verbis his opiniones adjungit, *aliae* dictum accipit pro *alius, alterius.* Ita *unaeque figurae* dixit Lucret. *Lib.* 2. *v.* 778. pro *unius*, ubi v. notas. *Solae* pro *folius* eft apud Aufon. in *Praef. Cent. Nupt.* Trimalchio, domini fui femina, dominae fuae vir, apud Petronium *Sat. Cap.* 75: *ad delicias femina ipfimi domino annos quatuordecim fui.* In MS. eft: *ipfi mi domini.* Lego *ipfi mei domini*: fequitur enim mox: *ipfi meae dominae fatisfaciebam.* Pofitum autem *ipfi* pro *ipfius*, quo modo Plautus in *Truc. Act.* 4. *Sc.* 3. *v.* 16.: *iftae dedi*, pro *ifti.*

Magis placet Haloandri lectio, qui fubftituit *alienae.* Scriptum fuiffe conjicio *aliēae.* Saepius haec vocabula in codicibus antiquis confufa videntur. In *L.* 2. *D. de Termino moto* exftat *alienorum finium*, in *Collat. Leg. Mof. et Rom. Tit.* 13. §. 3., ubi de eodem fermo fit, exhibetur *aliorum.* Prohibetur permutatio, ne alieni mortui cum fuis, hoc eft, cum domino, ejusque familia confundantur.

VI. Pergo ad legem difficillimam, eamque variis Eruditorum commentariis celeberrimam, quae Ulpianum auctorem habet. *Praetor ait* . . . (verba funt *L.* 3. *pr. et* §. 1. *D. de Sep. viol.*) *centum aureorum actionem dabo* . . .

ducentorum aureorum judicium dabo. Prima verba edicti *ostendunt*, *eum demum ex hoc* edicto puta, vel judicio, *plecti*, *qui dolo malo violavit: Si igitur dolus absit*, CESSABIT EJUSDEM PERSONAE. *Igitur doli non capaces*, *ut* ADMODUM *impuberes* . . . . *excusati sunt*. Frequente Criticorum Senatu ad sanandam §. 1. depravatam lectionem convocato, quid singuli ea de re statuendum censuerint, referunt Auctor Obs. Jur. Civ. *pag.* 92., D'Arnaudt *Var. Conj. Lib.* 2. *Cap.* 7., Marckart in *Prob. p.* 177., qui ipse, quod mireris, quippe tenacissimus alias ac religiosissimus lectionis vulgatae, ad correctionem hujus loci est proclivis. Adde Jensium *in Strict. pag.* 499. Quod si mei res foret arbitrii, notarum ope succurri oportere verbis laborantibus existumem, restituendumque: *cessabit ejusdem P. Personae igitur* etc. P *poenam* interpretatur Magno. *Cessabit ejusdem*, dicti scilicet judicii, vel edicti supra memorati, *poena*. Adjuvat hanc conjecturam liber antiquus MSS., quem servat bibliotheca Zutphaniensis, teste Cl. Bondam *in Var. Lect. pag.* 11. Aut, si id mavis, repone: *ejusdem P. C.*, hoc est, *pecunia constituta*, quo modo litteras illas explicat Valerius Probus. Accipe autem centum, ducentorumve aureorum constitutam summam, qua de in edicto, quod mox praecesserat, fuerat monitum. P autem absorpsit vox sequens *personae*.

Caeterum κατὰχρηστικως dixit Ulpianus *personae admodum impuberes*: proprie enim si loquamur, *impuberes* nominamus, qui pubertatem nondum attigerunt, sive ex habitu corporis inspecto aestimata ea fuerit, quod fieri olim consuevit, sive ex annorum aetate definita, quae incipere credebatur anno quarto decimo, maturescere anno octavo decimo, sive denique puberes intelligas a patribus renuntiatos, consule Ottonem *ad Instit. pag.* 90. 128. *et* 132. Quo modo autem cunque statuas, certum esse perspicis ac determinatum fuisse pubertatis terminum, et propterea vix ferri posse videri adjectionem *του admodum*. Designari puto valde impuberes, aut potius tales, qui ea adhucdum sunt aetate, ut doli capaces censeri non possint, in quos doli mali non cadit suspicio. Evenit enim aliquando, ut et impuberes doli capaces credantur: id quod manifesto constat ex Ulpiano in *L.* 4. § 26. *D. de Doli mal. et met. except.*, ubi v. Gothofr. *in notis*. Confer Ottonem *d. l. pag.* 130. *et* 429. Rectissime itaque *admodum* addidit JCtus, ne, si *impuberes* simpliciter appellasset, incuriae nomine suspectus fieret, qui ipse docuerat alibi, distingui debere inter impuberes, doli capaces, et non capaces. PRAETEXTATUS *admodum*, me quidem judice, Floro dicitur *Lib.* 2. *Cap.* 6. *Num.* 10., qui vix ac ne vix quidem deposuerat praetextam, qui fere aut circiter praetextatus adhucdum erat: *tum primum pubescentem filium* nominat Livius. Aliter interpretantur Commentatores. De significatione vocis *admodum* vide quae tradit Perizon. *ad Sanct. Min. Lib.* 4. *Cap.* 2. *Num.* 1.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Tentatur, et sine crisi exponitur Lex 12. §. 1. D. de Usu et Habitat. *Usus modo latior, modo strictior sit interpretatio.* Soleae *significatio.* *Exponuntur* Basilica. *Eorundem auctoritas.* *Usus foliorum et frondium.*

SI qua est lex in vasto juris nostri corpore variis Summorum etiam JCtorum laboribus celeberrima, haec certe est *Lex 12. §. 1. D. de Usu et Habit.*, quae ingenia eruditorum exercuit admodum, dum alii latiorem usus interpretandi rationem inivere, alii strictiorem: nec mirandus videbitur hic virorum doctorum dissensus cogitanti, quantopere ipsi etiam veteres eadem de re inter se contenderint, dum olim exstiterunt nonnulli inter Jurisperitos, qui ne uxori quidem concesserunt, cui usus domus esset relictus, ut maritum commodi hujus participem faceret, et cum eo simul habitaret. *L. 4. §. 1. D. de Usu et Habitat*, *§. 2. I. eod.* Rectius vero postea discesserunt alii ab severo hoc atque austero instituto, neque angustis adeo terminis usum circumscribendum esse sunt arbitrati, quorum, uti aequitati magis respondet, ita verior visa fuit sententia.

Apertissimum veteris, quae inter ipsos antiquitus Jurisconsultos exstitit, dissensionis exemplum reperitur in lege nostra 12., ubi Ulpianum animadvertimus Nervam inter se committere ac Sabinum, scholae diversae sectatores, caeterosque qui a Sabini partibus stabant. Illum ait strictissime adeo usum fuisse interpretatum, ut usuario ne quidem foliis, aut oleo, aliisque nonnullis uti licere existimaverit: contra vero in alia omnia ivisse Sabinum, reliquosque qui cum eo faciebant. Operae pretium me facturum esse reor, si ipsa legis verba adscribam. *Praeter habitationem*, inquit, *quam habet, cui usus datus est, deambulandi quoque, et gestandi jus habebit. Sabinus, et Cassius, et lignis ad usum quotidianum, et horto, et pomis, et oleribus, et floribus, et aqua usurum, non usque ad compendium, sed ad usum scilicet, non usque ad abusum. Idem Nerva: et adjicit: stramentis etiam usurum, sed neque* FOLIIS, *neque oleo, neque frumento, neque frugibus usurum: sed Sabinus, et Cassius, et Labeo, et Proculus, hoc amplius etiam ex his, quae in fundo nascuntur, quod ad victum sibi, suis sufficiat, sumturum, et ex his quae Nerva negavit: Jubentius etiam cum convivis et hospitibus posse uti: quae sententia mihi vera videtur.* Variis sententiarum divortiis inter se passim distrahi videas viros eruditionis gloria conspicuos de caussa, quae Nervam adduxit, cur *foliorum*, ex quibus certe minima utilitas ad homines redundare fere videtur, usum denegaverit, cum stramentorum etiam concesserit, quorum sane major usus ae-

aestimabitur. Haec certe ratio movit viros juris peritia celeberrimos, ut pro *foliis* aliam vocem substituerent, quae sensui legis aptior conveniret. Maximus Cujacius *ad Institt. h. t. oleis* legendum esse putat, adi quoque Ejusdem *Lib. 9. Obs.* 37. Alii *doliis* scriptum fuisse existimant. Plerique tamen in eam descendunt opinionem, *foliis* hoc loco retinendum, explicandumque de foliis, frondibusve, quae hyeme alendo pecori inserviebant. Imo et sunt, qui folia pro uvis accipiunt, v. Nic. Catharin. *in Obs. et Conj. Lib.* 3. *Cap.* 8. *Thes. Meerm. Tom.* 6. *pag.* 784. Palmarum folia, aliave ad scribendum olim adhibita, intelligenda hoc loco conjicit Vir Celeb.: C. H. Trotz. *in Notis ad Hugonem Cap.* 10. Glossator aliquis ad *h. l.* folia intelligit, quibus vescuntur *vermes, qui pariunt sericum*, quem sequitur Zasius. Aliter conjicit alius, *vel*, inquiens, *pro bobus, vel pro vaccis, vel pro myrtis herba, unde fit tinctura cerdonum, unde tingunt corium.* Caeteris aliorum sententiis recensendis lubens supersedeo: occupavit hunc laborem Vir Ampliss. Everh. Otto *in Praefat. Tom.* 2. *Thes. Jur. pag.* 11. Nec est, quod id cum maxime operam demus, ut singulas aliorum conjecturas atque opiniones multis refutemus: et hanc industriam anteverterunt alii, vid. Cl. D'Arnaudt *in Var. Conjectur. Lib.* 1. *Cap.* 15. Cujacium, Ottonem, *dictis locis*, quibus praeterea adde Galvanum *de Usufructu Cap.* 32. §. 3. *pag.* 450. Ipse eruditissimus Arnaudtius hanc loco difficillimo medicinam adhibendam esse existimavit, ut pro *sed neque foliis, neque oleo* legeretur: *atque foliis, sed neque oleo:* quae emendatio, utpote contra Codicum omnium fidem obtrusa, neque ulla veri specie se commendans, durior, puto, ac propterea non admittenda videatur necesse est.

Ad nostram quod attinet sententiam, levissima ac facili mutatione legi malim SOLEIS, quae vox, quo magis recedit a vulgari sermonis usu, eo proclivius fefellit librarios, qui vocis hujus paulo magis reconditam significationem ignorantes, levi errore substituerunt *foliis*. *Soleas* autem hic notare existimo vasa. seu instrumenta quaedam, oleo conficiendo potissimum inservientia, qua eadem significatione vocabulum occurit apud Columellam *de re Rustica Lib.* 12. *Cap.* 50. *Num.* 6. *Oleo autem conficiendo*, inquit, *molae utiliores sunt quam trapetum, trapetum quam canalis, et* SOLEA. *Molae quam facillimam patiuntur administrationem, quoniam pro magnitudine baccarum vel submitti, vel etiam elevari possunt, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur. Rursus trapetum plus operis, faciliusque quam* SOLEA *et canalis efficit.* Nec est, quod moretur quem Coelii Rhodigini lectio, qui in *Lection. Antiq. Lib.* 13. *Cap.* 4. in citato Columellae loco pro *Solea* supponit *Solena*, quasi vox ea originem debeat Graeco σωλὴν, quae vox *canalem* significat: siquidem certum est, aliud quidpiam instrumentum a Columella designari quam canalem: quoniam *solea* et *canalis* ut diversa conjunguntur. Vid. Philander *in Notis ad Vitruvium de Architect. Lib.* 6. *Cap.* 9., et Gesnerus ad Columellam *d. l.* Neque deinde causam video, cur quis vocem illam suspectam habeat eo nomine, quia apud solum ea superstes inveniatur Columellam, quandoquidem sex-

ſexcenta deprehenduntur et apud alios ſcriptores, quin ipſum Ciceronem, vocabula, quae fruſtra alibi quaeras, ea tamen ſi quis Latio excludere vellet, ridendum ſe procul dubio propinaret. Prae caeteris tamen haec, quae dixi, animadvertas, ſi vocabula ſpectes, quae ad artem aliquam pertinent, ſiquidem pauci admodum inveniuntur, qui ſingula artium vocabula accurate expoſuerunt. Peregrinae originis fortean opinabitur aliquis eſſe hoc vocabulum: conſtat ſane moris id fuiſſe Romae, peregre adſcita vocabula recipere, atque, ubi ferret uſus, ſcriptis inſerere, quae deinde longa conſuetudine,

Quam penes arbitrium eſt, et jus, et norma loquendi,

invaluere, atque in civitatem quaſi adoptata ſunt. Plurima hujus rei exempla ſuppeditat Vir ſummus Petr. Faber *in Semeſtrib. Lib.* 3. *Cap.* 1. *pag.* 10. *et ſeqq.* Nonnullis tamen a ſimilitudine ſoleae pedis vox dicta cenſebitur, id quod et mihi verius videtur, quod ab eadem ſimilitudine etiam aliae ejus ſignificationes arceſſendae, de quibus Feſtus, qui et hanc indictam aliis adjicit: eo nomine appellari etiam *materiam robuſteam, ſuper quam paries craticius exſtruitur,* quam tamen notionem ab hoc loco alienam eſſe exiſtimo. Iſidorus Origin. Lib. 19. Cap. ult.: *Soleae ſunt*, inquit, *quibus tantum pedum plantae teguntur, dictae a ſole pedum. Item ſoleae materiales, ex materia corio intexta.*

Sed ut eo revertar, unde diſceſſeram: optime legi noſtrae convenire videtur *Soleae* nomen: neque enim temere affirmet quiſpiam, ei, cui uſus olei negatur, concedendum eſſe inſtrumentorum uſum, quibus oleum conficitur: conſtat namque, uſuarium re tantum uti ad quotidianum uſum, non vero ad compendium, multo minus ita, ut noceat proprietario: Certiſſimum deinde et hoc eſt, maxime uſuarium nocere domino fundi, ſi utatur ſoleis, ſiquidem tum proprietario longe ſunt oleae, quippe ex quibus, vaſorum neceſſariorum uſu deſtitutus, conficere oleum haud quaquam poteſt. Nullus autem, certo ſcio, qui vel a limine criticam ſalutavit, inficias ibit, litteras *F* et *S*, itemque *E* et *I* ſaepiſſime permutari, eo nihil eſt vulgarius, nihil magis notum: exempla plurima adminiſtrat Gaſp. Scioppius *de Arte Critica pag.* 42, 45, et 49. Hinc *here* et *heri* promiſcue adhibitum invenias apud Martialem, Plautum, alios. *Veſpere* et *veſperi*, *mane* et *mani* propter cognationem harum litterarum dicere antiqui non dubitaverunt, vid. Donatus *ad Ter. Phorm. Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 25. Qui plura deſiderat, adeat is Cl. Duker. *ad Flor. L.* 3. *Cap.* 20. *Num.* 13. *et alibi.*

At dubium cui moveant forte Baſilicorum ſcriptores ad hunc locum, qui foliorum uſum concedunt uſuario: Verum enimvero non tanta eſt horum auctoritas, ut propterea ſententiam mutemus. Scripſerunt illi, ut ſaepius, jus, quod ſuo tempore obtinebat. Deinde, etſi concedamus, et ea, qua vixerunt hi interpretes, aetate in Pandectarum codicibus lectum fuiſſe *foliis*, nihil id quidem ponderis noſtrae detrahet opinioni, ſiquidem longiſſimo demum poſt editos Digeſtorum libros intervallo Baſilica conſcripta eſſe con-

ſtat,

ſtat, neque minus certum, plurima iis intermixta ex jure poſtea conſtituto, ut adeo in re dubia haud ſane magnum momentum adferre videantur. Quid, ſi dicamus, forte eodem ſenſu hic accipiendam eſſe vocem φυλλοις, quo ταις φυλλαις adhibuit Theophilus, qui in §. 1. *J. h. t. ſtramenta* ita reddidit? aut, ſi hoc mavelis, pro *floribus* poſitam vocem dicas, quorum mentio plus ſemel in lege noſtra incidit: Sane ita quodammodo requirere videtur ordo, quem ſervarunt Baſilicorum architecti, reſpondentem ei, quem Ulpianus in L. 12. praeiverat. Ita namque illi: (dicam Latine:) *Solum uſum habens utitur lignis, et horto, et pomis, et oleribus, et* φυλλοις, *et aqua.* In hunc modum Ulpianus eadem: *et horto, et pomis, et oleribus, et floribus, et aqua:* iterum Graeci paulo poſt: *poteſt in urbem aſportare poma, et olera, et* φυλλα *et ligna*, quae his verbis Ulpianus: *Pomis autem, et oleribus, et floribus, et lignis, videndum, utrum eodem loco utatur duntaxat, an etiam in oppidum ei deferri poſſint, ſed melius eſt accipere, et in oppidum deferenda.* Quare vix dubito fore quemquam, qui, cum utrorumque verba contulerit, vocem hanc de *floribus* accipiendam eſſe non arbitretur: praeſertim quia, quo minus φυλλοι hac ſignificatione uſurpetur, neutiquam repugnat linguae Graecae genius.

Leviſſima itaque mutatione legi difficillimae ſuccurri poſſe animadvertis.

Quod ſi quis tamen religioſior vulgatae, quam prae ſe fert Florentina editio, lectioni inhaereſcat, eaque unice, ut in dubio, ſtandum, et vocem *foliis* retinendam, tuendamque eſſe cenſeat, praeter eas, quas jam alii ad partes vocarunt, conciliandi rationes, et alias forte in medium proferre liceat, ex quibus conjici poſſet, uſum foliorum uſuario recte denegari. Demonſtravit jam dudum Cujacius, eumque ſecuti longo ordine alii, ruſticos per hyemem foliis pecus aluiſſe, quo refer Horatii verba *Lib.* 1. *Epiſt.* 14. *v.* 27.

bovemque
Disjunctum curas, et ſtrictis frondibus exples.

Huc facit in primis Servii commentarius ad Virg. *Eclog.* 1. *v.* 57., qui locus dubito num ab aliis ſit adſcriptus: *Frondator*, inquit Grammaticus eruditiſſimus, *qui arbores amputat, et qui frondibus manipulos facit, hyemis tempore animalibus ad paſtum offerendos.* Quae licet de frondibus proprie dicantur, negari tamen nequit, verum idem eſſe de foliis, ſunt enim frondes multitudo foliorum. Popma *de Different. Verb.* v. *frondes* ita diſtinguit: *Frondes ſunt arborum, folia ſunt tam herbarum, et florum, quam arborum.* Varro apud Nonium *Cap.* 2. *Num.* 350. *ulmos et populos, unde frons ovibus et bubus ſit.* Idem Cujacius ligandis vineis ea utiliſſima quoque eſſe probavit. Cubilia quoque pecorum, lectosque hominum foliis inſtructos docuit Cl. D'Arnaudt *l. c.* Alii pretioſiſſima ex foliis, peregre ſcilicet advectis, confici poſſe unguenta, memoriae tradiderunt, quae *foliati* nomine circumferuntur, cujus Plinius meminit, ac Martialis. Plura hanc in rem congeſſit Barthius *ad Claudian. in Eutrop. Lib.* 1. *verſ.* 226. Vid. in primis Gul. Fornerius *Lib.* 2.

Se-

Select. Cap. 2. et Jo. Stekium *in Vind. Leg. Anticrit. in Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *pag.* 517.

Addam cum maxime alium foliorum usum, nulli, quantum equidem sciam, hactenus observatum.

Quod si commoda et lucra, quae ex foliis arborum silvestrium redundant, reputemus accuratius, prae caeteris maximam eorum hanc esse utilitatem experimur, quod decidua et putrefacta terram alunt, solumque in silvis et saltibus foecundant. Rationem qui penitius indagare cupiat, consulat is elegantissimum H. Bakeri Angli systema, quod in nostram linguam translatum est hoc titulo: *het Microscoop gemakkelyk gemaakt*, *Cap.* 47. *pag.* 249. De utilitate ex foliis redundante ex professo nuper egit Carolus Bonnet, in libro Gallice conscripto, atque in Germanicam postea verso a Cl. J. A. Arnoldo *de usu foliorum arborum, ac plantarum:* synopsis libri, quem nondum cognoscere licuit, exhibetur in Relationibus menstruis, *Boekbeschouwer* dictis, *No.* 22. *pag.* 443. *Anni 1765.* Arborum, quae alimenti multum ex terra ad se trahunt, haec est indoles, atque hoc habent praecipuum, ut, quod succi a terra sunt mutuatae, pene reddant frugum et foliorum ubertate: unde perspicimus, quae res commoverit Nervam, ut intercederet, quo minus is, cui fundi usus relictus est, folia secum auferret: siquidem apertum est ac manifestum, uti eum tantummodo posse ad necessitatem quotidianam, non vero ad compendium, aut abusum: abutetur autem, si id, quod ad hoc praecipue est constitutum, ut rei, cujus usus datus est, utilitatem afferat, ab eaque sine damno et incommodo domini separari nequeat, neque adeo directe personis serviat, sed rei magis, ac fundo ipsi, sibi vindicet usuarius, fundoque foecunditatem et alimentum subtrahat. Hoc amplius dico, dissentientes a Nerva JCtos folia usuario non concessisse, eo scilicet usu, ut alio ea auferantur, sed ea tantummodo tribuisse, *quae ad victum sibi suisque sufficiant; ex his*, *quae Nerva negavit*, quo certe referri non poterunt folia, quae maximum quidem sui usum praebent solo, non etiam victum subministrant. Nec mirandum itaque, plurimos eorum, penes quos est imperandi potestas, edictis cavisse, ut ne folia ex sylvis vel saltibus auferantur.

Verumtamen opponi mihi audire videor, eundem sui usum praebere stramenta, idemque adeo horum, foliorumque jus constitui debuisse: Verum cum stramentum difficilius putrescat, relictumque in agris arationem impediat, majoremque in aliis rebus usum praebeat, non mirandum utique, aliud jus foliis, aliud stramentis esse constitutum a Viris sapientibus.

Ex iis, quae diximus hactenus, abunde, nisi me fallunt omnia, atque quam clarissime elucescit, foliorum hic rationem habendam esse eorum, quae sponte ex arboribus nudatis jam fructibus decidunt: Eat itaque Gilb. Regius, qui *Lib.* 1. *Enantioph. Cap.* 9. folia intelligit viridia, eamque propter causam usum eorum permissum non esse arbitratur, quoniam spoliatae iis arbores emoriuntur: quo quid futilius? quare haud immerito vapulat ab Ampliss. Ottone et Gul. Fornerio *locis supra citatis:* Quid enim de culpa et dolo moneat Ulpianus, cum constet usuarium interponere cautionem, se boni

viri arbitratu, atque ita, ut honestum patremfamilias decet, usurum, ac rem restituturum nil vitiatam, quod si quis non observavit, committitur statim prior causa, teneturque stipulatus in id quod interest. Vid. *L.* 1. §. 3. 5. 6. *D. usufruct. quemadm. cav.*, quam rem uberius persequitur Summus Noodtius, *Lib.* 2. *de Usufructu*, *Cap.* 9., *et saepius alibi.* Deinde cur id moneat Ulpianus in eo loco, in quo agit de iis rebus, quae usui cedunt, et quae non cedunt? Sat ubere quoque responsum arbitror ad difficultates, quas in medium produxit, quibus ostendat *foliis* hoc loco legi non posse, Jac. Gothofredus *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 3. *pag.* 283. *sqq.*

CAPUT QUARTUM.

I. *Varie emendatur* Lex 30. D. pro Socio. *Tentatur* §. 2. I. de Societate. II. *Exponitur* L. 23. §. 1. in fine D. pro Socio.

Paulus in *L.* 30. *D. pro Socio* (quae descripta est ex libro ejus sexto ad Sabinum) ita ait: *Mucius Libro XIV. scribit: non posse societatem coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem socius ferat. Servius in Notatis Mucii ait: nec posse societatem ita contrahi: neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto: sed* (accipio *set*, hoc est, *sed et*) *potest coiri societas ita, ut ejus lucri, quod reliquum in societate sit omni damno deducto, pars alia feratur, et ejus damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur.* Corrupta esse verba legis extra omnem dubitationis aleam est positum, quandoquidem patet ex §. 2. *J. de Societate*, Servium Sulpicium non in Mucii descendisse opinionem, sed in alia omnia ivisse: id quod et inde intelligimus, quod scripsit illa Servius Sulpicius in *Notatis Mucii*, siquidem librum eum *Notatorum* nomine dixit, quod in eo Mucii Scaevolae sententias notavit, et reprehendit, sive refellit: quare Gellius *Noct. Attic. Lib.* 4. *Cap.* 1. *Notata ea reprehensa Scaevolae capita* nominat. *Praeterea*, inquit, *de penu adscribendum hoc etiam putavi, Servium Sulpicium in reprehensis Scaevolae capitibus scripsisse.* Consule Ampl. Otton. *ad* §. 2. *J. de Societate*, et *in Papin. Cap.* 13. *Num.* 6. Quemadmodum autem notarit Mucii Scaevolae de penu sententiam, cognoscere est ex *L.* 3. §. 6. *D. de Penu leg.* In *d.* §. 2. *J. De illa sane conventione*, inquit Justinianus, *quaesitum est, si Titius et Sejus inter se pacti sint, ut ad Titium lucri duae partes pertineant, damni tertia, ad Sejum duae partes damni, lucri tertia, an rata debeat haberi conventio: Quintus Mucius contra naturam societatis talem pactionem esse existimavit, et ob id non esse ratam habendam: Servius Sul-*

Sulpicius, cujus sententia praevaluit, contra sensit, quia saepe quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti: Nam et ita coiri posse societatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, et tamen lucrum inter eos commune sit, quia saepe opera alicujus pro pecunia valet: Et ideo centra Quinti Mucii sententiam obtinuit, ut illud quoque constiterit posse conveniri, ut quis lucri partem ferat, de damno non teneatur, quod et ipsum Servius convenienter sibi fieri existimavit: quod tamen ita intelligi oportet, ut, si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit, compensatione facta, solum quod superest intelligatur lucro esse. Locum integrum adscripsi, primo, ut pateat de eadem plane re in utroque loco agi, tum, ut alter ex altero suppleatur. Ex ipso quoque legis contextu liquido apparet, Servium, eo, quem propositum vides, casu societatem recte contrahi posse existimasse, verba tamen, si sequaris lectionem in Pandectarum editionibus exhibitam, ab ea existimatione, illoque sensu discrepant. Sed tolletur discrepantia, et eximetur scrupulus, si levissima mutatione ita rescribas: *Servius in notatis Mucii ait haec: posse. . . . .* Pro *nec* posui *haec*, exiguo litterarum et scriptionis discrimine, si cogites litteras diphtongas saepissime neglectas fuisse, et AE per E frequentissime exaratum, non in libris tantum manu scriptis, sed et in vetustissimis marmoribus. Tu vide ea, quae de varia *Tryphaenae* nominis scriptura memorat doctissimus Gutberleth. *in Animadversion. in Inscript. Smyrn.* Alia exempla ex Jurisconsultorum fragmentis deprompta suppeditat Ampliss. Bynkershoeck *Lib. 5. Obs. Cap.* 21., adde et Cl. Arntz. *ad* Catonem *Lib.* 1. *Dist.* 1. *in fine. N* deinde pro *H* positum mirum non est, siquidem flexus et ductus fere idem: hinc et librariorum erroribus causam haud raro dedit litterarum earum similitudo, ceu prae caeteris perspicimus ex illo Aviani: *nec se Poeonio*, pro quo Vossianus Codex habet *haec se*, vid. *Fab. 6. vers.* 7., plura dabit Vir summus P. Burmannus *ad Poetas Lat. Min. Vol.* 1. *pag.* 203. *et alibi*, nec non celeberrimus atque eruditissimus Jo. Arntzenius *ad Plinii Paneg. Cap.* 16. Neque hoc omittendum, veterum multos in scribendo *H* litteram neglexisse, quod nomine litterarum eam non habebant, unde in marmoribus, fallere nescii, *eres*, id est, *heres*, *ic*, id est, *hic*, *omo*, id est, *homo*, *ora*, hoc est, *hora*. Vide Scaligeri *indicem XIX. Thesauri Gruteriani.* Adde Fratrem in *Comment. ad Collat. Leg. Mos. et Rom. pag.* 18. Eadem littera perperam saepissime additur, ubi exsulare debuerat, omittitur, ubi ejus usus fuerat. Vid. Quinctil. *Inst. Or. Lib.* 1. *Cap.* 5. Confer Drakenborch *ad Sil. Ital. Lib.* 2. *v.* 125. In Glossis Servii est: *harundo*, *erile*, *ereditarius*. Hinc *habitus* pro *avitus*. v. Cujac. *ad Paulum* 3. 4. 7.

Neque vero sententiae nostrae obstare quis putet, quod bis eadem hic repetantur, *posse societatem ita contrahi*, ac deinde, *sed potest coiri societas ita*: alterum enim ipsius Pauli, alterum Servii esse existimandum est. Neque infrequens censenda est locutio *ait haec*. Terentii est: *Animum quae loquar advortite.* Ellipticis accenset Sanctius *in Minerv. Lib.* 4. *Cap.* 13. *pag.* 735., suppletque per *circa*, vel κατά.

Si cujus animum non explet hic noster conatus, per me licet alio modo

subveniat loco laboranti atque adfecto, quem constat sine ope critica non posse sanari. Neque profecto multum refragarer, si existimet quispiam scriptum fuisse a Paulo: *ait et posse*. Hoc certum, *το et* duobus in locis subtractum fuisse a librariis Suetonio, quibus id felici conjectura reddidit Optimus meus Parens *in Misc. Obs. Vol. 6. Tom. 3. p. 604*. Conjecturam dico felicem, quod earum alteram confirmarunt manu exarati Codices, quorum lectionem in lucem dein protulit Celeberr. Oudendorpius *in commentariis ad Suetonium novissime editis*. Scripserat ita Suetonius in *Caes. Cap. 28. Quando et plebiscito Pompejus postea abrogasset*, et in *Tiber. Cap. 45. Quam perductam, et quidquam amplius pati constantissime recusantem, delatoribus objecit. Et* autem pro *etiam* accipiendum esse unusquisque animadvertit. Caeterum *et* et *nec* saepissime confundi, exemplis plurimis demonstravimus alias. - Hinc et permutantur *ecquis* et *necquis*. v. Arntzen. *ad Pacat. pag. 52*. Fratrem *d. l. pag. 79. sq.*, qui ipse in eam descendit sententiam, pro *nec* reponendum hoc loco *recte*, vide *ibidem pag. 228*. Dubitari sanequam non potest, facillimo negotio fieri potuisse, ut voculae illae inter se fuerint permutatae, siquidem illud olim unica N littera, hoc R exaratum constat ex Notarum scriptoribus. Ita Valerius Q. R. E. E. V. exponit: *quod recte factum esse videtur*.

Alio modo legi difficillimae succurrendum esse existimavit Vir Clarissimus, in Academia Ultrajectina Antecessor quondam dignissimus, Jac. Voorda *in Electis Cap. 2 et 3.*, qui substituit: *nec male*.

Gravissimum negotium nobis facessere videtur, interdicto uti possidetis expertus, Vir juris consultissimus, J. L. E. Putmannus, qui in *Interpretationibus* suis, anno hujus seculi 63. Lipsiae editis, *Cap. 18*. vehementer insurgit contra eos, quicunque verba legis hujus emendatione adjuvanda esse censent, ipse arbitratus, ex mente Viviani et Accursii, Glossatorum, legem hoc modo esse exponendam: Mucius putat, non valere societatem ita contractam, Servius vero opinatur societatem ita contrahi non posse, hoc est, per rerum naturam fieri non posse, ut societas talis ineatur, adeoque plane inutile esse de eo velle inquirere, an valere possit, quae contrahi nequit. Caeterum Justinianum, aut dicam potius Institutionum compilatores, Servii sententiam non recte percepisse, eique attribuisse opinionem, quam is palam repudiat. Verum enimvero, quod pace Putmanni dixisse liceat, cujus ego ingenium, doctrinam, et de juris arte bene merendi studium, prouti debeo, magni facio, abreptus videtur nimio lectionem Florentinam defendendi ardore Vir eruditissimus, quo factum puto, ut Institutionum auctores, nil tale meritos, socordiae, an ignorantiae, in suspicionem temere vocaverit. Nemo sanus, credo, dubitabit, Servii libros ad Sabinum, ex quibus lex haec 30 est depromta, Mucii quoque commentarios, itemque Servii ad hos notata, integra exstitisse, eo tempore, quum Institutionum libris componendis operam consecraverunt Theophilus, caeterique ejus socii: horum autem omnium exiguam admodum partem, fragmenta puta quaedam brevissima, ac contracta, ad nos esse transmissa, ea dico, quae reliqua nobis fecerunt Pandectarum atque Institutionum Architecti.

Et

Et hoc itaque negari nequit, optime de Servii sententia judicare potuisse illos, quibus commentarios ejus ipsos integros inspiciendi copia suppeditavit, nos vero aeque de ea statuere non posse, quibus, nisi aliunde res constet, conjecturae tantummodo superest locus.

Quae autem in nostro casu instituenda sit ratio, in aperto esse videtur. Servius, sequor illos qui ipsum Servium consuluerunt, Mucii sententiam non probat, non ob id solum, quia lucrum demum intelligitur, deducto damno, sed et praeterea, quia saepe quorundam adeo pretiosa est opera in societate, ut justum sit tales meliore conditione in societatem admitti. Quaecunque autem in Institutionibus proponuntur, rei hujus elucidandae gratia, argumenta, ex ipsius Servii reprehensis derivata, descriptaque esse, quae Pandectarum compositores contraxerunt, non modo sit vero simile, sed et totum loci contextum recte cognoscenti certum apparebit. Addo deinde, pronuntiasse Servium, posse ita coiri societatem, ob id, quod lucrum non est regulariter nisi damno deducto, adeoque nil nocebit tibi, si duas ego partes lucri, unam damni fuero stipulatus, siquidem ea est societatis natura, ut, lucri cum damno compensatione facta, illius solum quod superest ineatur ratio, hocque inter socios communicetur.

Dixi regulariter; quod si enim evenerit, ut socius culpa sua damnum et lucrum societati intulerit, eo casu lucrum damno non compensabitur, vide *legem* 23. §. 1. *D. pro Socio*, qua de mox disputabimus.

Denique nec hoc omittendum esse duxi, pro iis, quae in vulgatis exhibentur Institutionum editionibus: *convenienter sibi fieri*, Charondae libros omnes dare: *convenienter sibi*, ejecto τo *fieri*: *convenienter sibi* explicant alii, *apte ad sententiam suam*, dubito tamen, num interpretationem illam probare possint: malim itaque: *convenienter S ibi fieri*: *S sic* expono ex Petro Diacono, *ibi* intelligo, eo loco, quo ea, quae ante protulimus, tradidit.

II. Pergo ad *Legem* 23. §. 1. *in fine D. pro Socio*, quae Ulpiani est ex *libro* ejus 30. *ad Sabinum*. Verba legis haec sunt: *Idem* (Pomponius) *quaerit, an commodum, quod propter admissum socium accessit, compensari cum damno, quod culpa praebuit, debeat: et ait compensandum: quod non est verum: nam et Marcellus scribit: si servus unius ex sociis, societati a domino praepositus, negligenter versatus sit, dominum, societati qui praeposuerit, praestaturum, nec compensandum commodum, quod per servum societati accessit, cum damno: et ita Divum Marcum pronuntiasse: nec posse dici socio: abstine commodo, quod per servum accessit, si damnum petis.*

Dubitant juris Romani interpretes, quo referenda sint postrema legis hujus verba: *si damnum petis*. Nonnulli, interserta negatione, substituunt, *non petis*. Ampliss. Bynkershoek *in Observ. Jur. Rom. Lib.* 4. *Cap.* 25. non ferendam esse locutionem ait *petere damnum*, eo significatu: neque enim temere quis adeo sit omnis mentis impos, qui sibi damna petat: hinc pro *petis* subjicit *metuis*. Ego vero Florentinam retinere malim lectionem, ac damnum non ad eum referre, qui condemnatus est ad resarciendam noxam, quam servus ejus admiserat, sed ad socium, qui petebat, ut illud fieret. Ca-

fus legis hic est: Pomponius inquirit, an, si quid commodi attulerit unus ex sociis, postea vero damnum praebuerit, non quidem casu fortuito, sed culpa sua, compensari inter se lucrum et damnum debeat, affirmatque compensandum: sed fallitur: nam et eo casu, ut scribit Marcellus, siquidem non ipse dominus, sed servus socii, quem dominus, ut societatis res procuraret, praeposuerat, negligentia sua damnum dederit, ipse dominus praestare debet, neque vero, si quid lucri ex servo perceptum fuerit a societate, dominum tutum reddet, aut faciet, ut tanti minoris condemnetur: neque quidquam juvabit dominum, qui servum praeposuit, dicere socio, agenti ad resarciendum damnum: Si tu petis, ut ego praestem damnum, solusque adeo feram incommoda, quae per servum allata sunt, et hoc patiaris, me solum accipere emolumenta ac lucra, quae servus acquisivit, teque adeo abstinere oportet commodo, quodcunque per servum accessit, mihique uni illud relinquere. Explanatio haec, uti simplicitate se commendat, ita juris rationi optime convenit. Certum enim est culpa levi, quam praestat socius, vacuum non esse eum, qui imperitum ac negligentem servum praeposuit societati. Manifesta sunt hanc in rem verba Pauli *in Recept. Sentent. Lib.* 2. *Tit.* 16. §. *un.: Sicut lucrum, ita et damnum inter socios communicatur, nisi quid culpa socii, vel fraude eversum sit*, conferatur ibidem interpres, nec non *L.* 52. §. 4. *D. pro Socio.* Aliud dicendum, si ab ambobus sociis servus ad hoc fuerit electus, vid. *Lex* 24. *eod.* Unum hoc addo, in Pandectis Florentinis ab his verbis, *accessit, si damnum petis*, abesse voculam *si*, quare et ea in vulgatis editionibus uncis est inclusa. Sed uno digitulo reddetur ea, si geminaveris syllabam verbi proximi *accessit*: scio redundabit sic una littera, sed ea etiam alias in geminationibus redundat, appellantque hanc quasi geminationem. Possis et per ellipsin particulam subintelligere, optimis quibuscumque auctoribus frequentissimam. Confer omnino quae de legis hujus interpretatione notavit Cl. Marckart *Probab. Lib.* 1. *pag.* 90.

CAPUT QUINTUM.

I. *Nove explicatur* Pauli *locus in* Rec. Sentent. Lib. 3. Tit. 6. §. 67., *idemque conciliatur cum* L. 3. §. 2. D. de Supell. leg. *Variae significationes* soli. II. *Vindicatur lectio* L. 14. pr. D. ad SCtum Trebell., *et* L. 16. D. de damn. inf., *et* L. 21. §. 1. D. de Pactis.

I. Mirum, quantum insudarint Viris juris nostri peritissimi exponendo difficillimo Pauli loco, qui est in *Rec. Sentent. Lib.* 3. *Tit.* 6. §. 67. Obscuritatis ratio haec visa fuit, quod in diversa abire creduntur verba ab illis, quae idem JCtus disputat in *L.* 3. §. 2. *D. de supell. leg.* Hoc mo

modo Auctor in Sententiis: *Supellectile*, inquit, *legata*, *capsae*, *armaria*, *non* SOLUM *librorum*, *aut quae vestis ponendae gratia parata sint*, *debebuntur*: *sed et byssina*, *et crystallina*, *et argentea*, *et vitrea vasa*, *tam escaria*, *quam poculoria*, *et vestes stratoriae legato cedunt*. In Pandectis vero haec ejus refertur sententia in d. Legis §. 1. *Supellectile legata haec continentur*: mox longo ordine subjungit, quae comprehendantur. Addit deinde in §. 2.: *Praeterea capsae*, *armaria*: *sed sunt*, *qui recte putant*, *capsas et armaria*, *si librorum*, *aut vestium*, *aut armamentorum gratia parata sunt*, *non esse in supellectili*, *quia ne hae quidem ipsae res*, *quibus adtributae essent*, *supellectilis instrumento cederent*. Des. Heraldus, vir in paucis eruditissimus, corruptum locum vidit, sed quo modo vitium sit tollendum, ignorare se ingenue profitetur. Caeteras aliorum opiniones recenset Ampliss. Bynkershoeck *in Observatt. Jur. Rom. Lib.* 4. *Cap.* 6., qui, rejectis reliquorum sententiis, ita per transpositionis remedium locum restituendum esse arbitratur: *Supellectile legata*, *capsae*, *armaria*, (*non quae solum librorum*, *aut vestis ponendae gratia parata sunt*) *debentur*, *sed et etc.* Huic conjecturae album calculum adjicit Vir Cl. Ant Schulting. *ad Pauli Sententias d. l.* Pace Manium tantorum virorum liceat nobis periculum facere, an verba citra transpositionem, subsidiarium, imo vix ferendum emendationis genus, commode interpretemur: nec sane despero fieri posse, si *solum librorum* accipiamus sustentaculum, aut receptaculum librorum, sive illud bibliotheca sit, sive aliud quodque armarium, aut instrumentum, in quo legendi, scribendi, aut condendi, custodiendive causa libros reponimus, quorum singula nomina persequi non lubet, et quo minus ea enumeraret Paulus, unum generale vocabulum posuit, nempe *solum*. Nec sane video caussam ullam, cur non recte ac Latine dictum illud a Paulo censeamus. *Solum*, inquit Isidorus *Orig. Lib.* 11. *Cap.* 1. *dicitur omne*, *quod aliquid sustinet*, *quasi solidum*. Additque, inde et terram *solum* dici, *quod cuncta sustineat*, item plantam, sive callum pedis, *quod totam corporis molem portat*: *inferior pars pedis*, *Solum dictum*, *quia eo terrae vestigia imprimimus*: quo sensu Lucretius *Lib.* 1. *vers.* 925., et *Lib.* 4. *vers.* 1.

> *Avia Pieridum peragro loca*, *nullius ante*
> *Trita solo.*

Consule ad illum locum Virorum Doctorum notas. Hinc et glossae vetustae Caroli Labbaei, *solum*, *κατεῦμα*, *πέλμα*. Idem Isidorus *Lib.* 14. *Cap.* 8. notat, Virgilio propterea aquam et mare *solum* dictum, quia sustinet naves, *a soliditate nominatum*. Ita autem is Poëta *Aeneid.* 5. *v.* 187. *et sqq.*

> *Olli certamine summo*
> *Procumbunt*: *vastis tremit ictibus aerea puppis*,
> *Subtrahiturque solum.*

ubi Servius: *unicuique rei quod subjacet, solum ei est, unde est solum navis mare, et aër avium, et stellarum coelum, unde Ovidius (Metam.* 1. *v.* 73.)

Astra tenent coeleste solum.

Et est verbum, cujus perlucida significatio per naturam non invenitur. Iterum Virgilius *Aeneid. Lib.* 7. *vers.* 108., quo loco sustentaculum ciborum, sive mensam ex pane, *Cereale solum* nominat:

Corpora sub ramis deponunt arboris altae,
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, (sic Jupiter ille monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.

ubi Commentator, si quisquam alius, eruditissimus, *solum*, inquit, *omne dicitur, quod aliquid sustinet, unde de mari supra dicit: subtrabiturque solum: et Ovidius primo metamorphoseon: Astra tenent coeleste solum: Sic nunc panicias mensas, id est, epularum sustentaculum, solum vocavit.* Ipse Virgilius, quod *Cereale solum* dixerat, *vers.* 116. *mensam* nominat.

Heus! etiam mensas consumimus?

Ex quibus Servii verbis intelligis, unde sua sumserit Isidorus. Ovid. *Fastor. Lib.* 1. *v.* 110.:

Sederunt medio terra fretumque solo.

ubi tamen aliae editiones praeferunt *loco*. Non inficete Turnebus *Advers.* 2. 12. in his Virgilii *Georg.* 2. *v.* 47.

Sponte sua quae se tollunt in luminis auras,
Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt,
Quippe solo natura subest.

Solum exponit radicem. Varro *de Ling. Lat. Lib.* 4.: *Poëtae appellarunt summa terrae, quae sola teri possunt, sola terrae.* Idem Turnebus *Lib.* 21. *Cap.* 18. mavult *quae solo*, hoc est, pede. Confer Columnam *ad Ennium pag.* 224. Qui plura desiderat de hac voce, is consulat Sanctium *in Minerva Lib.* 4. *pag.* 642., et Scioppium *in notis*, ac Menagium *Amoenit. Jur. Civ. Cap.* 39. in voce *solarium*. Adde Vossium *in Etymol.* in v. *solum*. Quid ergo obstat, quo minus omne illud, quod libros sustinet, quocunque tandem nomine dicatur, *solum* dixisse putandus sit Paulus? Bibliothecam non nominavit, quia ea vox non unam significationem recipit. Conveniebat autem eo in loco, in quo genera rerum speciatim proponit, vocibus ambiguis, atque ample signi-

significantibus abstinere. Eadem causa est, cur *capsarum* et *armariorum* nomine non incluserit librorum illa sustentacula, quae *solum* nominavit, quod et capsarum et armariorum patentissimi fines, usque adeo, ut pro diverso rerum genere, quas condunt, diversum etiam capsarum et armariorum jus fuerit. Nam si eas condunt res, quae supellectilis nomine veniunt, capsae illae, et armaria illa legato suppellectilis cedunt. Sin res alias continent, legato suppellectilis ea non cedunt. Atque haec causa est, cur Paulus *in Sententiis* capsas et armaria supellectilis legato deberi scribat, in *L.* 3. §. 2. *de supell. leg.* negari velit. Sed verbum non amplius addo, prolixius enim haec pertractata sunt a Schultingio et Bynkershoeckio *ll. cc.*, quibus junge Cujacium *in Observationib. Lib.* 10. *Cap.* 13., et *ad Pauli Sententias d. l.*

II. Festinavit credo Bynkershoeckius *in Observat. Lib.* 1. *Cap.* 18., cum *Legem* 14. *pr. D. ad Senatuscons. Trebell.* emendandam esse censuit, legendo pro *sequitur*, *sequimur*, quasi τὸ *sequi* referendum esset ad jus publicum, cum constet contra ex §. *ult legis praecedentis*, repetendam esse vocem *filiusfamilias:* quamvis enim non unius, sed diversorum Jurisconsultorum leges sint, sensu tamen conjunctae sunt, caussamque ejus juris, quod Pandectarum architecti in *L.* 13. ex Ulpiano tradiderant, in *L.* 14. subjungunt, qui mos in jure nostro neutiquam insuetus, sed sexcenties occurrit. Exemplo sint *L.* 77. *et* 78. *D. de Judic. L.* 1. et 2. *D. de Justit. et Jure*, *L.* 7. §. *ult.* et *L.* 8. *eod.*, ac passim alibi. Hoc modo itaque, si lectionem vulgatam retineamus, duri nihil supererit: usitatissima enim est formula loquendi: *non sequor illud*, pro non observo, non attendo, non obtempero: id quod et notatum ab ipso Bynkershoeckio, imo vero nulli non id perspectum, quare supersedeo testimoniis. Confer Jensium *in Strictur. Jur. Rom. ad h. l. pag.* 368.

Eodem, ni fallor, remedio simplicissimo restituere possis *L.* 16. *D. de Damn. inf.*, quam mutilam pronuntiat idem Jensius *pag.* 411. *Antequam damnum detur, impunitum est factum ejus*, scribit Paulus, *qui neque promisit, neque admisit in possessionem. Si tamen ante damnum datum vel cavit, vel possessione cessit.* Possis refingere *possessionem, nisi.* Probabilius videtur connectendam esse sententiam *d. L.* 16. cum his Ulpiani in *L.* 17. *eod.: Si quis missum in possessionem . . . . non admiserit . . . . noxalem actionem . . . . competere.* Ita certe optime constabit sensus. Vulgarius ac frequentius fere nihil est in juris nostri pandectis, quam diversorum JCtorum fragmenta eo ordine recenseri, ut tum demum plenus appareat intellectus, si et sequentis legis verba cognoveris. Confer sis *L.* 13. §. 5. et *L.* 14. *pr.*, et §. ult. *Legis* 14. et *L.* 15. et *L.* 16. *pr. D. ad SCtum Trebell.*

Addo *L.* 21. §. 1. *D. de Pactis*, quam varie emendant, an lacerant, plurimi; vide quae de ea proposuit Cl. D'Arnaudt *in Conj. Lib.* 2. *Cap.* 3. Vanas esse, ac neutiquam necessarias deprehendes correctiones exhibitas, ubi animadverteris *Leges* 17., (de anterioribus enim, quae huc non faciunt, nil attinet disputare) 19, *et* 21. *h. t.* omnes esse Pauli, ex eodem JCti libro

 pe-

petitas, quin et verba earum, si conjungantur, optime cohaerere. Quod si autem una serie, uno contextu, uno ordine dictas leges conjunctas perlegas, sensum perspicies, qui alioqui videtur interruptus, evadere commodissimum. In eo occupata est Pauli opera, ut inquirat, num pactum servi, filiive, prosit domino, patri, heredi, aliis. Distingui in his oportere indicat, utrum pactus fuerit servus in rem, *ne petatur*, an in personam, *ne a se petatur:* si hoc, ne scilicet a se petatur, nil proderit pactum domino: domini enim mentio in pacto non incidit, sed tantummodo servi, qui sibi unice prospexit hac stipulatione. Dominus tamen conventus potest se tueri exceptione doli mali. v. *L.* 21. §. 1. *h. t.* Quod si servus pactus fuerit ne petatur, dicendum est, eo casu prodesse hoc pactum domino et heredi ejus, ac propterea competere ei pacti conventi exceptionem, non ergo datur exceptio doli, quippe quae est subsidiaria. Quod si ne a se peteretur a servo concepta fuit stipulatio, nulla alia competit domino, qua se tueatur, exceptio, praeterquam doli.

CAPUT SEXTUM.

Conjectura de differentia, et appellatione meri *et* mixti imperii. Meri *significatio.* *Exponitur* Lex 3. D. de Jurisdict. *Emendatur* Isidorus. *Explicatur* L. 2. D. de in jus voc.

Quae sit differentia, et ratio appellandi *meri*, et *mixti imperii*, in obscuro est. Obscuritas omnis tolletur, si verba *Legis* 3. *D. de Jurisdict.* hoc modo distinguas: *Imperium aut merum est, aut mixtum. Merum est imperium, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines.* (praepositio *in* abest a vulgaribus editionibus, habent tamen aliae, ut Haloandri, Hugonis a Porta, plures. Non est certe, quod invitis Codicibus eam obtrudamus, uti dudum demonstrarunt Ampliss. Bynkershoeck *Lib.* 8. *Obs. Cap.* 25. *Num.* 5., Val. Guil. Forster. *Obs. Subseciv. Lib.* 1. *Cap.* 23., et Celeberr. Marckart *Interpr. rec. jur. civ. lect. Lib.* 2. *Cap.* 7.). *Quod etiam potestas appellatur, mixtum est imperium, (cui etiam jurisdictio inest) quod in danda bonorum possessione consistit.* Describit, non definit Ulpianus rem, quam proponit, ut saepe alias. Merum est imperium, habere gladii potestatem, sive jus supplicii. Mixtum est imperium, quod in danda bonorum possessione consistit, sed ita, ut etiam contineat jurisdictionem. Mixtum imperium alio nomine *potestas* appellatur. Haec verborum Ulpiani sententia mihi esse

ſe videtur. Conſtruenda ergo verba ejus, non ut vulgo fit, ſed hoc modo: *mixtum eſt imperium, quod etiam poteſtas appellatur.*

Imperium ergo *merum* eſt, quod ſolum, et integrum eſt, et cui nihil admixtum aliunde, atque adeo id imperium, quod ſolum, et ſimpliciter, proprieque *imperium* dicendum: *η ακρατον, ητοι καθαρον, aut merum, ſive purum*, interpretantur Graeci. *Merum* ſignificare ſolum, atque intaminatum, cum veteres, tum novi Lexicographi docuerunt. Feſtus: *merum antiqui dicebant ſolum.* Quae ad hunc locum Dacierius de *ſpe mera*, et *tunica mera*, ea, ut pleraque alia, ſublegit Voſſio ex Etymologico. Plura dabit Briſſonius *de Verbor. ſignif.*, cui adde Nonium. Hoc omnibus notum, *vinum merum* dici, cui nihil aquae additum, aut, ut cum Plauto loquar in *Amphitr. Act. 1. Sc. 1. prope finem: ut matre fuit natum.* Huic opponitur *mixtum*, cui aqua adfuſa. *Merum* ergo *vinum* eſt, cujus vis fracta, imminuta, temperata non eſt, *immixtum, merumque merum* appellat Auſon. *Epigr.* 20. *v.* 12. Utramque notionem memorat Iſidorus Lib. 20. Cap. 3. *Merum*, inquit, *dicimus, cum vinum purum ſignificamus, nam merum dicimus, quicquid purum atque ſincerum eſt, ſic ut et aquam meram, nulli utique rei mixtam. Hinc et merenda, quod antiquitus id temporis pueris operariis quibus panis merus dabatur: aut quod meridient eodem tempore, id eſt ſoli ac ſeperatim, non utique in prandio, aut in coena ad unam menſam.* Pro *utique in prandio* rectius habent editiones aliae *ut in prandio:* vocem *utique* perperam ex praecedentibus repetiit librarius, niſi malis, *utique ut.* Merendam antiquitus pro prandio dictam Feſtus tradit. Nonius *cibum* exponit, *qui poſt meridiem datur.* Iſidorus *l. c. Cap.* 2. interpretatur *cibum, qui declinante die ſumitur, quaſi poſt meridiem edenda, et proxima coenae.* Caeterum ſic emendo: *pueris, operariisque cibus, panis merus, dabatur:* Non ſpernenda eſt criſis Barthii, qui pro *meridient* corrigit *meri edant*, vide commentarios ad *Poëtas Latinos minores, a Cel. Burmanno editos, Vol.* 1. *pag.* 673., niſi malis accipere pro *merendent* quod *meridie edere* explicat Iſidorus *d. l. Cap.* 2. Atque ita *merum jus gentium* in *L.* 31. *D. Depoſiti*, quod jure civili non imminutum, ſive, ut eſt in ipſa lege, quod *praeceptis civilibus, et praetoriis* non eſt temperatum: atque ita *merum jus* in *L.* 4. §. 27. *D. de Uſurpat. et Uſucap.* exponitur jus ſtrictum et ſubtile. Confer P. Brodaeum *in Corollario ad Polleti Hiſt. For. Rom. Lib.* 3. *pag.* 207. Haud aliter *merum imperium* dicitur, id eſt, illud imperium, quod proprio nomine ita appellatur. Eſt autem proprie imperium ejus, qui imperat, ſupplicio, et poena mortis propoſita contumaci. Quare dicendum, imperium eſſe eorum omnium, qui jus animadvertendi habent in facinoroſos. Eſt namque imperare amplius aliquid quam jubere, aut cogere. Terent. *in Eunuch. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 97.: *jubeo, cogo, atque impero.* Ad quem locum opportune Donatus: *plus eſt imperare, quam jubere.* Imperium vero mixtum fuit eorum, qui quidem aliquam poteſtatem habebant, verum non talem, quae nomen et menſuram imperii meri, id eſt, proprie ſic dicti, implebat. Quales quidem modicam coërcitionem habebant, aliaque, citra tamen animadverſionem, et jus ſuppli-

plicii sumendi. Mixtum hoc imperium alio nomine *potestas* appellatur. Dico paucis: Imperium est magistratuum majorum, potestas minorum. Imperium Romae habebant Consules, Dictatores, Praetores, Interreges. Qui vero magistratus iis inferiores erant, potestatem habebant, ut Aediles Curules, Aediles Plebeji, Tribuni Plebis, Quaestores, vid. Manut. *ad Ciceron. Famil. Lib.* 1. *Ep.* 1., et quae multis disputat Sigon. *de Antiq Jur. Provinciar. Lib.* 3. *Cap.* 5. Illi fuerunt magistratus libera republica, oppressa vero hi, quos nominat Ulpianus in *L.* 2. *D. de in jus vocando: Consul, Praefectus, Praetor, Proconsul*, qui habebant merum imperium, quibus subjungit caeteros *magistratus, qui imperium habent, qui* (id est, quo) *coërcere aliquem possunt, et jubere in carcerem duci: prensionem* nominat Gellius *Noct. Attic. Lib.* 13. *Cap.* 12.: quibus verbis describit imperium mixtum, id quod in modica coërcitione consistit. vid. *L.* 5. *D. de Offic. ejus, cui mand. est jurisd.* *Qui* in dicta *L.* 2. *D. de in jus voc.* pro *quo* scriptum est: id quod ego non culpae scribentium tribuo, sed consuetudini nonnullorum. Atque haec est caussa, cur *imperium* et *potestatem* complures distinguant hoc modo, ut differentiam, quam dixi, facile et manifeste intelligas. Cicero *Philipp.* 2. *Cap.* 21.: *Tum contra te dedit arma hic ordo Consulibus, reliquisque imperiis et potestatibus.* Idem de Legib. Lib. 1. Cap. 7.: *Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent.* Idem ibid. Lib. 2. Cap. 12. *Summis imperiis, et summis potestatibus.* In quibus tamen locis *imperium* et *potestas* illos designat, ut saepe alias, qui imperium et potestatem habent. *L.* 26. §. 2. *D. Ex quib. causs. majores: Quos more majorum sine fraude in jus vocare non licet, ut Consulem, Praetorem, caeterosque, qui imperium, potestatemque quam habent.* *L.* 1. §. 2. *D. ad Leg. Jul. Majest.: Cujusve opera, consilio, dolo malo, consilium initum erit, quo quis magistratus populi Romani, quive imperium, potestatemve habet, occidatur.* Paulus *Sentent. Lib.* 5. *Tit.* 5. *pr. Res judicatae videntur ab his, qui imperium, potestatemque habent.* In aliis juris locis est: *imperium potestatemve*, v. notas ad l. Pauli c., add. *L.* 32. *D. de Injur.: qui sine imperio, aut potestate sunt Magistratus.* Mixti porro imperii hanc speciem dicit Ulpianus *in d. L.* 3. *D. de Jurisdict.: dare bonorum possessionem*, id quod ipse dicit, imperium mixtum consistere *in danda bonorum possessione*, at vero in *L.* 4. *D. eod.* hanc speciem imperii mixti addit: *jubere caveri praetoria stipulatione.* Ita autem illae sunt censendae species imperii mixti, ut imperio huic etiam jurisdictio insit. Non autem eodem haec gradu insunt imperio mixto, nam jubere caveri praetoria stipulatione, et in possessionem mitti, imperii magis est, quam jurisdictionis, adde *L.* 26. *D. Ad municipalem.* Haec eo spectant, ut intelligamus, jurisdictionem inesse quodammodo mixto imperio, magis tamen ei inesse caeteras species, quas dixi. Sed manum de tabula,

> *Jam satis est, ne me Crispini scrinia lippi*
> *Compilasse putes.*

Cui plura libet cognoscere de dito hoc argumento, adeat is J. Averanium *in*

in Interprett. Lib. 1., Polletum *in Histor. For. Rom. Lib.* 3. *Cap.* 1. *sqq.*, Forster. *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *pag.* 923. Novissime quoque suam symbolam contulit G. Schroder *in Observatt. pag.* 150. *sqq.* In primis vero consulat Gerh. Noodtium, qui quantum caeteros eruditione, tantum etiam ingenii sagacitate antecelluit, cujus exstat praeclarum opus *de Jurisdictione et Imperio.* Hujus quidem summi Viri, et popularis nostri, raras ingenii dotes, ac singularem doctrinam, dum ejus vestigia sequi difficile, Gelros omnes, imo vero quotquot verae ac masculae Jurisprudentiae suum pretium statuere didicerunt, nunquam non admirari ac suspicere oportet.

CAPUT SEPTIMUM.

I. *Leviter emendatur* Lex 39. D. de Poenis. II. *Corrigitur* L. 49. §. 1. D. de Adquir. vel Amitt. Possess. III. *Exponitur, ac tentatur* L. 5. §. 10. D. de Oper. Nov. Nuntiat. Caeterum *pro* quia. Lapilli ictus. IV. *Conciliantur* L. 3. §. 3. D. de Alienat. jud. mut. caus. fact., *et* L. ult. D. de Oper. Nov. Nuntiat., *et* L. un. C. de Alienat. jud. mut. caus. fact. *Tentatur* d. L. 3. §. 3. D. de Alienat. jud. mut. caus. fact.

I. Varii exstant Virorum Doctorum commentarii ad *L.* 39. *D. de poenis*, quibus sensum ejus verum edocere, eandemque cum aliis legibus conciliare adlaborarunt. Hoc miror, nulli, quantum equidem scio, in mentem venisse, mendam exinde eximere, primo, uti videtur, obtutu se manifestantem. *Si qua*, inquit Tryphoninus, *visceribus suis post divortium, quod praegnas fuit, vim intulerit.* Rescribi velim levissima mutatione *praegnas fecit*, quo facto plana perspicies evadere omnia. *Praegnas* pro *praegnans* plerumque effert Codex Florentinus. Eadem scriptura in similibus quamplurimis obtinuit. Vide Brisson. *in Parerg.* §. 24. hinc *abses*, *advenies*, *animas*, *infas*, alia, eliso N. v. H. Columnam *ad Ennii fragm. pag.* 290.

II. Aperto vitio laborant haec Papiniani in *L.* 49. §. 1. *D. de Adquir. vel Amitt. Poss*: *Qui in aliena potestate sunt, rem peculiarem tenere possunt*, HABERE POSSIDERE *non possunt: quia possessio non tantum corporis, sed et juris est.* Secutus prope ductus litterarum, rescribo: *alteri possidere.*

III. Auxiliatrice manu indigent obscuriora Ulpiani verba in *L.* 5. §. 10. *D. de Oper. Nov. Nunt. Meminisse autem oportebit, quoties quis in nostro aedificare*,

care, vel in nostrum immittere, vel projicere vult, melius esse, eum per Praetorem, vel per manum, id est, lapilli ICTUM, *prohibere, quam operis novi nuntiatione:* CAETERUM *operis novi nuntiatione possessorem eum faciemus, cui nuntiaverimus.* AUT *si in suo quid faciat, quod nobis noceat, tunc operis novi denuntiatio erit necessaria.* Tripliciter itaque interdicitur, vel in jure, apud Praetorem, vel per manum, intercedente symbolo, lapilli scilicet jactu, vel per interdictum, puta, quod vi aut clam, aut uti possidetis. Praestat autem fieri per Praetorem, vel lapilli jactu, quam operis novi nuntiatione: ratio est, quia, qui opus novum nuntiat, possessorem facit eum, cui nuntiavit, adeoque causam suam reddit deteriorem. *Caeterum* interpretor *namque, quia*, qua notione in juris libris non semel vocabulum hoc occurrere notat Strauch. *in Lex. Partic. h. v.* Vid. *L.* 15. *D. de Trit. Vin. Ol. leg.*, et *L.* 4. §. *ult. D. de doli mal. et met. except.* Τα *id est lapilli ictum* ejicienda esse arbitratur Hotomannus *in Obs. Lib.* 2. *Cap.* 4. Reliqui, quantum scio, Interpretes omnes pro *ictu* substituunt *jactu*, ipse etiam Schulting. *ad Quinctil. Decl.* 1. *Cap.* 10. Non ignoro equidem, bis in Digestis, quem hoc loco *ictum* appellat JCtus, *jactum* alibi nominari: neque tamen propterea Florentinam lectionem mutari velim, cum constet *ictum* pro *jactu*, *jaculatione*, usurpatum fuisse antiquitus. Ipse Grammaticorum princeps *ictum* exponit *jaculationem* ad haec Virgilii *Aeneid.* 7. *v.* 165.

> *Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis*
> *Spicula contorquent, cursuque* ICTUQUE *lacessunt.*

Ictu quoque pro *jactu* posuisse videtur Paulus *in Sentent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. 12.: *Si putator ex arbore cum ramum dejiceret, non proclamaverit, ut vitaretur, atque ita praeteriens ejusdem* ICTU *homo perierit.* Lapilli hunc ictum, seu jaculationem, vestigium esse vindiciarum antiquarum censet Marcilius *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 4. *pag.* 241. Plura de symbolo illo congessit, itemque de verborum legis nostrae lectione latius egit Otto *in Jurispr. Symb. Exercit.* 2. *Cap.* 9., adde Schroderum *in Obs. pag.* 263. Caeterum pro *aut si in suo* malim equidem: *aliquando si in suo.* A litteram *aut* et *aliquando* notasse testis est Valerius Probus. *Aliquando* dixit Ulpianus, quoniam non semper eo casu, si in suo quis faciat, quod mihi nocet, nuntiatio est necessaria: quae enim ratio prohibeat, in his quoque per Praetorem agere? nuntiatio enim Praetoris aditionem non habet necessariam, potest namque nuntiare quis, etsi eum non adierit. *L.* 1. §. 2. *D. de Operis Novi Nunt.* Posset et reponi: *at si in suo*, quo modo corrigendum se statuere, ore mecum communicavit Frater.

IV. Opus novum tibi nuntio, tu locum alienas Titio, Titius opus novum facit: quaero, qua actione mihi tenearis? Cajus existimat in *L.* 3. §. 3. *D. de Alienat. jud. mut. caus. fact.*, teneri te actione in factum, quanti nuntiantis intersit alium adversarium eum habere, hancque addit opinionis suae ratio-

tionem: *quasi* (malim *quia*) *neque tecum ex operis novi nuntiatione agere possum, quia nihil feceris, neque cum eo, cui id alienaveris, quia ei nuntiatum non sit.* Contra statuit Javolenus in *L. ult. D. de Operis novi nunt.*, qui emtorem, id est, dominum praediorum, hoc casu teneri putat, ob id. *quia nuntiatio operis non personae fit, et is demum obligatus est, qui locum possidet, in quem opus novum nuntiatum est.* Denique constituunt Impp. in *L. un C. de Alienat. Jud. mut. caus. fact.*: *Si rem, ne secum ageretur, qui possidebat, venumdedit, et emtor tradidit, quem elegeris, conveniendi tibi tributam esse facultatem.* A Cajo vides dissentire Javolenum, ab utroque Imperatores. Dissidia haec compositurus Catharinus *in Obs. et Conject. Lib. 2. Cap. 29. in Thes. Meerm. Tom. 6. pag.* 781., in *L. 8. D. c.* pro: *te hoc judicio teneri* substituit, *non teneri*, vel *neutrum teneri*, solitus nimirum nodum secare, non solvere. Non tali auxilio rem indigere intelliges, si utriusque JCti sententiam recte indagaveris: ad Imperatorum enim sanctionem, seu rescriptum, quod attinet, continet illud jus novum, ac generale, quo cavetur, optionem concedi actori, utrum velit actione, quam dixi, in factum convenire: constat itaque, hodierno jure agi posse eo casu aut contra venditorem, aut contra emtorem. Olim quid placuerit videamus: Cajus fortean eo de casu agit, quo venditor, qui opus novum jam paraverat, post factam nuntiationem alienavit fundum judicii mutandi causa, opus perfecit emtor: Respondendum itaque putavit Cajus, neutrum teneri edicto novi operis nuntiationis, sed obligari venditorem actione in factum. Javolenus vero de eo proposuit, si quis venditor alienavit locum, postquam nuntiatum est opus, quod aedificavit emtor, non animo judicii mutandi: Ideoque adversus emtorem competere actionem ex edicto novi operis nuntiationis asseruit. Verius tamen est, bene pensitatis rationibus, quas profert uterque, a se invicem dissensisse JCtos: Cajus, quem herciscundis alioqui recte accenset Mascovius *de Sectis pag.* 126., strictum jus in his attendendum autumat, Javolenus vero, quem a Sabini partibus stetisse affirmat Idem *pag.* 48., a rigore juris recedens, aequitati hoc tribuit, ut nuntiatio non personae, sed rei facta videatur.

CAPUT OCTAVUM.

I. *Vindicatur lectio vulgata* Legis 13. §. 1. D. de Re Judic. II. L. 57. pr. D. de Solutionib. III. L. 44. D. Mandati. IV. L. 1. §. 14. D. ad SCtum Treb. V. L. 10. §. 6. D. Quae in fraud. creditor. VI. *Tentatur* §. 10. eod. VII. *Defenditur lectio* L. 30. §. 1. D. de Fideic. Libertat. VIII. L. 1. pr. D. de Mi-

Migrando. IX. L. 32. D. de Pignor. et Hypoth. X. *Exponitur* L. 15. D. de Reb. Credit. XI. L. 37. D. Famil. Ercisc., *et* XII. L. 5. D. de Transactionib. Reddere, *pro* dare. *Illustratur* XIII. Pauli *locus in* Sentent. Lib. 5. Tit. 23. §. 16.

I. Vitiosissima, sibique medicinae desperatae videri Celsi haec in *L* 13. §. 1. *D. de Re Judic.* scribit Jensius *in Strictur. pag.* 438.: *Si quis promiserit prohibere se, ut aliquid damnum stipulator patiatur, et faciat, neque ex ea re damnum stipulator patiatur, et faciat, ita habeatur: facit, quod promisit. Si minus, quia non facit quod promisit, in pecuniam numeratam condemnatur.* Sic interpretor: Si quis promiserit prohibiturum se, quo minus stipulator damnum patiatur, insuper et hoc stipulatus fuerit idem, se facturum esse aliquid, quo facto indemnis fiat ac securus stipulator, eveniat autem, ut damnum non patiatur is, cui stipulatus fuit promissor, dein faciat quoque promissor opus promissum, satisfecisse creditur, fidemque datam implevisse habetur promissor. Quod si vero damnum quidem passus non fuerit stipulator, in eo tamen fefellit is, qui stipulatus fuit, quod non fecerit promissum opus, condemnari eum oportet in id, quod interest stipulatoris, non factum esse opus promissum.

II. Corrupta putant plerique, aut saltem mutila, Ulpiani verba in *L.* 57. *pr. D. de Solution.*: *Si quis stipulatus fuerit decem in melle, solvi quidem mel potest, antequam ex stipulatu agatur: sed si semel actum sit, et petita decem fuerint, amplius mel solvi non potest.* Sunt, qui corrigendum censent: *decem, aut decem in melle.* Servare poteris, credo, lectionem Florentinam, si ita intelligas: Si quis stipulatus fuerit decem, quae in pecunia numerata debebat, in melle se soluturum. Litis contestationis is est effectus, ut ante eam possit solvi in melle, electionemque habeat debitor, utrum in eo, an in pecunia numerata solvere velit, post eam non item. Confer §. 1. *h. l.* et *L.* 16. *D. de duob. reis.*

III. Festinantes JCtos contractissimis saepenumero loquendi modis, ac dictionibus ellipticis usos fuisse, nullum ignorare arbitror. Hac arte explicanda, atque ab aliorum crisi vindicanda puto Ulpiani dicta in *L.* 44. *D. Mandati*: *Dolus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest, aut si quis non exegerit, quod exigere, solvere.* Conjecturas Interpretum exhibet Catharinus *in Thes. Meerm.*: *Tom.* 6. *pag.* 784. Invitis codicibus optimis antiquissimis varia interserunt Editores Commentatoresque plerique. Sic accipio: Si quis nolit persequi, quod persequi potest, aut non exegerit, quod exigere debet, aut non solverit, quod solvere debet.

IV. Temere profecto ac sine justa causa emendandam censent nonnulli ejusdem JCti *L.* 1. §. 14. *D. ad SCtum Trebell.*: *Curatori tamen adolescentis ab adolescente poterit restitui hereditas: quoniam necessaria non est auctoritas ad restituendum.* Supplendum censet Bestius *de Rat. Emend. Leg. pag.* 139.: *quoniam jam*: De solo Curatore agi in hoc §. verba ipsa indicant, non aeque

de

de tutore, quo de in praecedentibus specialiter exposuerat. Non requiri autem Curatoris auctoritatem ad restitutionem hereditatis juris est certissimi.

V. Aeque clara videntur ejusdem responsa in *L. 10. §. 6. D. Quae in fraud. creditor.*, dummodo ita interpreteris: *Praeterea sciendum est, posse quaeri, quod dicitur: in fraudem creditorum alienatum revocari posse, si iidem sint creditores*, num et idem adhuc obtineat, si unus sit creditor? Respondeo: *Etsi unus creditor sit ex illis, qui fraudati sunt, ... probandum esse, adhuc actioni fore locum.* Inutilis ergo censenda emendatio, quam proponit Cl. Bestius *l. c. pag.* 144.

VI. Neque magis probatur, quod sanando *dictae legis* 10. §. 10. remedium adhibuit Idem in his: *Vel si quis fecit voluntarius etiam per aetatem, vel aliam causam justam in integrum meruit restitutionem.* Editiones aliae exhibent: *vel per aetatem*, aliae: *et per aetatem.* Rescribi jubet Bestius: *voluntarius, et etiam*, aut *sed etiam.* Malim ego: *voluntarius, sed jam*, aut *sed tm̄*, hoc est, *sed tamen*, auctore Magnone.

VII. Causam autem plane nullam video, quam propter adoptemus crisin, exercitam in *L. 30. §. 1. D. de Fideic. Libertat.*: *Si infans sit*, ait Ulpianus, *inter eos, qui manumittere debent, Senatus censuit, ut liberi liberaeque sint hi, quibus libertates ex causa fideicommissi praestare oportet.* Infantes manumittere non posse indicat JCtus, favorem vero libertatis fecisse, ut liberi essent servi, qui per fideicommissum jussi fuerant libertatem accipere. Confer *L. 36. pr. eod.*

VIII. Idem dicendum videtur de verbis Edicti, quod profert Idem in *L. 1. D. de Migranda: Si is homo, quo de agitur, non est ex his rebus, de quibus inter te et actorem convenit, ut, quae in eam habitationem, qua de agitur, introducta, importata, ibi nata, factave essent, ea pignori tibi pro mercede ejus habitationis essent: sive ex his rebus* ESSET *ea merces tibi soluta . . . . vim fieri veto.* Cl. Voorda in Interpret. *pag.* 23. pro *esset* substituit, *est et.* Bestius *pag.* 147. mavult, *esset, sed.* Nil mutandum censeo. Non potest retineri servus, quasi obligatus, vel si de eo specialiter non convenerit, ut esset ille pignori pro mercede, vel si jam merces fuerit soluta.

IX. Eadem quae *nata, factave*, appellavit Praetor in praecedentibus, Scaevola nominat *nata, paratave*, in *L. 32. D. de Pignor. et Hyp. Debitor*, inquit, *pactus est, ut, quaecunque in praedia pignori data inducta, invecta, importata, ibi nata, paratave essent, pignori essent.* Offendit Catharinum *in Thes. Otton. Tom. 1. pag.* 490. vox *parata*, cujus loco reponendum vult *fata*, nulla, si quid video, idonea ratione permotum. *Parata* sunt, quae non ipsa natura administrante ibi nata sunt, sed artificiose facta, industria hominis ibi posita. Ita *uxoris causa parata* dicuntur, quae maritus in usum uxoris destinavit. Hinc *parare*, et *comparare* pro *emere* vulgatissimo usu frequentatur in jure. Notiones ex lexicis notissimae. Quaenam sit differentia inter *emtum* ac *paratum* docet Ulpianus in *L. 47. § 1. D. de Legat. et Fid. II.*

X. Ulpianus ait in *L.* 15. *D. de Reb. Cred.*: *Si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis.* Itane justum, Domiti, obligari me de non acceptis? imo vero juris rationi contrarium hoc, scriptisque legibus omnino adversatur. Vide *L* 2. §. 2. *D. eod.*, et *pr. I. quib. mod. re contr. obl.* At vero alia mens fuisse videtur JCti optimi, qui obligari te respondet, quamvis a me ipso, manu mea, per meam ipsius traditionem pecuniam non acceperis. Licet enim, cum a me non accepetis nummos, sed a debitore meo, proprie quidem dici non possis, meos accepisse nummos, per indirectum tamen meos accepisti, ideoque obligaris mihi, quoniam re vera perinde est censendum, meosne, an, brevi quasi manu, mihi debitos nummos acceperis. Hoc modo si intelligas verba, sponte sua profluere videtur casus adjectus de mutatione debiti in creditum, evanescere quoque ac removeri deprehendes difficultates, quas moverunt alii. Obstare dicas *legem* 34 *pr. D. Mandati*, sed conciliabis facile, si in consilium adhibueris Cujacium citatum a D. Gothofredo, et Charondam in *Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *pag.* 793.

XI. *Qui familiae ercifcundae judicio agit, non confitetur adversarium sibi esse coheredem*, ex sententia Scaevolae in *L.* 37. *D. Fam. Ercisc.* Plerique Interpretes negationem abjiciunt, adjuti auctoritate Basilicorum, et codicum quorundam antiquorum. Consule Cujac. *Lib.* 9. *Obs. Cap.* 26., Noodt. *ad D. pag.* 238., U. Huber. *in Praelect. D. h. t. Num.* 3. Defendi tamen forte possit lectio Florentina: quamvis enim is, qui familiae ercifcundae judicio agit, naturam negotii si consideres, eo ipso quidem fateatur, adversarium suum esse coheredem, effectum tamen ac jus strictum si attendas, non ita fateri intelligitur, ut exinde praejudicium ei fiat. Vide *L.* 36. *D. eod.* Distinguendum itaque opinor inter jus et sensum naturalem: quo modo saepius locuti JCti. Videsis *L.* 3. §. *ult.*, et *L.* 4. *D. ad exhibendum*, adde *L.* 103. *D. de Verb. Sign.* Ita, exempli gratia, naturaliter possidere dicitur depositarius, in *L.* 7. § 11. *D. Comm. Divid*, licet nullum habeat jus in re. Quodsi hoc nolis, *non* interpretare *nonne*, quo de alias proposui, quod idem jam in mentem venisse video H. J. Arntzenio in *Spec. Obs. Cap.* 3. Locorum ex jute depromtorum, quibus *non* pro *nonne* adhibetur, exempla allegat Barthlin. in Gruteri *Th. Crit. Tom.* 1. *pag.* 706. Confer J. Arntzen. *ad Pacat. pag.* 21.

XII. Non uno nomine suspecta videntur Ulpiani haec in *L.* 51. *D. de Transactionib.* JCtis etiam non infimi ordinis: *Cum Aquiliana stipulatio interponitur, quae ex consensu* REDDITUR, *lites, de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur:* LIBERALITATEM *enim captiosam interpretatio Prudentum fregit.* Offendit Cl. D'Arnaudt in *Conject. Lib.* 1. *Cap.* 7. vox *redditur*, ejusque loco rescribendum existimat *oritur.* Vellem cogitasset Vir Eruditissimus, vulgarem esse verbi *reddere* significationem, qua pro dare, exponere, ponitur. Tritius nihil est, quam *rationem reddere*: quid aliud quaeso notat quam exponere, dare? Confer Nonium Marcellum *pag. m.* 381. Celsus in *L.* 21. *D.*

de

de Legat. 11. *reddendi verbum, quamvis significationem habeat retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem* Add. *L.* 94. *D. de V. S.* et *L.* 100. *pr. D. de Legat.* 111. Centies in jure interdictum, actiove *reddi* dicitur, hoc est, dari a Praetore. Stipulatio itaque haec ex consensu redditur, hoc est, datur, exponitur. Pro *liberalitatem* perperam a nonnullis substitui *liberationem* optime demonstravit jam Bynkersh. *Obs. Lib.* 4. *Cap.* 2. Ecquis enim negare sustineat, intercessisse liberalitatem, ubi quid acceptum fero, quod vere non accepi?

XIII. Mendosa videntur nonnullis Pauli haec in *Rec. Sentent. Lib.* 5. *Tit.* 23. §. 16.: *Qui hominem immolaverint, exve ejus sanguine litaverint.* Parum recte dici putat Cl. Vryhof *in Obs. Cap.* 14. *ex alicujus sanguine litare*; ideoque rescribendum scribit: *extis, vel ejus sanguine*, aut *ex σπλάγχνων* statuendum esse. Miror non observasse Virum Doctissimum, genio Latini sermonis differre inter se *litare re*, et *litare ex re.* Unicuique, credo, notissimum est, *re litare* dici, cum rem totam designamus, *ex re*, cum partem tantummodo rei significamus. Dixi alias, in dicto Pauli titulo innui inprimis crimina, Christianis hominibus objecta. His autem prae caeteris calumniis id quoque exprobratum fuisse, quod infantem farre contectum apposuerint, quem coecis occultisque vulneribus occidisse ferebantur, ejusque sitienter sanguinem lambere soliti fuerint, novimus ex Minucii Felicis Octavio *Cap.* 9. Suspicioni causam dedisse eucharistiam, sive sacram coenam, pie celebrari solitam, dubitari vix potest. Confer commentarios J. Davisii *d. l.*

CAPUT NONUM.

I. *Exponitur, et leviter tentatur* Lex un. D. Si quis jus dic. non obtemp. Vindicationis *modus antiquus.* Vindex *quis?* II. *Ad* L. 20. D. Quemadmod. Servit. amittat. III. *Emendatur* L. 8. §. 1. D. de Edendo. IV. *Ad* L. 2. §. 19. D. de Orig. Jur. *Tentatur* L. un. pr. D. de Off. Praef. Praet.

I. *Is videtur jus dicenti non obtemperasse, qui, quod extremum in jurisdictione est, non fecit: veluti, si quis rem mobilem vindicari a se passus non est, sed duci eam, vel ferri passus est. Caeterum, si et sequentia recusavit, tunc non obtemperasse videtur.* Verba sunt Ulpiani in *L. un. D. Si quis jus dic. non obtemper.* Variis sententiarum divortiis inter se scinduntur Interpretes de responsi hujus intellectu, adeo ut, quotquot de eo egerunt, totidem fere diversas opiniones in medium proferri cognoscas, quas si universas recensere insti-

stituam, lectori profecto taedium, non minus quam mihi ipse, procurem molestissimum. Paucos ex immenso numero nominasse sufficiat, qui egregiis commentariis legem nostram illustraverunt. Ne memorem Ant. Fabrum in *Rational. ad h. l.*, Oldendorp. in *Action. Forens. Classe* 1. *Act.* 2., et J. Voet *ad h. t.*, adiisse nc poenitebit incomparabile par Eruditorum, Schultingium dico in *Enarrat. D.* et Noodtium *ad h. t.*, quibus addi velim Frisiae suae decus atque ornamentum insigne, U. Huberum in *Eunomia Romana h. t.*, et Perrenon. *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *pag.* 615. In medio relictis aliorum conjecturis, id tantummodo agam, ut, quam brevissime potero, exponam, quo pacto explicanda mihi videantur verba obscurissima.

Extremum in jurisdictione intelligo vindicationem, sive exsecutionem, non eam, quae fit manu militari, qua de mentionem injicit Noster in *L.* 68. *D. de Rei Vindic.*, sed illam, quae per Praetorem instituitur.

Pergit Ulpianus: *non fecit.* Facti meminit JCtus, quia exhibere debet, et rei copiam facere is, a quo vindicatur, vide *L.* 1. *et* 2. *D. ad exhibend.*

Exemplum ejus, qui non fecit hoc, statuit Auctor: *veluti si quis rem mobilem vindicari a se passus non est.* Vindicationes, seu vindicias apud Praetorem olim factas fuisse in re atque in loco praesenti, prensione, sive correptione manus, constat, ex Gellio *Noct. Att. Lib.* 20. *Cap.* 10. Confer, quae notavi ad Ulpianum *Tit.* 19. §. 6. Dicta sunt *vindicia*, *vindicta*, *vindico*, a *vim dico.* Proprie itaque vindicat Praetor, cum vim dicit, id est, jubet. Vim autem dicit Praetor, cum rem litigiosam vi capi jubet. Capi autem solebat res a lictore jussu Praetoris, sive ea esset soli, sive mobilis. Imo fortassean capta est res a litigante, dum lictor eam virga tangeret, quae propterea *vindicta* appellabatur. Antiquissimis temporibus, praesente Praetore, institui oportuit vindicationem, auctis vero postea Praetoris negotiis, mutatum hoc fuit, atque, uti dein res soli vindicata fuit in gleba, aut parte fundi, in jus ad Praetorem adlata, ita rem mobilem vindicatam puto jussu Praetoris absentis eo in loco, ubi res illa servabatur. Hunc locum petebat litigans, cui vindiciam decreverat, dederatve Praetor, comite lictore, ut jussu Praetoris rem vindicarent, hoc est, vi caperent. Quamvis autem vindicatio proprie sit Praetoris, cum vim dicit, hoc est, jubet, aut decernit, est tamen ea quoque lictoris et litigantis, qui jussu Praetoris agunt, indeque factum existimo, ut litigans aeque ac Praetor *Vindex* dicatur. Praetor *vindex* et *vindicare* dicitur, cum vindiciam jubet, litigans item et lictor, cum jussu, decretoque Praetoris rem capit, seu manum ei injicit.

Is autem non obtemperasse videtur, et in poenam incurrit, qui passus non est rem a se vindicari, hoc est, qui ab eo loco, in quo res vindicanda est, excluserit, repuleritve vindicem, litigantem et lictorem, qui jussu Praetoris vindicaturi advenerant. Manifesta itaque poenae hujus ratio exstat, exclusis quippe iis, qui jussu Praetoris aderant, postulaturi vindicias, quae *in jure* erant *dictae*, atque adeo cum *jurisdictioni* non fuerat obtemperatum.

Ad-

Addit Ulpianus: *sed duci eam, vel ferri passus est.* Ducitur servus, jumentum, armentum, pecus, aliaeque res sese moventes. Fertur res mobilis. *Duci* pro *abduci*, *ferri* pro *auferri* positum accipio. Significatio in vulgus nota, et a lexicographis demonstrata. Grammaticus vetus apud Gothofredum in Auctor. Lat. pag. 1356. lin. 44. *abducimur*, inquit, *unde nolumus, ducimur, quo volumus.* Ibid. *pag. sq lin* 35. *ducimus volentes, abducimus invitos.* Rem mobilem autem a se vindicari non patitur, qui, finge, vindices vindicatum venientes, a loco, ubi res servatur, repellit, aut, quemadmodum dixi, domo excludit; sed ferri rem mobilem, aut duci rem sese moventem patitur, qui rem in publicum projicit, atque hoc modo rei copiam facit. Poenae autem obnoxius est talis, qui, cum ex sententia aut jussu Praetoris finere debuisset, rem a se vindicari, non tamen obtemperavit, sed passus quidem est, rem duci aut ferri: quamvis enim rei ita ablatae dominus fiat ille, qui causam vicit, remque jussu Praetoris abstulit, duxitve, in eo tamen peccasse censendus est, quod vindicari rite rem passus non fuerit. Vindicatio siquidem reddit dominium plenum ac majus. Dein quoque, quod ex jure manu consertum olim fuisse constet, exque iis, quae de eo disputat Gellius *l. c.*, haud absurde dixeris, necessarium olim fuisse, non tantum, ut praesens esset reus in vindiciis, sed et ut manu teneret, aut forte manu mitteret, ac traderet rem litigiosam vindici. Denique jussum ac jurisdictionem Praetoris contempsisse videtur, qui rem jure vindicari passus non fuerit.

Videndum restat de finalibus: *Caeterum, si et sequentia recusavit, tunc non obtemperasse videtur.* Sequentia intelligo servum aut pecus, quod ad signum, aut vocem domini sponte sequi solet. Canes ita excitatos semper sequi novimus, idem facere greges ovium, armenta quoque nonnunquam, et sues, aliaque pecora, scit unusquisque. Pro *recusavit* legendum conjicio *recussavit*, hoc est, concutiendo sese, vociferatione puta, brachiorum jactatione, fuste etiam, aliove quovis telo, repulit. Descendit vox a *re* et *quatio*, unde *recussus*, atque hinc *recussare.*

Proposui sententiam, simplicem eam quidem, at tamen, nisi fallor, rei accommodatissimam, ab opinionibus Commentatorum longe diversam, utrum his praeferendam, an postponendam, aliorum esto judicium.

II. *Usu*, inquit Scaevola in *L.* 20. *D. quemadm. serv. amitt.*, *retinetur servitus, cum ipse, cui debetur, utitur, quive in possessionem ejus est, aut mercenarius, aut hospes, aut* MEDICUS, *quive ad visitandum dominum venit, vel colonus, vel fructuarius.* Catharinus in *Observat. in Thes. Jur. Otton. Tom.* 1. *pag.* 487. medicum intelligit servum. At quorsum, quaeso te, solius medici inter servorum, ab libertorum, agmen densissimum mentio? Rectius alii AMICUS corrigunt. Favet certe conjecturae huic non tantum *L.* 4. §. 4. *D. de itin. act. priv.*, ab Interpretibus jam indicata, sed praesertim quoque id adjuvat, quod *medici* et *amici* nomen in libris MSS. antiquissimis confundi inter se haud raro solere constet. Consule Torrentium *ad Sueton. in Caes. Cap.* 4.

III.

III. Vexant admodum Interpretes verba *Legis* 8. §. 1. *D. de Edendo:* Ita Jurisconsultorum Coryphaeus: *Is autem, qui in hoc edictum incidit, id praestat, quod interfuit mea rationes edi, cum decerneretur a Praetore, non quod hodie interest: et ideo, licet interesse desiit, vel minoris, vel pluris interesse coepit; locum actio non habebit, neque augmentum, neque deminutionem.* Audacter D'Arnaudt. *in Conject. Lib.* 2. *Cap.* 7. scripsisse putat Ulpianum *totum actio*, aut *in totum actio non habebit*, audacius Ant. Faber *in Rational.* proscribendam, atque e textu ejiciendam censet vocem *locum.* Levissimo, puto, remedio sensus reddetur idoneus, si emendes mecum: *neque ad augmentum*, cui lectioni neutiquam repugnant Graeci.

IV. *Dictatoribus Magistri Equitum injungebantur, sic, quo modo Regibus Tribuni Celerum: quod officium fere tale erat, quale hodie Praefectorum Praetorio: Magistratus tamen habebantur legitimi.* Pomponii sunt in *L.* 2. §. 19. *D. de Orig. Jur.* Pro *tamen* una litterula geminata rescribendum puto *tamen non.* In eo tamen diversum est officium Magistrorum Equitum ab eo Praefectorum Praetorio, quod illi non habebantur magistratus legitimi, hoc est, ordinarii, quo modo optime restituit Ampl. Vonck in *Obs. Miscell. pag.* 121.

De eodem Magistratu verbis non admodum elegantibus ita Charisius in *L. un. pr. D. de Off. Praef. Praet.*: *Cum apud veteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, et Magistros Equitum sibi* (forte *sibi hi*, aut subaudi Dictatores) *eligerent, qui adsociati participales curae, admilitiae gratia, secundam post eos potestatem gererent.* Varie mutant Viri Docti. Sunt qui glossematis adscribunt τα *ad militiae gratia.* Aliorum opiniones recenset Schroder in *Observ. Jur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 6. Interpretor: adlecti, ut participes essent curae Dictatoris, hoc est, ut una cum eo res gerendas curarent, ac *militiae gratia*, *ac* accipio pro *id est*, quo sensu *et* saepissime poni alibi demonstravi: nisi malis *at*. Hoc certum est, belli potissimum temporibus Dictatores, adeoque et Equitum Magistros creatos fuisse. Vid. *L.* 2. §. 18. *D. de Orig. Jur.*

CAPUT DECIMUM.

I. *Vindicatur lectio* Legis 5. §. ult. D. de his, qui effud. vel dejec. *Eadem exponitur, item* §. 5. eod., *et* L. 12. pr. D. de V. S. Actiones poenales *et* populares *heredi dari ostenditur.* II. *Defenditur vulgata lectio* L. 55. §. 2. D. de Legat. III., *et* III. L. 10. §. 7. D. de Gradib. et Adfinib. IV. *De* glossematis. *Quid sit* specialiter nominatim *ad* L. 72. pr. D. de Evictionib.

I. Du-

I. Duplici edicto securitati hominum prospexit Praetor: altero coërcet, si quid damnum datum fuerit effundendo aliquid, vel dejiciendo in viam publicam; altero cavit, ne quid supra eum locum, quo vulgo iter fit, positum habeatur, quod nocere cui possit. Si quis negligens aut contumax edicto non obtemperaverit, praesto sunt actiones. Quod si damnum datum est, competit actio perpetua, etiam heredi, non tamen contra heredem. Vide *L.* 5. §. 5. *D. de his, qui dejec. vel effud.*, uno tamen casu excepto, si liber homo periit, tunc enim intra annum duntaxat competit, neque in heredem ea datur, sed nec heredi, similibusque personis agendi jus est, teste Ulpiano *loco citato.* Ea vero actio, qua convenitur ille, qui damnum nondum dedit, sed positum quid aut suspensum habuit, quo noceri potuit, num heredi quoque competat, in utramque partem disputatur, neque certo adhucdum est demonstratum. Pluribus haud ita pridem, atque eleganter materiam hanc tractavit C. A. van Wachendorff in laudata saepius *Dissertatione Cap.* 1, quo loco id egit Vir juris peritissimus, ut ostenderet, heredi neutiquam competere actionem. Hanc ad actionem referenda existimant plerique, si non omnes, verba §. *ult. L.* 5. *c. Ista autem actio popularis est, et heredi, similibusque competit, in heredes autem non competit, quia poenalis est.* Ex natura autem actionis profluere arbitrantur, denegandam eam heredibus, eaque propter id in primis faciendum, ut corrupta verba emendentur, hoc est, negativus sensus Ulpiano reddatur. Variis hoc remediis tentarunt Interpretes, quae si scire desideres, adeas Wachendorffium *d. l.*, qui substituendum putat *nec heredi.* Dubito equidem, num quid praesidii quaeri possit sic sentientibus ex §. *fin. c.*: Hoc certum videtur, proponi ibidem de actione, quae competit de eo, quando quid positum fuit, quod re vera jam nocuit, ac damnum dedit: Ita enim in §. proxime praecedenti 12. exhibetur: *Si id, quod positum erat, deciderit, et nocuerit . . . ., si amphora ex reticulo suspensa decidisset, et damni dedisset:* post quae sic dein pergit JCtus in §. 13. subsequenti: *ista autem actio*, puta, quae datur, si positum vel suspensum nocuit, *popularis est, et heredi, similibusque competit.* Notandum praeterea, actionum popularium hanc esse indolem, ut in iis praeferatur is, cujus interest. Vid. *L.* 3. §. 1. *D. de Popularib. Actionib.*, add. D. Gothofred. ad *L.* 2. *D. eod.*, et *L.* 5. §. 5. *h. t.* Heredis autem plurimum interesse in hac re, dubitari non potest. Quid quaeris? actionem de dejectis et effusis, praeterquam si liber homo perierit, heredi dari statuo ex *L.* 5. §. 5. *D. h. t.*, idem quoque dicendum censeo, si ex posito vel suspenso fuerit nocitum ex *L.* 5. §. *ult. eod.*, imo si neque nocitum fuerit, eidem tamen actionem competere existimo, non modo, si lis fuerit contestata a defuncto, v. §. 1. *in fine I. de perpet. et temp. Act.*, aut quasi uni ex populo, sed ex natura actionis: quandoquidem actiones poenales, etiam quae descendunt ex delicto, sive ex contractu, dantur quoque heredibus, v. §. 1. *I. c.* Ad populares autem quod attinet actiones, nullibi eas heredibus denegatas deprehendo. Neque vero adversari opinioni nostrae videtur *L.* 12. *pr. D. de Verb. Sign.*: *Quod si ex po-*

pulari causa debetur, *ante litis contestationem recte dicetur creditoris loco non esse, postea esse*, quo loco id tantummodo innuit Ulpianus, si cui competat actio popularis, in aestimatione bonorum ejus non accenseri id, quod ex actione hac ad eum possit redire, lucrum, quoniam creditor eo casu non intelligitur, nisi demum post litem contestatam, hoc est, non est locupletior censendus, qui habet actionem popularem, v. *L. penult.* §. 1. *D. de Popul. Action.* Plus obstare primo rei intuitu videtur argumentum, quod opponunt contrariae sententiae auctores, petitum ex *L.* 5. §. 5. *h. t.*, ubi expresse Ulpianus actionem dicit de dejectis non competere eo casu, si liber homo periit, *neque in heredem, sed nec heredi, similibusque personis: nam est poenalis, et popularis*, atqui, inquiunt, in nostro casu eadem quoque versatur ratio, siquidem et haec actio popularis est et poenalis, et hoc itaque sequatur necesse est, heredi eam non dari. Verum enimvero, si rem recta reputemus via, apparebit, non ideo addita fuisse haec: *nam est poenalis, et popularis*, ut exinde probetur, heredi non dari actionem, sed ob id potius, ut arguatur, in heredem agi non posse: demonstravimus enim, nisi fallor, in superioribus, actiones poenales, itemque populares, heredibus concedi. Absque eo esset, quo, quaeso, pacto heredi haec actio tribui possit, uno excepto casu, si liber homo periit, *in eodem* §. 2. Omnino itaque dicendum videtur, singulare jus esse in eo, si liber homo periit, eoque solo casu denegari actionem heredibus, caeteris itaque casibus omnibus competere actionem. Retinenda idcirco lectio Florentina, cui et favent Basilica.

II. Ligno legato, quae debeantur, non certo constitit inter JCtos veteres. Appellatione ejus id venisse videtur, quod comburendi causa paratum est. Ubere de eo disputat Ulpianus in *L.* 55. *D. de Legat.* 111. In §. 2. *L. c.* Ofilium ait negasse, *arbores nondum concisas, nisi quae minutatim conciduntur, videri ei legatas, cui ligna legata sunt.* Interpretor, arbores evulsas quidem, aut amputatas, necdum tamen in partes sectas. Ipsas arbores deberi negat, ea tamen, quae minutatim conciduntur ex arboribus iis, legatario cedere respondit Ofilius, hoc est, quae in minutissimas partes conciduntur, intelligo, quae ex putatione facta supersunt, *het snoeisel, snoeihout* nostratibus dicta, itemque quae hyemis praecipue tempestate foco inserviant, *het brandhout*, quod utrumque ligni nominatione contineri negari nequit. Facessat itaque conjectura, quam proposuit Bestius *pag.* 140., geminata voce *concisas*, quae quippe ex verbis manifestis obscura, ex sensu rectissimo pravum reddiderit.

III. *Liberi*, inquit Paulus in *L.* 10. §. 7. *D. de gradib. et adfinib.*, apud Romanos proprio vocabulo appellantur *usque ad trinepotem: ultra hos* POSTERIORES *vocantur*. D'Arnaudt in *Conject. Lib.* 1. *Cap.* 5. substituendum esse judicat *posteros omnes*; *posteriores* enim dici inauditum addit, *posteros* appellari notissimum esse. Miror ignorasse, vel saltem non observasse Virum Cl. morem scriptoribus antiquis vulgatissimum, quo comparativum eos scimus frequentissime adhibuisse pro positivo. Exemplum suppeditat manifestissimum ipse Paulus in *eadem lege* §. 3.: *Proximiores ex adgnatis sui dicuntur*, hoc

hoc est, proximi. Plura si desideras, adi Auctorem *Obs. Jur. Civ. pag.* 136.

IV. Cl. Best in libello *de Rat. emend. leges. Cap.* 1. §. 14. de glossematis hanc fovet opinionem: in Tusco codice paucissima apparere, in caeteris libris permulta. Contra censent plurimi, quos adeo delectatur facillima haec corrigendi methodus, ut mox, ubi sententiae suae contrariam verborum periodum in lege aliqua, librove antiquo deprehenderint, aut argumentum quoddam dictis poene similibus propositum invenerint, licet perspicuitatis gratia addita saepissime talia fuisse plus quam verosimile fiat, denique si quid vocabulum dictionemve bis vel amplius repetitam viderint in uno eodemque loco, ineptissimorum glossatorum commentum hoc esse protinus clamitent, et textu id ejiciendum proscribendumque pronuntient. Quod Terentius dicit *in Andr. Act.* 1. *Sc.* 1., *apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis*, id in hac re quoque usu venire arbitror: neque enim ad istud, quasi ultimum ac subsidiarium restitutionis in integrum remedium, confugi oportere existimo, nisi ubi nulla demum alia facilior interpretandi, corrigendive ratio superest, damnandumque propterea puto morem nonnullorum, qui temere admodum in his procedunt. Nimium quantum indulsisse videtur malae huic et inveteratae consuetudini Vir juris atque utriusque linguae peritissimus Des. Heraldus. Exemplis pluribus, quod dixi, in praecedentibus demonstravimus, addam cum maxime unum: Arbitratur Vir Doctissimus *in Obs. et Emend. Cap.* 1., *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 2. *pag.* 1313., ex his Callistrati in *L.* 72. *D. de Evictionib.*: *Cum plures fundi specialiter nominatim, uno instrumento interposito, venierunt*, alterutrum esse eliminandum, vel *specialiter*, vel *nominatim*: Attamen nemo, credo, temere inficias eat, multum differre inter se, significationisque diversae esse utrumque vocabulum. *Specialiter* accipio, cum non genus tantummodo adjicitur, veluti, *omnes fundi mei*, sed per species itur, exempli gratia: *fundus, quem a Titio emi, quem in Italia habeo.* Neque enim existimandum est, *specialiter* semper designare expressim, verum primaria est ea ac propria, quam modo dixi, vocis notio. Confer Cl. Marckart *Interpr. Lib.* 1. *Cap.* 4. *Nominatim* dicitur, cum nomen additur singulorum fundorum, utpote, *fundus Tusculanus, Sejanus, Maevianus*, alia. Vid. Paulum in *L.* 37. *D. de manum. test.* Specialiter itaque nominatim veneunt fundi, si ita in instrumento venditionis scriptum fuit: *vendo fundos, quoscunque habeo Romae, Capuae, atque in Campania, fundum Cornelianum, item Sertorianum, et Tullianum.* Neque tamen dissentiam equidem, si per ellipsin *et* ante *nominatim* subaudiendam putes, quam particulam omitti frequenter docuit Cl. Arntzen. ad Caton. *Lib.* 1. *Dist.* 20., aut per geminationis remedium restituendam censeas, ita ut praecedens *er* absorpsisse videatur *et*, praesertim cum constet, R inter et T litteras differentiam poene nullam apparere in codicibus MSS., qui Langobardicis litteris sunt exarati, vid. Sciopp. *de Art. Crit. pag.* 55. Neque vero diffitear, scriptum mihi videri *nominati*. M enim a librariis additum saepissime fuisse novimus, eo, quo exulare debuerat, lo-

co. Illis autem nullus adsentiar, qui pro *m* substituant forte *in*: quanquam enim non ignorem, duo haec inter se haud raro confundi, quo de Scioppi. *l. c. pag.* 51., hic tamen usu illud venire non putem, quum in sequentibus ejusdem legis repetatur: *uno instrumento emptionis interposito.*

CAPUT UNDECIMUM.

I. *Exponitur, et vindicatur lectio vulgata* L. 5. C. de diverf. Off. et appar. jud. Difcingi *de militibus, magistratibus, et causa.* Judices cincti *qui dicantur* Aniano. Cincti Horatii, *ad* L. 3. D. Si pars hered. pet. Ampelius *tentatur.* Manilius *exponitur.* Plinius *corrigitur.* II. *Ad* L. 12. D. de Off. Praef. III. *Corrigitur* L. 29. §. 1. D. de auro arg. . . . leg. IV. *Emendatur, atque explicatur* L. 39. §. 1. D. eod.

I. *Quicunque apparitores ob culpam, vel negligentiam fuerint judicato discincti, jam ad nullam militiam habeant facultatem adspirandi, nec ex rescripto his ullus aditus referetur, quos congruit poenae gravissimae subjugari, si contra inhibita quoque sacratissimis constitutis adspirare contempserint.* Verba sunt Honorii et Theodosii Impp. in *L. 5. C. de Diverf. Off. et Appar. jud.* Eadem est lectio *Legis* 20. *C. Th. eod. tit.*, nisi quod hic pro *contempserint* exhibet *praesumpserint*. Pro *discincti* corrigendum censent nonnulli *districti*, quos latuit procul dubio mos, qui posterioribus demum temporibus Romae coepit invalescere. Quum enim olim paucissimi, imo fere nulli, si ab iis discesseris, quos penes merum erat imperium, gladio accingi consuevissent, postmodum insequenti aetate usu obtinuit, ut et alii, magistratus pariter ac milites, se cingerent gladio. Exinde itaque factum fuit, ut *cingulo ornari, cingulo donari, cingi,* significaverit deinde, muneri admoveri: *prima cingula* vocat Claudian. *in Eutrop. Lib.* 2. *v.* 320. principem militiae dignitatem. Vid. ibi Barthium. *Discingi* contra denotavit munere privari, ordine submoveri. Videsis Ampl. Ottonem *in Jurispr. Symbol. Exerc.* 2. *Cap.* 15. Distinguit Anianus inter *judices cinctos* et *privatos* in *Interpretatione ad Pauli Sent. Lib.* 1. *Tit.* 5. §. 2., ubi consule omnino Schultingium, scriptoresque ab eo adlegatos. *Cinctos* intelligo magistratus majores, judices jus dicentes, *privatos* accipio judices datos. *Militiam* Imperatores designant, non illorum tantum, qui gladiis, clypeis, ac thoracibus instructi arma sequuntur, sed comprehendere videntur quoscunque honores civiles aeque ac militares: quot-

quotquot enim sunt circa Principem, aliove quovis honore ac munere sunt illustriores, *militare* dicuntur, vid. *L.* 3. *C. de Numerar.* Confer Ottonem *d. l.* Proprie tamen *cingi*, et *cincti* vocantur milites bello parati, cum hoste congressuri. *Cinctutos Cethegos* Horatius vocat armatos in patriae perniciem. Consule P. Nannium in *Art. Poët. v.* 50. Turneb. in *Adversf. Lib.* 9. *Cap.* 31. et 19. 9. explicat Oratores veteres. De *cinctutis Lupercis* idem agit *Lib.* 19. *Cap.* 16. *Cincti Horatii* Paulo dicuntur in *L.* 3. *D. Si pars hered. pet.* pugnae accincti. Contentionem innuit cum Curiatiis. Amplissima exstant commentaria ad *d. l.* Virorum in arte nostra praestantissimorum. *Cincios* alii, alii *Quintos*, *Cunctos*, *Quintilios*, quin et *pictos* reponendum statuunt, mirum neminem cogitasse de *coronatos*. Quod si varias variorum conjecturas nosse desideras, adi Heraldum in *Obs. Cap.* 39., Otton. *l. c.*, Conradi *in Parerg. pag.* 549, Bynkersh. *Lib.* 3. *Obs. Cap.* 8., Marckart *in Probab. Lib.* 1. *pag.* 55., Fratrem *in Comment. ad Collat. pag. penult.*, Leoninum, et reliquos. *Trigeminos* etiam vocat Horatios Macrob. *Saturnal. Lib.* 1. *Cap.* 5. *in pr.* Ita de iisdem Ampelius *Cap.* 20., (quod inscribitur: *qui pro salute se obtulerunt*, malo per geminationem: *P.R. pro salute*, hoc est, *populi Romani*) *Horatius trigeminus, qui adversus Curiatios Albanorum qui de summo imperio dimicaverunt.* Corrigo: *Horatii ns*, nostri, puta Romani, *trigemini*, *qui adversus . . . . diu de . . . .* Manilius *Lib.* 1. *v.* 776.

Horatia proles,
Tota acies partus.

Sic exhibent editiones contra codicum plerorumque auctoritatem, qui referunt *partis*, quod praeferam. Horatii trigemini tota acies fuerunt partis suae, Romanorum, a parte Albanorum stantibus Curiatiis.

Eodem modo, quo *vidimus* ait Paulus in loco mox allegato, de eventu rei, quam ipsi per aetatem videre minime licuerat, Plinius etiam *Hist. Nat.* 6. 22. *hactenus*, inquit, *a priscis memorata*: *nobilis* (*nobis* esse rescribendum ambigi non potest) *diligentior notitia Claudii principatu contigit*, hoc est, majoribus nostris.

Discingi vocem quod attinet, constat ignominiae causa cingulo privatos. Narrat Sueton. *in Octaviano Cap.* 24. Imp. Augustum, ut ignominia afficeret, milites ante Praetorium stare interdum jussisse tunicatos discinctosque. *Discinctum* pro homine, moribus dissolutis liberius ac luxuriose vivente, posuit Persius *Sat.* 3. *v.* 31.

Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?

Alte cinctus pro strenuo, *discinctus* pro molli ponitur. v. Turneb. *Adversf.* 15. 23. Macrob. *Saturn.* 2. 3. *male praecinctum* Caesarem dictum a Sylla narrat, rationemque addit nominationis. *Discinctus nepos* Horat. *Epod.* 1. *v. ult.* ubi v. Torrent. Add. eundem ad *Sat.* 1. 2. 73. Optime respondent vocabula nostratium *les*, *on-*

ongebonden. Translata dein denominatio a personis ad res: ita *discingi* dicitur *causa*, quae semel in judicio finita, iteratur, et cum aliter disponitur: quam rectam et veram lectionem optime reddidit Lampridio *in vita Alex. Sev. Cap.* 22. Schulting. *in* Πε. *D. Tit. de Feriis Num. ult.*, add. Noordkerk *Obs. Dec. pag.* 68. Salmasius rescribendum censuit *distingui*, aut, quo modo exaraverunt veteres, *distingi*. Adjungam verba Auctoris, ut quisque judicet, utrum sequi oporteat: *Pontificibus tantum detulit, et Quindecimviris, atque Auguribus, ut quasdam causas sacrorum a se finitas iterari, et aliter discingi pateretur.* Ad *L.* 5. *pr. C. de Feriis*, ubi nonnulli pro *distinguat* reponunt *discingat*, scripsit Marckart in *Interpr. pag.* 55. *Otia, pagina discincta*, quae sint, v. N. Heins. in *Syll. Ep. Vir. Ill. Tom.* 4. *pag.* 344. Martialis *Ep.* 12. 29. *medios discingere lectos* dixit, quo loco temere nonnulli *distringere* ponunt.

Vexat denique Interpretes ultimum legis verbum *contempserint*, pro quo substituendum arbitrantur Cujacius et Jac. Gothofredus, aliique, *praesumpserint.* Licet vero adjuventur ita sentientes Codicis Theodosiani scriptura, haud facile tamen abs me impetrari patiar, ut duram adeo crisin in jure nostro admittendam esse probem, eo in loco, ubi vulgata lectio sat apte potest defendi. Pressius vestigia litterarum insequitur Doctissimus Auctor *Observ. Jur. Civ. pag.* 94., qui mutat *contenderint.* Periculum faciamus, an sine correctionis remedio verba, prouti a Triboniano nobis sunt proposita, interpretationem commodam recipiant. Vulgatissima est, eaque in sermone familiari usitatissima vocis *contemno* significatio, qua adhibetur pro nihili curo, parvi pendo, nullius momenti existimo, leve puto. Cicero *de Finib. Lib.* 3. *Cap.* 8. *quod malum est non curare, contemnere, despicere, pro nihilo putare.* Eleganter Plautus in *Trinummo Act.* 2. *Sc.* 2. *v.* 41.

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant:
Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae.

Verbo rem omnem comprehendo: Sic expono: Quicunque apparitores, seu, uti vocantur alias, officia, ob culpam suam, vel negligentiam, ab honore, sive munere, fuerint remoti per judicis sententiam, post eam non habeant amplius facultatem ullam adspirandi ad militiam quamcunque, sive sit illa civilis, sive militaris honoris dignitas: imo ne quidem ex rescripto Imperatorum iterum aperiatur aditus ullus ad militiam quamlibet istis hominibus, quos aequum est subjici poenae gravissimae, si contemserint, ac leve putarint, adspirare ad militiam ullam, non vereriti sacras constitutiones, nec metuentes poenam ex Principum rescriptis constitutam, quibus talia prohibentur facinora. Innuunt procul dubio legislatores legem Valentiniani Valentis et Gratiani, quae est *Codicis Just.* 2. *tituli de Palatin. sacr. larg.*, et *L.* 2. *ejusdem Cod. de divers. Off. et Appar.*

Ne quem autem moretur locutio *contemnere adspirare*, sciant velim frequentissimam esse enallagen infinitivi pro substantivo: exempla suppeditant Vechner

ner *in Hellen. Lib.* 1. *Cap.* 10., et Arntzen. ad Caton. *Lib.* 3. *Dist.* 24. *v.* 7. Infinitiva duo saepissime conjungi notissimum est. *Locare depugnare* est in *Coll. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 9. §. 2., *dare servare*, *ibid* §. 3., *compellere satisfacere*, *Tit.* 10. §. 4.

II. Pro iis, quae ex Proculi scriptura exstant in libro Pisano, in *L.* 12. *D. de Off. Praef.*: *non tamen spectandum est*, *quid Romae factum est*, *quam quid fieri debeat*, plenius reponendum arbitratur Grotius in Flor. Sparf. *non tam tamen*: in quo vix est, ut adsentiar Viro incomparabili: abstinuisse, imo exosos fuisse optimos quosque scriptores antiquos diphonias istiusmodi novimus, dein quoque *tam* per ellipsin haud ineleganter saepenumero omitti demonstrarunt A. de Rooy *in Conject. Crit. pag.* 89., et J. Arntzenius *ad Plin. Paneg. pag.* 337. Quod si id mavis, *tam* restituere possis pro *tamen*, siquidem voculas illas haud raro inter se confundi ac permutari certum sit, teste eodem Viro Cl. *pag.* 380.

III. *Utra autem utrius materia sit accessio*, inquit Florentinus in *L.* 29. §. 1. *D. de Aur. Arg. leg.*, *visu atque usu rei consuetudinis patrisfamiliar aestimandum est.* Aperto vitio laborare verba, nullus temere dubitet. Sic rescribo, atque explico, *visu* (hoc est, *id ex adspectu vasorum facilius intelligi potest*, uti est in *L.* 32. §. 5. *D. eod.*) *atque usu rei*, (communi scilicet, prouti res ea a vulgo huic illive materiae accensetur) *i.* vel *et consuetudine id patrisfamilias aestimandum est.* *i* pro *id est* positum nemo ignorat. Possis et substituere *usu vel consuetudine*, vel autem pro *id est* poni novum non est. *Si in obscuro sit*, *inspiciendum est*, ait Paulus in *L.* 32. §. 5. *c.*, *in utro numero ea vasa is, qui testamentum fecit, habuerit.*

IV. Javolenus in *L.* 39. §. 1. *D. eod.*: *Cum ita legatum esset*: (aut subintellige, aut adde L, hoc est, *lego*) ARGENTUM, QUOD DOMO MEA ERIT, CUM MORIAR: *Ofilius*, *nec quod depositum a se*, *nec quod commodatum reliquisset*, *argentum legatum videri respondit. Idem Cascellius de commodato. Labeo*, *quod depositum esset*, *ita deberi*, *si praesentis custodiae causa*, *non perpetuae*, *veluti thesauro*, (malim: *velut in thesauro* sc. obtinet) *depositum esset*, *quia illa verba*, QUOD DOMO MEA ERIT, *sic accipi debere:* (subaudi *respondit*, aut rescribe *debent*) *esse solebat. Et hoc probo.* Sunt qui pro *a se* substituendum putant *apud se.* Verba dein transpositionis ope sic collocanda esse existimant: *si perpetuae*, *veluti thesauro*, aut potius *thesauros*, vel *thesaurus*, *non praesentis custodiae causa*, *depositum esset.* Malim interpretari hoc modo: Testator ita dixit: argentum, quod domo mea erit, cum moriar, lego Titio: Quaeritur, num et debeatur argentum illud, quod domi testatoris non quidem fuit, cum moreretur, sed quod ab eo depositum fuerat apud alium, aut alteri commodatum? Deberi putant JCti, si praesentis custodiae causa esset depositum: Ratio est, quia, licet domi testatoris argentum hoc non fuerit tempore mortis, esse tamen solebat. Id autem sensisse testator intelligitur, ut et comprehenderit pecuniam, quae esse solebat. Praesentis autem custodiae causa depono, quae, quasi praesentia mihi mansura, ita alteri servanda commendo, ut mox, cum usus exigit, repetam. Perpetuae vero custodiae causa depo-

pono, quae nunquam volo repetere, aut ad me redire, quae abjeci, ac pro derelicto habui, neque itaque dici possunt ea domi meae esse solere: veluti obtinet in thesauro, quem deposui, Diisque inferis consecravi, ut perpetuo ibi custodiretur, quemque adeo nolo pervenire ad legatarium, sed cedere illi, cui fortuna eum invenire sibique habere concesserit. Alio jure utimur in pecunia foenori destinata: quod si enim legata cui fuerint mobilia, quae domi testatoris erunt, non continentur nummi repositi, ut foenori collocentur. *L.* 79. §. 1. *D. de Legat. III.*

CAPUT DUODECIMUM.

Ad Legem 49. D. de Legat. III. *De* Ornatricibus, *ac* Psecadibus. *Cultura comarum apud Romanos.* Servi peculiares. *Servorum servarumque ornatus. Luxus in mancipiis.* Fortassis, *pro verbi gratia.* Joannes Sarisberiensis *exponitur.* Alumnus *quis? Ad* L. 16. §. 1. D. de his, quae ut indign.

IN eo occupata est Ulpiani opera in *L.* 45. *D. de Legat. III.*, ut exponat, quid praestandum sit, si quis legavit, quae *uxoris causa parata* sunt. Eandem materiam prosequitur in *L.* 47.: denique ita pergit in *L.* 49. *eod.*: *Item legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui solam matremfamilias portabant, item jumenta, vel lectica, vel sella, vel burdones, item mancipia alia, puellae fortassis, quas sibi comatas mulieres exornant.* Obscuriora visa sunt Interpretibus verba postrema: *puellae fortassis,* .... Non fert animus, neque patitur instituti nostri ratio, ut singulas Virorum Doctorum opiniones ordine recenseamus. Qui curiosior eas scire desiderat, consulat is Ampl. Bynkershoeck. in *Obs. Lib.* 5. *Cap.* 19. et Eruditissimum D. W. Trillerum in *Obs. Crit. Lib.* 4. *Cap.* 15. *pag.* 396. Adde Paulum Dumay *in Sylloge Epistolarum Ill. Vir., a Celeb. Burmanno editarum, Tom.* 2. *pag.* 367., aliosque ibidem allegatos. Plerique omnes locum corruptum emendatione adjuvandum arbitrantur, intelligendas autem hic *puellas* existimant, quae comas matronarum exornare olim fuerunt solitae apud Romanos, quales *Ornatrices*, ac *Psecades* appellabantur, quarum mentio frequentissima est in monumentis veterum. Multa de Psecade habet Reinesius, et Fabrettus *in Inscript. pag.* 714. *litt. D. E. sq.* De Ornatricibus, ac Psecadibus congesserunt plurima Commentatores ad *Petron. Sat. Cap.* 128. Macrobius *Saturn. Lib.* 2. *Cap.* 5.

Cap. 5. Ornatrices memorat, canos Juliae eximentes. Ipso, quo Ulpianus eas insignivit, *puellarum* nomine illas vocat Juvenalis *Sat.* 6. *v.* 494. Comendo capiti, ac praecipue capillis matronarum adhibitas fuisse, quin et ipsas Deas ornatrices suas habuisse, denique morem ornandi capillos Romae solemnem exstitisse ostendit Pater meus in *Rescript. Boxhorn. de Cat. pag.* 495. *sq.* Psecades hae ancillae si quid peccassent,

taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusque capilli,

uti ceninit Satyricus *l. c. v.* 492. *Taurea* vocabulum designat scuticam, ex corio taurino factam, *boves mortuos* appellat Comicorum pater, *qui vivos homines incursant*, ceu pluribus exposuit Paganinus Gaudentius *in Thes. Jur. Otton. Tom.* 3. *pag.* 400.

Unus, quantum equidem scio, Ampl. Otto in *Jurispr. Symbol. Exerc.* 2. *Cap.* 4. *pag.* 155. retinendam arbitratur scripturam vulgatam, Codicis Florentini auctoritate suffultam, accipiendasque censet, ornatrices, quas matronae alere sibi consueverunt, comatasque exornare: quae explicatio, uti simplicior, ita magis se videtur commendare, modo constet, quod, si vera volumus fateri, non admodum sit probabile, Psecades illas ab ipsis matronis ornari comatas moris fuisse. Ita Juvenalis *v.* 490.

Componit crinem, laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.

Malim ego *puellas* hic intelligere servas eas, quae custodes quasi puellarum, cum quibus in lanificio una erant semper, curam gerebant, comitesque ubique aderant. Feminas namque olim, saltem virgines, aediculis suis, seu thalamis, ita fuisse conclusas, ut solis sine comitatu nutricis pedem efferre foras vix iis licuerit, abunde constat. Statius in *Achilleide*, *raram* vocat hanc *licentiam Lib.* 1. *v.* 285.

Palladi Littoreae celebrabat Scyros honorum
Forte diem, placidoque satae Lycomede sorores
Luce sacra patriis (quae rara licentia,) muris
Exierant.

Palladi dativus Graeco more corripitur, vid. Priscian. *Lib.* 7. *pag.* 756. Addo Claudianum *Lib.* 2. *in Eutropium:*

Qualis pauperibus nutrix invisa puellis
Adsidet, et tela communem quaerere victum
Rauca monet: festis illae lusisse diebus
Orant, et positis aequaevas visere pensis,

Ira-

Irataeque operi, jam lapso pollice, fila
Turbant, et teneros detergunt stamine fletus.

Assas nutrices eas dictas Nonius observat *Cap.* I., propterea, *quod adsint iis, quos nutriant, nec vel exiguo divellantur.* Ancillae, servique tales *peculiares* plerumque appellari solent, quasi qui proprii sunt, atque in peculio filiorum filiarumque. Plautus *in Captiv. in Prologo:*

Hic postquam hunc emit, dedit eum gnato suo
Peculiarem, quia quasi una aetas erat.

Idem *ibid. Act.* 5. *Sc.* 3.:

nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvulum puero dedit.

Elegans prae caeteris est hanc in rem ejusdem Poëtae locus in *Mercatore Act.* 3. *Sc.* I.

Ovem, etiam tibi ancillam dabo, natam annos sexaginta,
Peculiarem. PA. Mi senex, tam vetulam? LY. *Generis Graeci est,*
Eam si curabis, perbona est, tondetur nimium scite.

Utrumque, ni fallor, ex Comici dictis fit manifestum: mulieres proprias sibi habuisse servulas, tum deinde id operam dedisse, ut optime eae essent ornatae comataeque. Puellas ejusmodi sibi deligere solebant feminae ad decus et ornamentum. Tales, credo, innuit Virgil. *Aen.* XI. *v.* 655.

At circum lectae comites, Lavinaque virgo,
Tullaque, et aeratam quatiens Tarpeja securem,
Italides, quas ipsa decus sibi Dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.

Servius *decus* interpretatur *ornamentum, id est, quas sibi elegit ornamentum, id est, ad ornamentum.* Neque enim ancillas aluisse tantummodo mulieres Romanas sciendum est, ut domesticas operas eae praestarent, sed et plurimas habuisse, ac varii generis servas, quae foras egressuras matronas comitarentur, quasque unice secum ducebant mulieres, superbum genus, atque ambitionis plenum, ad pompam atque ostentationem; quarum numero accensendae ancillae ex Aethiopia, quas in primis in deliciis sibi habebant mulierculae. Phaedria apud Terent. *in Eunuch. Act.* I. *Sc.* 2. *v.* 85.:

Nonne

Nonne ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quaesivi?

Add. *Act.* 9. *Sc.* 2. *v.* 18. De flabelliferis, umbelliferis, et quae sunt ejus generis aliae, consule Pignor. *de Servis pag.* 422. *sq.* Has autem comites suas matronas Romanas, luxui admodum deditas, bellissime ornasse, quis dubitet? Narrat Thais apud Comicum *in Eun. Act.* 1. *Sc.* 2.:

Matri parvulam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. . . . .
Mater ubi accepit, coepit studiose omnia
Docere, educare ita ut si esset filia.
Sororem plerique esse credebant meam.

Apposite Idem Poëta *in Heaut. Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 5.:

Adeo impeditae sunt: ancillarum gregem
Ducunt secum.
Portant quid rerum?
Aurum, vestem.

Ad quem locum ex Ammiano Marcell. demonstrat Lindenbrog., conspici solitas matronas, *agmina familiarum, tanquam praedatorios globos, post terga trahentes.* Clitipho in *Heaut. Act.* 2. *Sc.* 3. *v.* 54. *sq.* veluti rarum quoddam miratur ancillam amicae *pannis obsitam, neglectam, immunda illuvie.* Huc pertinet, quod adnotavit Summus Casaubonus ad Sueton. *in Aug. Cap.* 83., non viris modo morem fuisse olim conquirere undique pueros minutos, dicaces, procacesque, imo vel ex Mauritania, Syria, atque Alexandria tales petitos fuisse, quos *delicias*, et *delicium* vocare consueverunt, vid. Arnob. *Lib.* 4. *pag.* 134., ibique commentaria, sed et nobilissimas quasque matronas otium suum iis oblectari fuisse solitas. Servulos ejusmodi auro gemmisque pretiosissimis ornatos, ac delicatissimo cuique Romanorum esse oblectamento scribit Herodianus *Lib.* 1. *Cap.* 17. Causam autem non video, ut hoc obiter observem, quamobrem de solis masculis Historici dicta accipienda esse arbitremur, siquidem notissimum est τὸ παιδίον, vocem ibidem usurpatam, utrumque sexum designare. Add. Lips. ad Senec. *de Const. Sap. Cap.* 11. Jo. Sarisber. *de Nug. Cur. Lib.* 8. *Cap.* 11. *Multa esse, quae matronarum usibus necessaria sint: pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumtus, ancillae . . . honoranda nutrix ejus* uxoris, *et gerula*, intelligo, quae parvulam ulnis gestare solebat; *servus paternus, et alumnus, et formosus assecla, et procurator calamistratus.* Corn. Fronto, *assecla*, inquit, *sequitur potentiorem.* Nonius inde dictum scribit, *quod adsit, et omnibus jussis dominorum praesto sit.*

Pro parasito vocem accepisse videtur Isidorus *Lib.* 10., qui interpretatur dictum, *eo, quod sequatur aliquem lucri causa.* Procuratorem Plautus appellat *condum, promum, procuratorem peni.* Confer Hieron. *ad Furiam*, et *Lib.* 1. *Adverf. Jovian.* Denique *alumnus* ponitur pro nutritore servo, an forte collactaneo? Caeterum utrumque significat, et qui alit, et qui educatur, testibus Isidoro, et Servio locis plurimis. Coccejus Cassianus, vir ordinis Senatorii, Rufinam, ingenuam mulierem, honore pleno dilexerat: ejus *filiam, quam* (malo *quod eam*) *alumnam testamento Cassianus, nepti coheredem datam, appellaverat, vulgo quaesitam adparuit:* sic exstat in famosissima *L.* 16. §. 1. *D. de his, quae ut indign.* Concubina sit an uxor, ex sola animi destinatione aestimatum novimus ex *L.* 4. *D. de Concub.* Concubina igitur ab uxore solo dilectu separatur, Paul. *Sent.* 2. 20. 1. Exinde itaque judicatum, non ex justis nuptiis procreatam Rufinae filiam, quae Rufina alioqui vivo, Cassiano, uxor ejus habita fuerat, quod non *filiam*, sed *alumnam* eam vocaverat in testamento: neque vero naturalis filia videri poterat, hoc est, ex concubina Cassiani nata, propter eandem rationem, et quia de eo non fuerat testatus. Vid. *Lex* 3. *pr. D. de Concub.* Spuriam itaque esse eam adparuit, quam Cassianus aluit. Aliter exponunt Cujacius, Faber, Goesius *ad Suet. in Aug. Cap* 24. Heinecc. *ad L. Jul. et Pap. pag.* 109. Langebek. et Perrenon. *in Thes. Otton. Tom.* 1. *pag.* 569., *et pag.* 655., aliique ab iis citati. Dicendum restat de initialibus dicti §.: *Quoniam stuprum in ea contrahi non placuit, quae se non patroni concubinam esse patitur, ejus, qui concubinam habuit, quod testamento relictum est, actio non denegabitur.* Solae eae in concubinatu haberi possunt sine metu criminis, poenaeve ex lege Julia, in quas stuprum non committitur. *L.* 1. §. 1. *D. de Concub.* Quomodo vero stuprum contrahatur in ea, quae concubinatum detrectat? Repono, *se modo patroni.* Perplexa JCti oratio obscuritatem, credo, et scripturae vitium peperit. Sic interpretor: Siquidem stuprum non committitur a patrono in liberta, quae se concubinam ei esse, non justam uxorem passa est, ob id, quia concubinatus per leges nomen assumsit, ideoque extra legis poenam est, *L.* 3. §. 1. *D. de Concub.*, actio non denegabitur ad petendum id, quod relictum est testamento ejus, qui concubinam habuit libertam suam. Novae nuptae muneri dabatur ancilla, puellaeque ornatae. Ausonius *in Cent. Nupt.*

Olli serva datur, geminique sub ubere nati,
Quattuor hic juvenes, totidem innuptaeque puellae:
Omnibus in morem tonsa coma, pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Ad ornatas ancillas respexisse quoque videtur Scaevola *in L.* 13. *D. de Auro Arg. . . . leg. Idem quaesivit, an ex eadem clausula vestis, quam ancillis, vel lecticariis ejusdem uxoris suae comparaverat, vel fecerat, praestanda esset.* Eleganter Seneca *Epist* 110.: *Hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges, hinc feminarum . . . . cohors multa servorum, lectica formosis imposita calonibus.* Hie-

Hieronymus *Lib. 2. in Epistol. Select. Epist. 9.: Dolet sibi praelatum juvenem, non quidem comatum, non vestium sericarum etc.* Caeterum quae fuerint ornamenta muliebria, quibus instrui atque concinnari solebant feminae, narrat Ulpianus in *L.* 25 §. 10. *D. d. tit.* Confer Senec. *de Benef. Lib.* 7. *Cap.* 9. Adde Bynkersh. *Lib.* 5. *Obs. Cap.* 17.

Quod autem de *comatis* addit JCtus, constat abunde crispatos, calamistratosque maxime honoratos, atque in deliciis fuisse Romae, talesque ab mulieribus comites adscitos, vid. Pignor. *pag.* 427. Criniti ministrabant famuli honestioris ordinis. Claudianus *de bello Gildon.*

Ut vino calefacta Venus, tunc saevior ardet
Luxuries, mixtis redolent unguenta coronis,
Crinitos inter famulos, pubemque canoram.

Seneca *in Epist* 95.: *Transeo agmina exoletorum, per nationes coloresque descripta, ut eadem sit species capillorum, ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur.* Add. Lips. *ad Epist.* 47., et *de Brevit. Vit. Cap.* 12. Insolentiores ac lasciviores comas aluisse Romae, observavit Des. Heraldus *in Advers. Lib.* 2. *Cap.* 16. Praecipua fuit puellarum cura, quarum pars magna pulchritudinis censebatur coma longa,

totos in fluctum ponere crines,
Et vinclis revocare comas, et vertice denso
Fingere, et appositis caput emutare capillis.

uti de mulieribus comatis cecinit Manilius. *Comatas* etiam accipere possis, coma longa ornatas. *Comata sylva* phaselus dicitur Catullo *Carm.* 4. 1., hoc est, arbores comis, seu frondibus multis tectae ac repletae. Comae proprie sunt capilli non caesi, vide Serv. *ad Virgil. Aen.* 5. *v.* 556. Comam longam in deliciis Romae fuisse novimus. Insigne exinde sibi, familiaeque suae nomen comparavit Cincinnatus. Sueton. *in Calig. Cap.* 35.: *Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem, Cincinnato crinem.* Pulchros, comatosque conjungit Idem *ibidem*, turpesque contra, ac deformes habitos fuisse indicat, quibus, comis destitutis, calvum erat occipitium: quae causa impulit nonnullos, ut capillamento se celarent, vid. Turneb. *ad Suet. in Cal. Cap.* 11. Calvi scilicet galericulum adoptabant, comamque adscititiam, vid. Pater *in Dissertat. Aviano subjecta, Cap.* 20., et *in notis ad Fab.* 10., adde Casaub. *ad Suet. in Othone Cap.* 12. De meretricibus, quae adulterinis comis usae crines ex Germania petere consueverant, vid. Dempster. *in Antiquit. Rom. Lib.* 5. *pag.* 617. Ornatus causa servi saepissime criniti, capillati, comatique ministrasse memorantur. Consule Pignor. *pag.* 58. Jo. Sarisberiensis *de Nug. Curial. Lib.* 3. *Cap* 18.: *Recumbentis pedes calamistratus comatulus excipit.* Eodem respicit Hieronymus *l. c.: Sin autem sola ieris, utique inter servos adolescentes, inter lascivas puellas, et comatos*

tos linteatosque juvenes. Idem *Epist.* 18.: *Polire faciem purpurisso, et cerussa, ora depingere, ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere, ut taceam de inaurium pretiis. . . . . Fuge lasciviam puellarum, quae ornant capita, crines a fronte dimittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis . . . . cincinnatulos pueros, et calamistratos, et peregrini muris olentes pelliculas.* Tam longam alebant comam mulieres, ut tomenta aliquando rebus angustis confecta exinde fuisse, memoriae tradatur, v. Rycquius *de Capitolio pag.* 480 *sq* Lacedaemone quoque libertatis aut ingenuitatis habebatur indicium, comam alere: rationem reddit Aristot. *Rhetor. Lib.* 1. Id in primis studuisse mulierculas, ut crines bene comtae procederent, constat ex iis, quae narrat Pignor. *pag.* 395. *sq.* Plautus in *Mil. Glor. Act.* 3. *Sc.* 1. *v.* 193.

Utique eam huc ornatam adducas, matronarum modo:
Capite compto: crines, vittasque habeat.

Vittis namque redimire moris fuit crines honestissimarum, v. Serv. *ad Virg. Aen.* 7. *v.* 403. Ovid. *de Art. Am. Lib.* 1. *v.* 31. Confer Brisson. *in Select. Antiq. Lib.* 1. *Cap.* 4. Poëta nescio quis in carmine de medicamine faciei, quod Nasoni a nonnullis tribuitur:

Vultis odoratos positu variare capillos.
. . . . . . Rure latent, finguntque comas.

Plura de cultura comarum, itemque de cinerariis, et ciniflonibus, ministrorum genere, dabit Cl. Jo. Arntzenius *in Dissertatione de colore comarum.*

Dicendum restat de voce *fortassis.* Dubiumne haesisse dicamus Ulpianum, cujus summam juris doctrinam merito admirata est antiquitas, num iis, quae uxoris causa parata sunt, servulae quoque contineantur, imo vero num mancipiorum nomine ancillae etiam comprehendantur? Certa est atque indubitata juris regula: servis legatis ancillas item deberi, v. *L.* 62., *et* 81. *D. de Legat. III.*, adde Paulum *Sent. Lib.* 3. *Tit.* 6. §. 69. An forte tribuendum hoc arbitrabimur modestiae JCtorum veterum, qui de re, licet vulgatissima, ac certa consulti, non imperiose tamen, aut severe respondere fuerunt soliti, verum vel in illis rebus, ubi non dubiam causam proposuerunt, ita tamen sententiam suam exponere consueverunt, ut dubitasse eos existimes: id quod prae caeteris quam clarissime elucescit ex peculiari, familiari, ac quasi proprio eorum vocabulo *videtur*, similibusque? Malim equidem ita intelligere, ut asserendi potius, atque affirmandi sensu hoc loco accipiamus voculam *fortassis*, pro *exempli gratia*, *veluti*, qua notione verbum in jure haud raro usurpari ostenderunt Brisson. *in Lex. V. forte*, et Strauchius in *Lex Partic. Juris.*

CAPUT

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

I. *Corrigitur* L. 65. §. 6. D. de Condict. Indeb. II. L. 135. D. de Verb. Sign. III. L. 35. §. ult. D. de Verb. Oblig. IV. L. 3. D. Si pars her. pet. V. L. 14. §. 2. D. Ad SCtum Trebell. VI. *Defenditur lectio* L. 29. §. 2. D. Pro Socio. *Exponitur* Isidorus. *Tentatur* Seneca. VII. *Emendatur* L. 2. §. 1. D. Pro Emtore, *et* VIII. L. 3. D. Pro Suo. IX. *Vindicatur* L. 8. pr. D. de Procurat. X. *Restituitur* L. 32. §. 1. D. de Adquir. vel omitt. her. XI. L. 19. §. 2. D. de Judic. XII. L. 69. D. Pro Socio. XIII. *Exponitur* L. 1. §. 3. D. Ad Leg. Cornel. de Sicar. XIV. *Ad* L. 2. D. de diverf. temp. praefcript. *Explicatur locus* Ciceronis. XV. *Emendatur* L. 57. D. de Judic. XVI. *Corrigitur, et exponitur* L. 68. §. 3. et 4. D. de Legat. I., *eademque conciliatur cum* L. 65. §. 2. D. de Legat. II. XVII. *Tentatur* L. 29. §. 3. D. Ad Leg. Aquil. *Significatio* naviae. *Explicatur* Festus. *Restituitur* Isidorus. XVIII. *Ad* L. 1. §. 1. D. de bonor. possess. sec. tab.

I. IN *frumento indebito soluto et bonitas est, et, si consumsit frumentum, pretium repetet*, secundum Paulum in *L. 65. §. 6. D. de Condict. Indeb.*. Alii Codices exhibent: *bonitas est repetenda*, sensu meliore. Lectionem corruptam audacius ita corrigit Catharinus in *in Thes. Meerm. Tom. 6. pag, 786.*: *non bonitas, si consumtum sit, sed frumenti pretium repetetur.* Leviore, puto, crisi restitues, si non veram, at commodam saltem lectionem hoc modo: *in frumento indebito soluto et bonitas est*, (supple ex sequentibus *repetenda*) *at, si consumptum sit frumentum, pretium repetendum.* In mutuo reddendam esse rem ejusdem generis, ejusdemque bonitatis, manifestum est ex *L. 3. D. de Reb. Cred.*, quod si autem indebite quid fuerit solutum, sequi in his oportere jus mutui constat ex §. 1. *Inst. quib. mod. re contr. obl.*, indebite itaque soluto frumento, repeti potest ejusdem bonitatis frumentum: fac ergo, frumentum datum deterius factum fuisse: restituendum est aliud ejusdem generis, ejusdemque bonitatis: at si jam consumpsit is, cui indebite solutum est, frumentum, repetendum hoc casu est pretium, hoc est, tantum, quanti illud aestimatur.

II.

II. *Quaeret aliquis, si portentosum, vel monstrosum, vel debile mulier ediderit, vel qualem, visu, vel vagitu novum, non humanae figurae, sed alterius magis animalis, quam hominis partum, an, quia enixa est, prodesse ei debeat.* Desumtum fragmentum ex libris Ulpiani, quos ad legem Juliam et Papiam scripsit, exstat in *L.* 135. *D. de Verb. Sign.* Proficit partus monstrosus ex lege Papia matri, ad id, ut jus liberorum consecuta ea videatur, ex SCto Tertulliano contra talis non prodest: diversitatis rationem tradiderunt Commentatores ad Pauli *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 9. §. 3. Verba legis propositae quod attinet, Triboniani emblema temere incusat Catharinus *l. c. pag.* 786., emendationemque offert ab Alciato jam ante memoratam, neutiquam probabilem, substituens *inaequalem visu.* Rectius Stewechius ad Veget. *de Re Milit. Lib.* 2. *Cap.* 4. geminandum censet: *qualem qualem*, quem proxime secutus corrigo: *quale quale m*, hoc est, *quale quale monstrum*, quod *novum* est *visu, vel vagitu*, speciem repraesentans antea non visam, vel vagitum edens, sonitumve inauditum. Quaerit autem, num prosit, *quia enixa est*, id est, partum edidit quidem, sed non humanum. *Debile* est, in quo pars aliqua desideratur, ita *debilitatus* est in Coll. Leg. Mos. et Rom. *Tit.* 11. § *ult.*

III. In contractibus, qui solo consensu constant, non aeque anxie observantur verba solennia, atque in stipulationibus, quae stricto jure censentur. Hoc, credo, innuit Paulus in *L.* 35. §. *ult. D. de Verb. Obl.*: *Si in locando, conducendo, vendendo, emendo, ad interrogationem quis non responderit, si tamen consentitur in id*, (praestet forte *idem*) *quod responsum est valet, quod quia* (rescribendum puto *quidem*) *hi contractus non tam verbis, quam consensu confirmantur.* Interpretor: licet quis ita stipulanti Maevio: *fundum tuum Cornelianum locas mihi ea lege?* non quidem solennibus verbis responderit: *loco*, si tamen probari possit, consensisse utrumque in idem, propositam puta locationem, valet id, quod responsum est, veluti si dixerit: *jure locationis fundo meo utere.* Sic malo, quam cum nonnullis negationem obtrudere, aut verba transponere. Aliorum conjecturas exhibet Bynkershoeck in *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 5.

IV. Varie tentantur haec Pauli in *L.* 3. *D. Si pars her. pet.* *Ubi autem eodem gradu sunt caeteri, quo et venter, tunc quae portio in suspenso esse debeat, quaesierunt: ideo quia non poterant scire, quot nasci possunt:* IDEO *nam multa de hujusmodi re tam varia et incredibilia creduntur, ut fabulis adnumerentur.* Offendit merito Interpretes postremum *ideo:* aliis quid placuerit, videre est apud Bynkersh. *l. c. Cap.* 8., qui ipse sic substituit: *adeo namque*, vel *nam adeo.* Quid, si levissima mutatione sic reponamus? *quot nasci possunt Titio: nam.... Titium* scimus poni pro aliquo, quisquis ille sit. Geminatione ejusmodi, litterarumque D et T, itemque E et I confusione nihil fere est in jure frequentius. *Creduntur* verbum facile tolerari posse existimo. Vulgus credit varie, alio aliter referente: exemplo sit historia de muliere quadam, quam, nonnulli tradiderunt Peloponnesi, quinos quater fuisse enixam, alii, quinquies quaternos eandem peperisse, narrant.

V. *Qui repudiavit hereditatem, cogetur adire, et restituere ipsam hereditatem, si*

si justae causae allegentur, inquit Hermogenianus in *L.* 14. §. 1. *D. ad SCt. Trebell.*: Idem dein in §. 2. sic pergit: *Plane, si bona venierint, non oportet* PRAECEPTOREM, *ne quidem pupillum, restituere, nisi ex causa, ut Divus Pius rescripsit.* Codices plurimi exhibent *Praetorem*, corrigunt nonnulli *per Praetorem*, vide Bynkershoeck. *in Obs. Lib.* 6. *Cap.* 21., qui mavult *receptorem*, restitutionem autem intelligit in integrum. Me quidem judice, ita non male rescribas: *oportet praecipere Praetorem, rem, ne quidem pupillarem, restituere. Praecipere* interpretor cogere, jubere, imperare, quam notionem in jure vulgatissimam esse, vel lexica manifestant.

VI. *Et nos consentimus*, (ait Ulpianus in *L.* 29. §. 2. *D. Pro Socio*,) *talem societatem nullam esse, ut alter lucrum sentiret, alter vero nullum lucrum, sed damnum sentiret: iniquissimum enim genus societatis est, ex qua quis damnum, non etiam lucrum* SPECTET. Transpositis verbis, ita legendum censet Schroder. in *Obs. Lib.* 3. *Cap.* 6.: *lucrum non etiam damnum.* Fefellisse videtur Virum Cl. vocis *spectare* significatio, satis alioquin nota, qua pro *exspectare* ponitur, quam alibi demonstravi. Aequitati contrariari indicat JCtus, ita iniri societatem, ut ad alterum solum lucrum, ad alterum socium damnum omne solum perveniat. *Spectet* expono, exspectare possit. *Exspectare* et *spectare* vocabula saepissime inter se permutantur. Isidorus *Lib.* 15. *Cap.* 3., ex Gothofredi editione: *Moenianus, collega Crassi, in foro projecit materias, ut essent loca, in quibus spectantes insisterent, quae ex nomine ejus Moeniana appellata est: haec et solaria, quia patent soli. Posthaec alii lapide, alii materia aedificare porticibus moeniana, et foribus et domibus adjecerunt.* In aliis editionibus sic exhibetur: *exspectantes insisterent .... appellata sunt .... aedificavere porticibus.* Casaub. *ad Suet. in Ner. Cap.* 16. in hunc modum reponit: *Moenius, collega Crassi, in foro projecit materias, ... appellata. Haec .... aedificavere super porticibus moeniana, et ....* Quid si ita exponamus: aedificavere in porticibus moeniana, et foribus et domibus ea adjecerunt? Festus *Maenium* appellat auctorem projecti, alii aliunde vocis originem deducunt. Isidori Codex Groninganus ea, quae in Gothofredi editione praemittuntur, *moeniana dicta sunt, quod maneamus*, non adgnoscit, pro *spectantes* dat *exspectantes*. Denique sic refert: *appellata sunt, hoc est solaria.* Pro *exspectare* poni verbum simplex docuit Vonck in *Obs. Misc. Cap.* 15. Seneca *in Epist.* 122. *non videntur tibi*, inquit, *contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? non vivunt contra naturam, qui exspectant, ut pueritia splendeat tempore alieno?* Libri nonnulli habent *spectant.* Est, qui legit *expetunt.* Torrentius *ad Horat. Sat.* 1. 2. 101. ex codice MS. substituit *satagunt*, quam interpretationem esse putem e margine in textum desumtam. Malim *haec spectant.* Servius ad haec Virgilii *Aeneid.* 6. *vers.* 685.

Tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas.

 ex-

exspectata exponit *spectata*, *probata*. Simplicia pro compositis, composita item pro simplicibus saepissime adhibuisse veteres, constat. Consule Sciopp. *in Verosim. Lib.* 3. *Cap.* 4.

VII. Optime exposuit Vir Ampliss. F. Rygerbos in *Obs. Cap.* 14. Pauli haec in *L.* 2. §. 1. *D. pro Emtore: Separata est causa possessionis et usucapionis: nam vere dicitur quis emisse, sed mala fide: quem ad modum qui sciens alienam rem emit, pro emtore possidet, licet usu non capiat.* Haloanori emendationem, utpote audaciorem, rejiciendam esse, substituentis: *emisso, licet mala fide*, nullus temere dubitet: pro *sed* reponendum esse *et* existimat Rygerbos. Malim *si et: Si* pro *quamvis, etiamsi*, a JCtis usurpari frequentissime, probant exempla allegata in lexico Brissonii.

VIII. In *L.* 3. *D. Pro suo*, (qua de tractat Idem Rygerbos *pag.* 109) *Hominem, quem ex stipulatione te mihi debere falso existimabas, tradidisti mihi: si scissem mihi nihil debere*, (forte scriptum *debere te*) *usu eum non capiam: quia si nescio, verius est, ut usucapiam*, exaratum fuisse puto: *quod si nescio.*

IX Nihil mutandum esse censeo in his Ulpiani in *L.* 8. *pr. D. de Procurat*: *Sed et filiafamilias poterit dare procuratorem ad injuriarum actionem: nam quod ad dotis exactionem* attinet, si *eum patre dat procuratorem, supervacuum esse* illud *Valerius Severus scribit, cum sufficiat, patrem dare ex filiae voluntate.* Hoc modo si exponas, tuto, credo, carebis Haloandri correctione neutiquam probabili, reponentis: *nam et ad dotis exactionem cum patre dari procuratorem.* Levior est, adeoque rectior emendatio Viri Ampl. *pag.* 111. rescribentis *det.*

X. Leviter emendanda videntur ejusdem Ulpiani verba in *L.* 32. §. 1. *D. de adquir. vel omitt. hered.*: *Sed et, si scit se heredem institutum, sed utrum pure, an sub conditione, ignoret, non poterit adire hereditatem, licet pure institutus sit, et* (corrigo *nec*) *sub conditione* institutus adire poterit, *licet paruerit conditioni.* Legunt alii *vel* pro *et*, alii *et si sub conditione.* Vide Best. *pag.* 177. Nisi malis exponere: etiam sub conditione institutus adire non poterit.

XI. Ita Ulpianus in *L.* 19. §. 2. *D. de Judic.*: *Ubi sic venit, ut confestim discedat, quasi a viatore* EMTIS, *vel eo, qui transvebebatur, vel eo, qui* παραπλεῖ, *id est, praeternavigat, emit.* Haloander τὸ *emtis* omisit. Rectius Heineccius in *Praefatione praemissa Observat. Bynkersh.* substituit *eunte:* ne quid pereat litterularum, malim *eunte s*, hoc est, *eunte scilicet*, secundum Valerium Probum.

XII. Haud temere profecto crucibus JCtorum accenset Cel. Eckius *in Differt. de* 7. *damnatis legibus Pandectarum Cap.* 5. Ulpiani verba in *L.* 69. *D. Pro Socio*: *Cum societas ad emendum coiretur, et conveniret, ut unus reliquis* NUNDINAS, *id est, epulas, praestaret, eosque a negotio dimitteret, si eas eis non solverit, et pro socio, et ex vendito cum eo agendum est.* In explicando, emendandove hoc fragmento laborem multum collocarunt quotquot fere artem nostram tractarunt Viri juris consultissimi. Summus Cujacius nullam sibi, ab illo inde tempore, quo juri operam dedit, hac lege difficiliorem visam fuisse, nullam se diutius torsisse, fateri non erubuit. Huic aliisque quid placuerit

cuerit cognoſcere licet ex Toullieu *In Collect. Diſſ.* 1. *Cap.* 2., Herald. *in Obſ. et Emend. Cap.* 3., Forner. *Rer. Quot. Lib.* 3. *Cap.* 28., Ottone *in Praef. Theſ. Jur. Tom.* 2. *pag.* 15., adde Freher. *ibid. Tom.* 1. *pag.* 946. Sequuntur plerique ſententiam, quam propoſuit Doctiſſ. Eckius *l. c.*, cujus explicationi et ego adquieſcerem, niſi moraretur vox *nundinas*, quam eo, quem vult Vir Egregius, ſenſu, pro nundinariis epulis ſcilicet, poſitam fuiſſe veteribus vehementer dubito, neque quidquam ad demonſtrandum hoc thema faciunt, quae protulerunt Interpretes. Verbo dico: reponendum videri *συνδειπνα*, aut, ſi id mavis, *συνδειπνας*, quod vocabulum *convivium*, *epulas* denotat. Solitos fuiſſe Prudentes in Reſponſis ſuis adhibere verba Graeca, iisdemque ſubjungere mox interpretationem Latinam, non ignorant, niſi qui leges nunquam inſpexerunt.

XIII. Ellipſi frequentiſſima ac vulgari vindicabis facile lectionem antiquam in his Marciani in *L.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de Sic. et Ven.: Si clavi percuſſit, aut cucuma in rixa, quamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam ejus, qui in rixa cauſa* (malo *caſu*) *magis, quam voluntate homicidium admiſit.* Vim adhibent plurimi, vocem *tamen* ejicientes, aut verba transponentes. Conſule Schulting. *ad Coll. Leg. Moſ. et Rom. Tit.* 1. §. 6. *num.* 26. Subintelligo *ſi* ante *tamen*, atque hoc modo ſenſum optime conſtare arbitror. Uti *cauſa* et *caſus*, ita quoque *cauſarius* et *caſuarius* permutantur. Vid. Commentatores ad Spartianum *in Adrian. Cap.* 10. *in pr.*

XIV. Dubito, an ellipſeos aeque vulgaris ratione explicari poſſit *L.* 2. *D. de diverſ. tempor. praeſcr.* Ita Marcellus: *actionibus, quae certo tempore finiuntur, ut Aedilitiae pleraeque actiones.* Hoc vult JCtus: Aedilitiae, et caeterae pleraeque actiones Praetoriae. Poſſis exponere: *Aedilitiae et pleraeque actiones:* quo modo Cicero *ad Attic. Lib.* 14. *Ep.* 16. *villicosque, procuratores*, quo loco temere Pignorius *de Servis pag.* 545. interſerit *et*. Praeferam tamen *Aedilitiae ac pleraeque al.* (hoc eſt, *aliae*) *actiones.* Confer Bynkershoeck. *Obſ.* 4. 8., qui emendat *peraeque.*

XV. Geminationis remedio ſanandam puto ſcripturam vitioſam *L.* 57. *D. de Judic.* Sic exhibet liber Florentinus: *Certe ſi quaſi procurator alicujus filiusfamilias judicium acceperit, mortuo eo, in eum, quem defenderit,* TRANSACTIO, *vel judicati datur.* Aliorum codicum lectiones, ſuamque, ac varias Eruditorum conjecturas protulit Bynkershoeck. *Obſ.* 2. 22. Ulpianum dediſſe credo: *tranſacti actio, vel judicati datur:* eſt autem actio tranſacti, et judicati, quae datur ex tranſactione, vel ſententia.

XVI. Sempronius in teſtamento ſuo ita ſcripſit: *Stichum ſervum meum do lego Titio*, mox addit, aut, interjectis aliis, in ima cera juſſit: *Stichus poſt mortem Titii liber eſto.* Adita hereditate ſervum accipit Titius, Stichus poſt mortem Titii libertatem conſequitur. Sic reſpondit Papinianus in *L.* 65. §. 2. *D. de Legat. II. Titio Stichus legatus poſt mortem Titii libertatem accepit: et legatum, adita hereditate, et libertas poſt mortem Titii competit.* Recte ſenſiſſe Papinianum demonſtrat juris certi ratio. Contra tamen exiſtimaſſe

dicas Cajum et Julianum, JCtos praestantissimos, in *L.* 68 § 3. *et* §. 4. *D. de Legat* I°.: *Quod si idem pure legatus sit, et ex die liber esse jussus erit, omnimodo inutile legatum est: quia diem venturam certum est: ita Julianus quoque sensit. Unde ait: si servus Titio legatus sit, et idem post mortem Titii liber esse jussus fuerit, inutile legatum est: quia moriturum Titium certum est.* Aliis quid visum fuerit, v. apud Celeb. Rucker. in *Interpr. Lib.* 2. *Cap* 4., et Doctiss. Putman. *in Interp. Cap.* 21. Corruptam esse Caji scripturam, mihi quidem dubium non est. Contrariam Papiniani sententiae opinionem fovisse Cajum, qui Julianum secutus est, in re certa, in argumento juris non dubio, salva existimatione virorum sapientium statui non posse videtur. Cajum saltem cum Papiniano fecisse apparet ex *L.* 68. *c.* §. 2. *Si pure legatus servus sub conditione liber esse jussus fuerit, sub contraria conditione valet legatum.* Mala *et sub contraria.* Intellige conditionem contrariam legato servi: veluti si testator dixerit: *Maevio lego Pamphilum: si Maevius Consul fuerit, Pamphilus liber esto.* Mortuo testatore Maevius Consul est: existit itaque conditio: perimitur legatum servi, valet legatum libertatis. Eadem, si non major cum sit ratio in casu §. 3., quis contrarium jus exspectet a Cajo? per interrogationem propositum utriusque JCti sermonem accipiemus, quae fortius solet negare? Praeferam utrobique legi *inutile legatum n. est*, hoc est, *non est.* Favet conjecturae addita ratio. Omnimodo inutile legatum servi non est, hoc est, quoquo modo accipias, omnino utile est, quia, ratione habita legatarii, per omnem Titii vitam ei servire debet Stichus, respectu vero Stichi, quia post mortem Titii competit ei libertas: Titium autem moriturum certum est.

XVII. Ulpianus in *L.* 29. § 3. *D ad L. Aquil.*: *Labeo scribit: si, cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius, et* NAUTAE *funes praecidissent, si nullo alio modo, nisi praecisis funibus, explicare se potuit*, (navis, hoc est, explicari potuit,) *nullam actionem dandam.* Itane, Labeo, actionem denegandam statuis adversus nautas, qui funes praecidissent? non putem. Omnino concedi actionem hoc casu, optime demonstravit Bynkersh. *Obs.* 4. 17. Quam vero restituendae lectioni corruptae medicinam tentat, num aeque sit placitura omnibus, dubito. Verborum transpositione usus, remedio incerto, ne dicam damnando, ita reponit: *si, cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius nautae, et funes praecidisset.* Haloander pro *potuit* substituit *potuissent*, dein *et* ante *nautae* omittit. Unius litterulae mutatione, et elisione alterius veram restitui posse scripturam antiquam, habeo persuasum. Reponendum suspicor: *naviae funes praecidisset.* Librarii *naviae* vocabulum ignorantes *nautae*, magis sibi notam vocem exhibuerunt, dein, quod necessario erat faciendum, pro *praecidisset*, mutarunt *praecidissent.* Est autem *navia* genus navigii, quod *pontones* appellat Paulus in *L.* 38. *D. de Serv. praed. rust.* Caesar *de bell. Civ. Lib.* 3. pontones nominat *genus navium Gallicarum, naves onerarias*, eorundem meminit Gellius *Lib.* 10. *Cap.* 25. *Pontonium* dixit Isidorus §. 9. 1. Confer de pontonibus et dicto Isidori loco

Jo.

Jo. Schefferum *de militia navali Lib.* 4. *Cap.* 1. *pag.* 261. Suidas ναβαν vocat: Ναβα, inquit, παρα Ρωμαικοις το πορθμειον: φαινεται δε εν πολλαις μη διεστωσα της Ελλαδος φωνης η Ρωμαικη, ναυς γαρ και ναβα εγγυς. *Naba* (id est, *navia*) *apud Romanos idem notat quod* πορθμειον (apud Graecos). *In multis autem Romana lingua a Graeca non videtur differre:* ναυς *enim et nava* (*navia*) *vicina sunt.* Latinorum V Graecos per B exponere novimus. Isidorus in Glossis: *Nabita*, *nancta*. Rescribi volunt *nauta*. Et Romani enim sexcenties B pro V ponunt. Idem Suidas πορθμειον exponit το πλοιον. In glossis Servii est *navis*, πλοιον. Est autem *navia* adjectivum, deductum a νηιος, *navalis*, subintelligitur, puto, *navis*. Servius ad *Virg. Aen. XI. v.* 329. *Navalia dicimus loca, ubi naves sunt: sed modo de Graeco transtulit, et navalia posuit pro trabibus, de quibus naves fiunt: nam Homerus* νηιον *dicit navale lignum.* Festus *naviam* interpretatur *lignum cavatum, ut navis. Uno* (hoc est, factum ex uno) *ligno exsculpto, ut navis, quo utuntur alveo in vindemia.* ubi v. Commentatores. Recte hanc vocem Pomponio Melae *Lib.* 3. *Cap.* 7. *lin.* 29. reddidit Vossius. Sic Mela de India: *tam pinguis alicubi, et tam feracis soli, ut in ea mella frondibus defluant, lanas silvae ferant, arundinum fissa internodia, veluti naviculae, binos, et quaedam ternos etiam vehant.* Alii exhibent *nautas*, in scriptis codicibus est *navita*, Vossii conjecturam in textum recepit Gronovius. Malim tamen *naviae*. Eadem sunt Vossio *navia*, *linter*, *alveus*. De lintribus et alveis v. Schefferum *l. c. pag.* 24. De puerorum lusu *capita aut navia*, qui etiamnunc nostris usitatur, refert Macrob. *Saturn.* 1. 7. Propria itaque significatione *navia* notat *navalis*, usus voluit, ut pro *navi* adhiberetur. Obiter noto, apud Isidorum *d. l.* pro *carabus*, *quo in Pado paludibusque utuntur*, nostros libros exhibere *qua*, pro *Pado* legendum videri *vado*.

XVIII. Varie emendantur Ulpiani haec in *L.* 1. §. 1. *D. de bonor. poss. sec. tab.*: *Non autem omnes tabulas Praetor sequitur hac parte edicti, sed supremas, hoc est, eas, quae novissimae* ITA *factae sunt, post quas nullae factae sunt: supremae enim hae sunt, non, quae sub ipso mortis tempore factae sunt, sed, post quas nullae factae sunt, licet hae veteres sint.* Consule Bynkersh. *Obs.* 1. 23. Nulla mutatione, sic distinguo: *quae novissimae, i. ta. factae sunt*, expono *id est tales*. Nullus ignorat, *i* antiquitus positum fuisse pro *id est*. Alibi ostendi, *ta* pro *tales*, scribere consuevisse veteres.

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

I. *Emendantur* Tibullus *et* II. Nonius. III. Horatii *locus exponitur, et tentatur.* IV. Terentius *aliquoties corrigitur, et exponitur.*

nitur. V. Celsus *restituitur.* VI. Martialis *explicatur et emendatur.* VII. Horatius *iterum tentatur.* *Item* VIII. Valerius Maximus, *et* IX. Gellius. *Ad* L. 3. §. 9. D. de penu leg. X. *Corriguntur* Florus, Cicero, Isidorus, *et ejus* glossae. XI. Suetonius. XII. Sulpicius Severus. XIII. Plinius.

Coronidis quasi loco adjungere visum est capita quaedam difficiliora veterum Auctorum, quae opem criticam efflagitant.

I. Apud Tibullum *Lib.* 1. *Eleg.* 9. *v.* 21. ita circumfertur:

Cantus et e curru lunam deducere tentat,
Et FACERET, *si non aera repulsa sonent.*

Rescribendum puto: *et caderet.* Carminibus magicam inesse vim, iisque vel ipsam Dianam coelo deduci posse sibi persuadebat antiquitas superstitiosissima. Hinc Ovid. *in Metam. Lib.* 7. *v.* 207.

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant: currus quoque carmine nostro
Pallent, ac pallet nostris Aurora venenis.

Virgil. *Ecl.* 8.

Carmina vel coelo possunt deducere lunam.

Lunae laboranti, hoc est, eclipsin passae, ne decideret de coelo, aere sonante succurrere solitos fuisse Romanos, notissimum est. Lepidissime Satyricorum princeps Juvenalis in elegantissima *Sat.* 6. *v.* 440. mulierum loquacitatem increpiturus canit:

Verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves et tintinnabula dicas
Pulsari: jam nemo tubas atque aera fatiget:
Una laboranti poterit succurrère lunae.

Possis tamen *faceret* exponere perficeret, deduceret.

II. Ita Nonius Marcellus in capite *de Differentiis Verborum pag. m.* 442.: *Matronae et matrisfamiliae dissimilitudinem hoc modo veteres docti separant quidam, ut sit matrona, quae peperit semel, materfamilias, quae saepius. Sed haec definitio videtur absurda. Ad haec fidelis locupletiores matronam, quae in matrimonio sit mariti, etiam ante susceptos liberos, dictam, meliore tamen matris futurae spe mat. nomine nuncupatam; matrem vero familias, quae in familia, mancipioque sit patris, etsi in mariti matrimonio esset.* Descripsi

psi verba ex editione Parisiensi anni 1614. Depravatam scripturam sic restituo: *Sed haec definitio videtur absurda: Stat haec fide Aelii: Locupletiores* (intellige auctores firmiores ac certiores, quo modo vocem exponit ipse Nonius *pag.* 462.) *matronam, quae in matrimonio sit mariti, etiam ante susceptos liberos, dictam* (scribunt, ajunt, simileve). *Meliores tamen* (accipe auctores optimos, eos, quos sequitur noster) *matris futurae spe matronae nomine nuncupatam*, (matronam dicunt, boni scilicet ominis causa: Sic, uti nuptiae vocantur *individua consuetudo*) *matrem vero*. . . . . Probabiles, nisi me fallunt omnia, videbuntur conjecturae meae propositae iis, qui cognoverint Gellii hunc locum in *Noct. Att. Lib.* 18. *Cap* 6., ex quo sua desumsisse Nonium, nemo dubitat. *Aelius Melissus . . . . librum composuit . . . . de loquendi proprietate. . . . . Ex eo libro haec verba sunt: Matrona est, quae semel peperit: quae saepius, materfamilias. . . . . Utrum autem hoc de matrona, ac de matrefamilias Melissus excogitaverit ipse, et conjectaverit, an scriptum ab alio quo legerit, hariolis profecto est opus. . . . . Matronam non esse appellatam, nisi quae semel peperit, neque matremfamilias, nisi quae saepius, nullis veterum scriptorum auctoritatibus confirmari potest: Enimvero illud impendio probabilius est, quod idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam esse proprie, quae in matrimonium cum viro convenisset, quoad* (hoc est, quamdiu,) *in eo matrimonio maneret, etiam si liberi nondum nati forent: dictamque esse ita a matris nomine, non adepto jam, sed cum spe et omine mox apiscendi, unde ipsum quoque matrimonium dicitur. Matrem autem familias appellatam esse eam solam, quae in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque esset: quoniam. . . . .* Suam, aliorumque opiniones de locis exhibitis uberiore tractatu proposuit Frater in *Dissertatione de Veteri Lege Romana, cujus meminit Nonius.* Vid. Dan. Fallenberg *Jurisprud. Antiq. Tom.* 2. *pag.* 94. *sq.* Non est ergo, quod his immoremur.

III. Sunt, qui crisin exercendam esse statuunt in his Poëtae, Lyricorum praestantissimi, *Lib.* 3. *Ode* 21.

> *O nata mecum Consule Manlio,*
> *. . . . pia testa, . . .*
> *Quocunque lectum nomine Massicum*
> *Servas.*

In amphoris, antequam eae in cellis vinariis conderentur, notari solere nomen Consulis, ut vini aetas cognosci posset, manifestum est ex eodem *Lib.* 3. *Od.* 8. *v.* 10. *sq.* Confer *L.* 1. *Od.* 20. *in pr.* Intelligo itaque vinum, sive uvas, collectas quocunque nomine Consulis, hoc est, quocunque tempore, aut electum, id est, optimum, vinum Massicum, quocunque Consulis nomine signatum: nisi malis *litum*, hoc est, pice illitum. Ita Horatius *Lib.* 3. *Od.* 8. *v.* 9.

Hic

Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice dimovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Add. *Lib.* 1. *Od.* 20.

Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi.

IV. Terentii, quotquot vidi, editiones ita exhibent in *Heaut. Act.* 4. *Sc.* 3. *v.* 40.:

Cl. *Tantum sat habes? quid tum, quaeso, si hoc pater resciverit?*
Sy. *Quid si redeo ad illos, qui ajunt: quid si nunc coelum ruat?*

Sensu carentibus verbis redonabis, credo, suum leporem, si ita reponas: *quid si? redi*, aut, *redi ergo ad illos.* . . . . *Ergo* vocem per EG scriptam fuisse olim, Magno testatur. Apage illum metum tuum, facessat dictum istud: *si pater resciverit*, redi tu, hoc est, abi, discede ad meticulosos istos, qui ajunt: *quid si.* . . . .

Vitio laborare mihi videntur haec ejusdem Comici in *Eunuchi prologo v.* 7.

Qui bene vertendo, et easdem scribendo male,
Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.

Restituendum arbitror: *qui poene vertendo, at.* . . . . Adeo rudis fuit Poëta, ut, licet poene verbum de verbo verterit, ac reddiderit, attamen male eas descripserit, atque ita ex Graecis bonis fecerit Latinas malas. P et B litteras permutatas olim inter se fuisse, pervulgatum est. Pari modo pro *beneficio* in *L.* 40. § 1. *D. de damn. inf.* corrigendum statuit Bynkershoeck *pane vitio* in *Obs. Lib.* 4. *Cap.* 10.

Quod ibidem dixit Poëta *v.* 17.

Habeo alia multa, quae nunc condonabitur.

nihil quidquam mutem. *Condonabitur* accipio pro *condonabit*, sensu deponentium, quod idem in plurimis ejusmodi obtinere novimus, quae utroque in genere antiquitus fuere usurpata. *Aucupo* pro *aucupor*, *vago* pro *vagor*, frequentata olim, constat. *Nutrior* pro *nutrio*, *consecror* pro *consecro*, *punior* pro *punio*, alia, veteribus in usu fuerunt. Exemplorum copiam sat largam suppeditat Nonius *pag.* 467. *sq.* Confer Brissonium *in Parerg.* §. 55. *sq.*, adde

adde Opusc. *de Lat. Vet. JCtor. pag.* 328. *et alibi.* Habeo, inquit Prologus, alia multa, quae nunc condonabit Poëta comoediae auctor, hoc est, quae nunc condonans tacebit.

Rectene ceperint Interpretes versus postremos ejusdem Eunuchi *Act.* 4. *Sc.* 1., vehementer equidem dubito.

Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc est signi: ubi primum poterit, se illinc subducet, scio.

Interpretor: aurum sibi demit mulier meretrix, abitura, ne in publicum progressa contra leges aurum gestare accusetur. Consule commentarios ad *d. l.*

V. Celso etiam Medico remedium adferamus. Pro iis, quae exstant *Lib.* 4. *Cap.* 4. *pag.* 191. *lin.* 31., *nares magis pallent*, corrigendum esse, *nares magis patent*, nullus, credo, dubitabis, ubi intellexeris, praecessisse *ibid. lin.* 10.: *haec nares claudit*; itemque subjungi *pag.* 192. *lin.* 2.: *nares aeque clausae.*

VI. Perdifficile esse scribit epigramma 15., inter Martialis Spectacula recenseri solitum, Best. *pag.* 252.

Qui modo per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Malunt alii *potitus*, ipse Vir Cl. substituit *petitum*. Retinendam puto lectionem vulgatam. *Ardor cornutus* elephantis non male tribuitur, quippe qui, ad certamen ut incendantur, promuscide semet verberare solent, teste Aeliano *de Animal. Lib.* 6. *Cap.* 1. Dentes belluarum harum *cornua* appellari, novum non est. Plinius in *Hist. Nat. Lib.* 8. *Cap.* 3.: *Praedam ipsi elephanti in se expetendam sciunt solam esse in armis suis, quae Juba* CORNUA *appellat, Herodotus tanto antiquior, et consuetudo melius, dentes.* Idem *Lib.* 18. *Cap.* 1.: *cum arbore exacuant limentque* CORNUA *elephanti. Raptas pilas* expono celeriter captas. Neque tamen obnitar equidem, si praeferas *captas*, hoc est, susceptas.

VII. Merito offendit eundem Bestium *pag.* 256. vox *notaque* in elegantissimo Horatii carmine *Lib.* 4. *Od.* 13.

Quo fugit Venus? heu! quove color decens?
Quo motus? quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi?
Felix post Cynaram, notaque et artium
Gratarum facies.

Dubito tamen, num placiturum sit omnibus adhibitum remedium, ita sanandum existimantis,

Felix post Cynaram? nota quo, et artium
Gratarum facies?

Quid si ita reponamus?

Felix post Cynaram, nota quae, et artium
Gratarum facies.

Imo vero malim:

Phoenix post Cynaram, nota quae. . . . .

Ejusdem Poëtae locum leviter corruptum *Lib.* 1. *Od.* 25. *in pr.*

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt, AMATQUE
Janua limen,
Quae prius multum faciles movebat
Cardines.

facillima opera restitues, si pro *amatque* substituas, *tenetque.*

VIII. Crucem fixerunt Interpretibus Valerii Maximi verba *Lib.* 2. *Cap.* 6. *Ex.* 12.: *Thraciae vero illa natio merito sibi sapientiae laudem vindicaverit, quae natales hominum flebiliter, exsequias cum hilaritate celebrat: sine ullis doctorum praeceptis verum conditionis nostrae habitum pervidit. Removeatur itaque naturalis omnium animalium dulcedo vitae, quae multa et facere et pati turpiter cogit, si* EA MORTUA EJUS *aliquanto felicior ac beatior finis reperietur.* Corrupta esse, adeoque mutanda *τα ea mortua ejus*, certum apparet. Glossema esse censent nonnulli. Sunt, qui emendant *ortu ejus*, plenius alii malunt *jam ortu ejus.* Est, qui substituit: *Si cita mors natis.* Anonymus in *Obs. Misc. Amstel. Vol.* 5. *pag.* 212. corrigit: *si exordio ejus.* Propius, credo, vulgatae scripturae accedent, sensum quoque effundent satis idoneum, sic reposita verba: *si ex morte facilius aliquanto* . . . . hoc est, siquidem, quoniam post mortem reperietur facilius, ac comparabitur finis vitae, adeoque et malorum, felicior aliquanto, aut *aliquando*, ac beatior habendus, quam vitam trahere molestam, miseram.

IX. De eo non tantum inter veteres dubitatum fuisse, cujus generis, ac declinationis esset vox *penus*, sed et hanc praecipue agitatam jam olim inter eruditissimos quaestionem fuisse, quaenam res *penus* vocabulo contineantur, constat ex Gellio *Lib.* 4. *Cap.* 1. Levi macula inquinata videntur haec Gram-

Grammatici: *Praeterea de penu adscribendum hoc etiam putavi, Servium Sulpicium in reprehensis Scaevolae capitibus scripsisse*, SEJO AELIO *placuisse, non quae esui tantum et potui forent, sed tus quoque et cereos in penu esse, quodque esset* EJUS *ferme rei causa comparatum.* Celeberrimus in jure est Sextus Aelius, auctor Tripertitorum, jurisque Aeliani, quem *egregie cordatum hominem*, et *catum*, hoc est, prudentem, sapientemque nominavit Ennius. (Cicero *de Legib.* I. 16. *prudentem, et, ut ita dicam, catum.*) Non aeque notissimus Sejus Aelius. Sextum autem eundem intellexisse Gellium, vix dubitabis, credo, si reputaveris, *Seji* et *Sexti* praenomina una littera S signata fuisse olim: rescribendum itaque *Sexto Aelio.* Turbam tamen cient verba Ulpiani in *L.* 3. §. 9. *D. de penu leg.: Sextus autem Caecilius etiam tus et cereos in domesticum usum paratos contineri legato scribit*, quo loco pro *Sextus Caecilius* rescribendum esse putat *Sextus Aelius*, Auctor operis *de Nominib. Pandect. pag.* 208. *sq.* Errori forte caussam dedit parum distans utriusque nominis sonus, nisi malis, Sextum Caecilium ex Sulpicio haec mutuatum alicubi adnotasse, exque Caecilio ita retulisse Ulpianum. Libri Gellii MSS. plerique habent *Saco Aelio*, aut, quod idem est, *Helio.* Non longe forte aberraverit, qui correxerit, *Sap.* hoc est, *Sapienti.* Sapientem Gellius vocat Sextum Aelium, eodem modo, quo Pomponius in *L.* 2. §. 38. *D. de Orig. Jur.: Atilius autem primus a populo Sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudavit*, catum scilicet, id est, sapientem. Ipse Gellius eodem capite *ne illi quidem veteris juris magistri, qui sapientes appellati sunt.* Sapientes enim postea dicti sunt JCti. Plura de *sapientis* titulo collegerunt Augustinus *ad librum de nominib. D. pag.* 209., et Ritter ad Heinecc. *Hist. Jur. R. pag.* 206. *Cato Aelio* reponendum existimavit Jac. Gronovius, eamque conjecturam quasi certam, more damnando, in textum recipi curavit. *Sextum Caecilium* legi oportere contendit J. F. Gronovius ob *L.* 3. *c.*: Verum Caecilius Servii Sulpicii aetate longe fuit posterior. Pro *ejus* scripsisse Gellium conjicio *cujusque.* Contractior scriptura librarios fefellit. *Quod enim ipsius patrisfamilias, liberorum patrisfamiliar, ejusque familiae, quae circum eum aut liberos ejus est, et opus non facit, causa paratum est, ut Mucius ait, penus videri debet.*

X. *Prima discordia*, inquit Florus *Lib.* I. *Cap.* 23. *ob impotentiam foeneratorum: quibus in terga quoque serviliter saevientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit, aegreque, nec nisi Tribunos impetrasset, ... revocata est.* Durior est locutio: malim *nisi quam*, id est, postquam, aut *nisi si*, quo modo solet Florus, aliique: vid. ad *Lib.* 4. *Cap.* 7. *Num.* 15. Ita de eodem argumento Pomponius in *L.* 2. §. 20. *D. de Or. Jur.: Iisdem temporibus cum plebs a patribus secessisset, anno fere septimo decimo post Reges exactos, Tribunos sibi in monte Sacro creavit, qui essent plebeji Magistratus: dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, et ex singulis singuli creabantur: vel quia tribuum suffragio creabantur.* Sic narrat Livius *Lib.* 2. *Cap* 32.: *Ita Tribuni plebeji creati duo. . . . . Hi tres collegas sibi creaverunt. . . . . Sunt qui duos tantum in Sacro monte creatos Tribunos esse dicant, ibique sacratam legem latam.*

 Ho-

Horum in numero est Cicero, qui in *Orat.* I. *pro C. Cornelio*, *Tanta igitur*, inquit, *in illis virtus fuit, ut anno XVI. post Reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, aeternae memoriae causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno* DECEM *Tribuni plebis Comitiis Curiatis creati sunt.* Quod de decem Tribunis scribit Orator, aperte vitiosum est, siquidem *trigesimo sexto anno a primis Tribunis plebis, decem creati sunt, bini ex singulis classibus*, teste Livio *Lib.* 3. *Cap* 30. Dissentire vides utrosque. Conciliare studuit Nob. Vonck in *Obs. Miscell. Cap. XI.* Quid si statuamus, anno sexto decimo in Sacrum montem secessisse plebem, Tribunos duos designasse, montem consecrasse, postero anno, hoc est, septimo decimo, auspicato creasse designatos, ex singulis populi partibus duobus ante designatis, mox creatis, singulos, adeoque tres adjunctos fuisse? pro *decem* autem in loco Tullii substituendum *demum*. Ita sane lis superesit nulla. Fallitur autem Isidorus *Lib.* 9. *Cap.* 4., aut librariorum culpa vitiatus est, qui *sexto anno post Reges exactos* constitutos fuisse Tribunos refert.

In Glossis antiquis, quae Isidori nomine circumferuntur, ita prostat: *Sector, usurpator, vel bonorum vindicta.* In Excerptis Pithoeanis sic exhibetur: *Sector, vel lego sectio, bonorum vindicta.* *Ta vel lego sectio* Pithoei esse additamentum suspicor. Graevius substituendum censet: *Sector, usurpator, sectio, bonorum venditio.* Quid si rescribamus? *Sector, usurpator, vel bonorum venditor.* Usurpator est, qui sub hasta sibi vendita bona usurpat. Festus *sectionem* interpretatur *persecutionem juris.* Idem *sectores*, inquit, *et qui secant dicuntur, et qui emta sua persequuntur.* Ludens Cicero pro Roscio *Cap.* 29. *Scimus*, ait, *per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum.* Dicitur namque *sector*, et is qui secat, et qui bona publicata emit, eademque deinceps per partes vendit. Vid. Commentatores ad Pacat. *Cap.* 28., et P. Nannii *Miscell. Lib.* 9. *Cap.* 2. Confer quae notavi *pag.* 58.

XI. Suetonius *in Cal. Cap.* 29. narrat, Cajum Caligulam respondisse Antoniae, aviae suae, monenti, objurgantique propter flagitia quaedam admissa, *memento, omnia mihi, et homini licere.* Longum foret enarrare singulorum conjecturas, quibus corruptam scripturam emendare studuerunt. Restituendum videtur: *mihi et dominae:* accipe Imperatoris uxorem. Claudius mox post occisam conjugem suam Messalinam, *cur domina non veniret*, requisivit, teste Tranquillo *in vita Claudii Cap.* 39. Intellexit forte Caligula Caesoniam, quam ardentius et constantius amavit, et uxorio nomine dignatus est. Vid. Suet. *in Cal. Cap.* 25.

XII. Sulpicius Severus *in vit. Martini Cap.* 17. mendo subjacet manifestissimo, quo de miror nil admonuisse Vorstium. *Terradii*, inquit, *servus daemonio correptus dolendo* EXITU *cruciabatur . . . . nequam spiritus nullo proferri modo ex cella in qua erat potuit.* Vidit *exitus* vocem neutiquam convenire, ideoque sic emendavit doctissimus Klotzius *in Miscell. Crit. pag.* 19.: *dolendo*

cru-

cruciatu exercebatur. Levi mutatione unius vocis praeferam, *dolendo accessu.* Medici solent appellare *accessionem* et *paroxysmum.*

XIII. Plinius in *Hist. Nat. Lib.* 6. *Cap.* 22. de Rege quodam barbaro se refert: *mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quod pares pondere denarii essent in* CAPTIVA *pecunia, cum diversae imagines indicarent a pluribus factos.* Salmasius tacitus praeterit. Bynkershoeck. *Obs.* 3. 4. substituit *avita,* meliorem, quae Viri Summi est modestia, emendationem exspectare se professus. Dabo, quae cum maxime in mentem venit, meliorem tamen esse eam minime equidem ausim praestare. *Captiva pecunia* exponi recte posset *pecunia captivorum,* quo sensu *captiva vestis, captivus sanguis, captivi currus,* elocutione nota Servio sunt captivorum vestis, sanguis, currus, ad *Virg. Aen.* 2. *v.* 765., et *Aen.* 10. *v.* 520. Intelligemus itaque pecuniam Regi ostensam ab hospite, qui eo advenerat? Verum vix convenire arbitror hanc interpretationem dicto loco. Quid, si reponamus *in c. antiqua pecunia,* hoc est, *in civitatis,* aut, si id praeferas, *communi antiqua pecunia?* Utrumque vocabulum littera C notatum fuisse, auctor est Valerius Probus. Admiratus fuit Rex peregrinus hanc in primis justitiam Romanorum, quod neque avaritia pellectos Optimates, aut Imperatores, minuisse, neque, ut auram captarent popularem, auxisse eos perspiceret valorem pecuniae publicae.

CAPUT QUINTUM DECIMUM.

I. *De* Isidori *stilo, et scriptis. Varia loca ex* libro *ejus* V. Originum *tam editionum antiquarum ope, quam ex conjectura emendantur, exponuntur, illustrantur.* II. Testium alligatio. III. Jus civile, *jus a JCtis introductum.* IV. *In* testamento nuncupativo *scriptura accessit.* V. Jus liberorum. VI. Chirographum *quid?* VII. *Conjugum mutua* coëmtio. VIII. Conditio.

I. Isidorum illum, cujus mox mentio incidit in antecedenti capite, saepissime etiam allegatum a nobis in superioribus, sua pleraque descripsisse ex aliis, nullus, credo, dubitabit, ita in eo versatum, ut, quae stilo optimo, aut saltem satis bono, pluribus fuerant proposita ab antiquioribus, ipse contraxerit, aevi sui stilo pessime aliquando reddiderit, nonnunquam etiam non intellexisse, aut perperam accepisse, quae legerat, videa-

tur. Raram ejus doctrinam, atque exercitatissimum in quocunque disciplinarum genere ingenium justo majoribus laudibus extollit, sapientiam deinde ejusdem adeo praedicat, ut ipsi Salomoni praeferendum eum esse existimet, Lucas Tudensis in *Act. Sanct. April. Tom.* 1. *pag.* 333. *et* 346. Ob id tamen plurimi facienda ejus commentaria, quia profert hic illic fragmenta scriptorum veterum deperdita, quae unus ille servavit, licet auctorem non nominaverit. Neque vero dissimulandum est, multis in locis misere laceratam, depravatam, corruptam, mutilamque esse lectionem vulgatam, quam hodie versamus, eam dico, quam in publicum edidit Dionys. Gothofredus, insertam *Auctoribus Latinae linguae*, multoque emendatiores rectioresque prodituros libellos ejus, si scriptura Auctoris vera, quantum ejus fieri potest, ex codicibus antiquis restitueretur, aut in locis desperatis ex receptis probatae critices regulis adjuvaretur.

Quo elucescat dicti veritas, delibabimus pauca ex libro ejus quinto, ad quae, quandoquidem disputat in eo, de iis, quae ad jus pertinent, ab instituto nostro non alienum fore existimo, ὑπομνήματα scribere, aut potius, flores spargere, delectos maximam partem ex codice antiquissimo, manu scripto, optimae notae, quem habet bibliotheca Academiae Groninganae, cujus collationem suppeditavit mihi H. I. Arntzenius, tum ex editionibus duabus vetustis, quarum altera vulgata fuit Basileae anno 1489., quam servat in bibliotheca sua Parens meus optimus, altera impressa Parrhisii, opera Johannis Barbier, sumtibus Johannis Petit, anno 1509., quam item mecum communicavit, quem modo nominavi, Adfinis meus conjunctissimus.

Moyses (ita infit Isidorus in *d. Lib.* 5. *Cap.* 1.) *genti Hebraicae primus omnium divinas leges sacris litteris explicavit.* Praeferam *gentis Hebree*, quod habet Bas., qui liber *ae* litteras per *e* simplex solet efferre: vide *Exodi Cap.* 2. *c.* 6. Idem repraesentat Petiti editio, quae tamen *ae* distinguit. Codex Gron. exhibet *genti Hebraeae.*

Foroneus Rex Graecis primus legis judiciaque constituit. Rectius B. et P.: *Phoroneus*, quem novimus fuisse Regem Argivorum, *leges* . . . . quod postremum quoque est in C. G.

Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, primus leges Romanis edidit. Amplissima quidem suppeditaret hoc loco disputandi materies de legibus Romuli, caeterorumque Regum populi Romani, de jure Papiriano, de Tribunorum, plebiscitorumque origine, de legibus Decemviralibus, aliisque: id vero nunc non agimus, constat de iis abunde ex illis, qui historiam juris civilis R. tradiderunt.

Deinde, cum populus SEDITIOSOS *Magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit.* . . . . Malim *seditiosus*: Constat enim ex Dion. Halic., quum Consules, imperio suo abusi, tantum non regiam majestatem adfectarent, Tribuni plebis autem perpetuis suis concionibus potestatem eorum majorem vehementer impugnarent, neutraque adeo pars alteri facultatem leges ferendi concederet, placuisse tandem, post longas crebrasque turbas et seditiones, ut Decemviri constituerentur. Eodem plane modo, iisdem

dem verbis Aurelius Victor *de Viris Illustr. Cap.* 21. *in pr.*, quo loco et *seditiosus* exstare in MSS., atque ita utrobique legendum esse notavit Schottus.

Fuerunt autem hi: Appius Claudius, Genutius, Veterius, Julius, Manilius, Sulpitius, Sextius, Curatius, Romelius, Posthumius. B. exhibet plenius: *Fuerunt autem ibi hi: Appius Claudius, T. Genutius, P. Sestius, L. Veturius, G. Julius, A. Manlius, P. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulus, Sp. Posthumius.* In P. est: *Fuerunt autem hi: Appius Claudius, T. Genutius, P. Festius, L. Veturius, G. Julius, A. Maulius, P. Sulpitius, P. Curiati, T. Remulius, Sp. Posthumius.* G. sequitur vulgatam, nisi quod pro *Sextius* habet *Sestius*, pro *Posthumius*, *Postumius*.

Cap. 2. *Omnes autem leges aut divinae sunt, aut humanae: divinae naturae, humanae moribus constant: ideoque haec discrepant.* Emendandum omnino ex G., B., et P. *natura*, et *has.*

Quaecunque proposuit Isidorus noster Cap. 1. 2. et 3., totidem fere verbis descripsit Auctor Praefationis, quae praemissa est editioni Legis Salicae Heroldinae, in nonnullis tamen differt aliquantulum scriptura, praesertim vero plenior est hic in recensendis Decemvirorum nominibus. Reposuit eam Heineccius in *Corpore Juris Germanici Antiqui pag.* 5.

Cap. 4. *Jus naturale est, aut civile, aut gentium.* Plenius B. et P. et G.: *jus aut naturale est, ...*

Cap. 9. *Jus Quiritum est proprie Romanorum . . . . de* USUCAPTIONE: *quae jura . . . . propria sunt Romanorum, et in* EISDEM SOLIS *constituta.* B. et P. exhibent *usucapionibus*, G. habet *usucaptionibus*, omnes *in eosdem solos.*

Cap. 10. *Lex est constitutio populi, qua majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.* In G est *sanxierunt.* Intellige Senatorium Magistratum: est enim lex, quod populus R., Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituit. Inepte Isidorus senes accepit Senatores. Vide §. 4. *I. de Jur. Nat. Gent. et Civ.*

Cap. 11. *Quid scita plebium. Scita sunt, quae plebs tantum constituunt.* Lego: *Quid scita plebium? Plebium scita sunt, quae plebes* (ita est in omnibus) *tantum constituunt.* *Ta quid scita plebium* omittuntur in C. G.

Cap. 12. *Senatusconsultum est, quod tantum Senatores populis consulendo decernunt.* Rescribam: *Senatores populi R.*, hoc est, *Romani.* Verbum *est* ignorat G. De more senatus habendi, consulendique, adi Gellium *Noct. Att. Lib.* 14. *Cap.* 7.

Cap. 15. *Quaedam esse* (rectius editum in tribus, *etiam*) *leges dicuntur ab iis* (*his* B. et P. et G.:) *qui condiderunt. . . . . Nam et sub Octavio* (substituendum omnino ex iisdem *Octaviano*) *Caesare suffecti Consules* (*Consulares:* est in G.) *Papius et Pompejus* (mutandum *Poppaeus*, frequentissime autem inter se permutantur haec nomina. Vid. Heinecc. *ad L. Jul. et Pap. Popp. pag.* 62.) *legem tulerunt, quae a nominibus eorum appellatur Papia et Pompeja* (*Papia Pompeja* B. et P. et G.: legendum *Poppaea*) *continens primum* (optime P. et B. *patrum*, G. vocem omittit) *praemia pro suscipiendis liberis. Sub eodem quoque Imperatore Falcidius Tribunus plebis legem fecit, ne quis plus in extraneis testamento*

mento (bene ibidem *extraneis in testamento*) *legaret*, *quam ut quarta pars superasset* (*superesset* B. et P. et G.) *heredibus.*

Cap. 19. *Omnis autem lex aut permittit aliquid . . . . aut vetat . . . . aut punit. Aut enim* (utrobique exstat, ut et in C. G.: *ejus enim*) *praemio, aut poena vita moderatur humana.* Modestinus in *L.* 7. *D. de Legibus*: *Legis*, inquit, *virtus haec est: imperare, vetare, permittere, punire.* Ulpianus in *L.* 1. §. 1. *D. de Just. et Jure* Jurisconsultos scribit, *bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione efficere cupientes.*

II. Cap. 23. *Testes sunt, a quibus quaeritur veritas in judicio, quos quisque* (in C. G. est *hos quisque*, a ante *quibus* deëst) *ante judicium sibi placitis* (rescribam *placitos*. Caeterum *placita* quae sint, docet Auctor *Cap. seq.*) *alligat, nec* (rectius aliae *ne*. Confundi inter se solere *non*, *ne*, *nec*, *neque*, docuit J. Arntzen. *ad Pacat. pag.* 105.) *cui sit postea liberum aut dissimulare, aut subtrahere se, unde et allegati* (*l. alligati*) *appellantur.* Discimus ex Asconio Paed. *in Argum. Orat. Cicer. pro A. Milone*, testes ex lege, priusquam causa ageretur, per triduum auditos, et dicta eorum judices consignasse. Unus, quantum memini, de *alligatione testium sibi placitorum* memorat Isidorus noster: intelligo testes, quos idoneos rei suae consulere et favere putat accusator, vel reus: ita *placitus amor* vocatur Virg. *Aen.* 4. *v.* 38. Servius conjugalem, aut legitimum interpretatur. In locum vinculi successit postea insinuatio actis, sive gestis, intervenientibus, quae nomen retinuit *allegationis*, et *alligationis.* Hinc *allegata gestis donatio*, *gestorum allegatio*, *gesta allegationis*, aliaque, in legibus et formulis veteribus frequentia sunt. V. Bignon. ad *Marculfi formulas Lib.* 1. *Cap.* 37. Confer Conradi *in Parergis pag.* 445. *et* 475. Inde in Edicto Regis Theodorici *Art.* 72.: *testamenta allegentur*, hoc est, actis inferantur. Dubito, an, quod in Lege Ripuariorum *Tit.* 59. §. 1. et *Tit.* 67. §. 1. appellatur *testamentum venditionis*, et *traditionis*, intelligi possit, testimonium, sive instrumentum, quo venditio, traditioque probantur. Vinculorum, alligationisque frequentissima fit mentio in Codice sacro. Ita Moyses *Deuteron. XI c.* 18. *alligate verba mea manibus vestris, ut sint signum.* Confer *ibid. Cap.* 6. *c.* 8. et *Exod* 13. *c.* 9. *et* 16. Utramque paginam faciunt vincula subjugationis, et obligationis. V. Jerem. *Cap.* 5. *c.* 5., 27. 2., 30. 8. Zachar 20. 37. Salomon. *in Proverb.* 6. 21., *et* 7. 3., ac centies alibi. Alligationem autem hanc refero ad vinculorum symbola, quibus de nonnulla dixi ad *Ulpian. Tit.* 19. §. 9. Translata vox ad alia, hinc *adligari metu, beneficiis*, quae explicat Arntz. *ad Pacat. pag.* 124.

III. Cap. 24. *Voluntas* (*est* addit B. et G. et P.) *generale nomen . . . . unde* (*et* adjungitur ibidem) *Apostolus. . . . . Testamentum sane in scripturis sacris* (B. et P. *sanctis*). . . . . *Tabulae testamenti ideo* (utraque *inde*) . . . . *unde et portitores earum tabularii vocantur* (ibidem, et in G. nisi quod hic codex habet *vocantur, tabellarii vocabantur.*). *Testamentum juris civilis est, quinque testium signis signatum* (vocem ultimam neutra agnoscit: in G. C. verba *signis signatum* desunt. Addam, aut subintelligam *et*) *subscriptione firmatum. Testamentum juris Praetorii est, septem testium signis signatum*: (dictae *firmatum.*

No-

Notat J. Arntzen. *ad Pacati Pan. pag.* 102. voces *firmare* et *signare* frequenter confundi.) *sed illud apud cives fit, inde civile, istud apud Praetores, inde juris Praetorii.* Tota via errat Auctor: vel dupondii sciunt, ubi priora duo genera testamentorum, quae antiquissimis temporibus in usu fuerunt, calatis puta comitiis, et in procinctu fieri solita, in desuetudinem abiverunt, successisse postea tertium genus, quod per aes et libram dicitur, quinque testibus, civibus Romanis, praesentibus factum, idque inventum esse a Jurisconsultis. Uti autem quod moribus, hoc est, interpretatione, et auctoritate Prudentum, et fori disputationibus post leges XII tabularum est receptum, κατ'ἐξοχὴν vocatur *jus civile*, ita quoque *juris civilis* nominatum hoc testamentum a JCtis introductum, nemo temere miretur: v. §. 1. et 2. *I. de testam. ordin.*, add. *L.* 2. §. 5. *et* 12. *D de Orig. Jur.* Non ideo itaque *juris civilis* nuncupatur, quia apud cives fit, nam et Praetorium aeque apud cives fieri debuit, sed quia originem debet Jurisconsultis. Praetorium vero nomen accepit, non ex eo, quod apud Praetorem fit, sed quia ex edicto Praetoris forma haec testamenti faciendi primum est constituta.

Testamentum autem signare, notare est, hoc est, notam, sive signum inprimere, *ut* (aliae *id est, ut*) *notum sit, quod scriptum est. Holographum* (B. *bolographium*) *testamentum est, manu auctoris totum conscriptum, atque subscriptum: unde et nomen accepit: Graeci enim* ὅλον *totam* (B. itemque P. *bolon totum*, G. *olo totum*) γραφὴν *litteram dicunt. . . . . Suppressum testamentum est, quod in fraudem heredum, vel legatariorum, seu liberorum*, (B. et P. et G. rectius exhibent *libertorum*) *non est palam prolatum: quod si non latet, tamen, si praedictis personis non proferatur, supprimi tamen videtur.* B. habet: *supprimi non videtur.* P. vulgatam sequitur. Legendum conjicio: *quod si non latet tmt*, hoc est, *testamentum*, secundum Magnonem, *si praedictis personis non proferatur*, (G. habet *a praedictis*) *supprimi tamen videtur.* Eum, qui celavit testamentum, legis Corneliae poena damnari scimus ex Paulo in *L.* 2. *D. de lege Corn. de falf.* Idem in *Rec. Sentent. Lib.* 4. *Tit.* 7. §. 3. *et* 4., *testamentum supprimit*, inquit, *qui sciens prudensque tabulas testamenti in fraudem heredum, vel legatariorum, fideicommissariorum, aut libertatum, non profert. Supprimere tabulas videtur, qui, cum habeat, et proferre possit, eas proferre non curat.*

IV. Interpositis aliis, ita pergit Hispalensis noster: *Nuncupare enim est, inpalam* (in glossis Isidori est: *inpalam, aperte*) *nominare, et confirmare*, expono: subscriptione firmare. In G. est: *est enim palam.* Vide sis, quae dixi ad *Ulpian. Tit.* 20. §. 9. Non enim nominatum solummodo palam heredem in testamento nuncupativo, (unde nomen ejus descendit: hinc Ennius apud Nonium *Cap.* 2. *Extemplo Aegysti fidem nuncupantes*, hoc est, invocantes, inclamantes, *conciebant populum*) sed insuper in tabulis cerisque scriptum fuisse, aperte probant verba nuncupantis: *haec ut in his* (*his* ignorat G.) *tabulis cerisque scripta sunt, ita videtur, ita dico, ita lego.* *Ta ita videtur* omittuntur in omnibus, a sciolo interpretationis causa addita existimo, textui dein inserta perperam, neque enim *videri* verbum est directum.

V. *Jus liberorum est, conjugium sine liberis invicem pro loco pignorum hereditatis*

tatis alterna conscriptio. In G. est *pignerum*, et *alternae.* Jus liberorum, quod, quia commune est inter conjuges, vocatur saepenumero *jus commune liberorum*, prudentissimo consilio ex lege Julia et Papia Poppaea inductum, ut scilicet coërceretur vaga libido, atque invitaretur potius, spe praemii proposita, juventus ad prolem ex justis legitimisque nuptiis procreandam, non iis tantummodo concessum est conjugibus, qui filium filiamve communem habebant, aut XIV annorum filium, vel filiam XII amiserant, vel si duos trimos, aut tres post nonum diem amiserant, similibusque in casibus a lege expressis, verum et a Principibus haud raro concessum fuit hoc privilegium iis, quibus proles nulla superstes erat, aut qui liberos nunquam habuerant. Vide Ulpian. *Tit.* 16. §. 1., et Paulum in *Sent. Lib.* 4. *Tit.* 9. Praestitit autem jus liberorum conjugibus facultatem solidi capiendi. Recte itaque, licet stilo inconcinno ac subobscuro, exponit id Auctor jus conjugum illorum, qui liberis erant destituti, se invicem heredes conscribendi, sic, quasi vere pignora, hoc est, liberos, haberent, habuissentve. *Conjugium* positum intelligis pro *conjugum.* Eodem modo *mensum* pro *mensium* dixit Ulpianus *Tit* 6. §. 13., quam frequentiorem scripturam esse in Pandectis, itemque in Codice Theodosiano, docet Brissonius in παρέργ. §. 58. Ita quoque *Principium* exstat in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 5. §. 3. pro *Principum*, cujus ejusdem dictionis exempla plura protulit J. Arntzen. *ad Aur. Vict. Epit. Cap.* 48. *Num.* 17. Hinc *laudium* pro *laudum*, alia, v. Idem *ad Pacat. pag.* 23. 25. *et* 80.

Codicellum, ut veteres ajunt, sine dubio ab auctore dictum, qui hoc scripturae genus instituit. Vel ipsi forte Catoni, si legeret haec, risum ista moveant. Pueri discimus, a *codice* descendere diminutivum *codicilus.* Significationem, atque etymologiam *codicis* demonstrat Auctor *Lib.* 6. *Cap.* 13. et *Lib.* 17. *Cap.* 5.

Ita ut qui titulum scribit ejusdem scripturae codicellum vocet. Aliae habent: *qui scribit titulum*, lego: *qui scribit testamentum, titulum ejusdem* . . . . innuit clausulam codicillarem, qua cavet testator, ut, si testamentum non valeat tanquam testamentum, valeat jure codicillorum.

Cretio autem (postremam vocem neutra agnoscit) *appellata est quasi decretio: id est* (lego *idem est*) *decernere, vel* (hoc est *et*) *constituere. Utputa: ille heres esto mibi, additur,* (B. *ille heres michi esto: additque*, in P. et G. est *additurque*) *cernitoque infra* (*intra* malo) *tot dies.*

VI. *Chirographum, cautio, vel scriptio* (utraque *conscriptio*) *duarum instar chartarum: Graece enim manuscriptum, Latine* (ultimum verbum eaedem omittunt) *dicitur cautio.* In G. est: *Cirograph. cautio.* Reliqua usque ad *emtio* ignorat codex hic. Chirographi nomen generaliter sumtum omne significat, quidquid manu scriptum est, atque adeo tam syngrapham, quam cautionem, comprehendit. Specialiter vero *chirographum* dicitur, quod ab una parte scribitur, ac servari solet, *syngraphi* vero, aut *syngraphae* nominantur, quae utriusque manu signatae sunt, et utrique parti servandae dantur. Pluribus vocabulorum horum differentiam exsequitur Asconius *in Cicer. Orat. in Verrem.*

rem. Eſt itaque *chirographum*, *cautio*, ab uno ſubſcripta, *vel ſubſcriptio*, utriusque paciſcentis manu conſignata, quae adeo eſt *duarum inſtar chartarum*, ſiquidem eodem argumento ambo duove inſtrumenta perſcripta ſunt, utrique unum ſervandum datur.

Emtio et venditio eſt rerum commutatio, atque contractus ex convenientia veniens. Emptio et venditio ſucceſſit in locum permutationis, rei permutandae loco pretium venit, eſtque hic contractus ortus ex commoditate: commodiſſimum enim viſum eſt, cum non ſemper mihi ſuppetat res, quam alii dem, veluti pro bove, quae eadem tradenti placeat, pretium venire in locum rei.

Donatio eſt cujuslibet rei tranſactio (forte *traditio*). *Dictam autem dicunt donationem, quaſi domi* (utraque editio, nec non C. Gr. *doni*) *actionem.* Malo *dationem:* ita Paulus in *L.* 35. §. 1. *D. de donat. mort. cauſ: donatio dicta eſt a dono, quaſi dono datum.*

VII. *Nam antiquus* (in G. eſt *antiquitus*) *nuptiarum erat ritus, quod* (recte exhibent aliae *quo*) *ſe maritus et uxor invicem emebant, ne videretur ancilla uxor,* (in G. proſtat *uxor ancilla*) *ſicut habemus in jure.* Deſcripſit plagiator ex Servio, qui ad Virgilii haec: *Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis. Georg. Lib.* 1. *v.* 31.: *quod ait* EMAT, *ad antiquum nuptiarum pertinet ritum; quo ſe maritus et uxor invicem emebant, ſicut habemus in jure.* Mutua fuit coëmtio: quod ſi enim ſolus maritus emiſſet uxorem, ſolenni illa mancipatione, per aes et libram facta, in manum ac poteſtatem viri veniſſet uxor, ita, ut ancilla videretur. *Coëmtione vero, atque in manum conventione*, verba ſunt Servii *l. c.*, nuptiae fiebant, *cum illa* uxor *in filiae locum, maritus in patris veniebat: ut, ſi quis prior fuiſſet defunctus, locum hereditatis juſtum alii faceret.* Hinc dicta *coëmtio*, qua rerum, *confarreatio*, qua ſacrorum inter ſe participes fiebant vir et uxor, hinc *conjugium*, *conventio*, *conjunctio*, alia. Inde: *ubi tu Cajus, ego Caja.* Mos ille uxores emendi diutiſſime remanſit apud majores noſtros. In Lege Salica *Tit.* 46. eſt: *ille, qui viduam accipere vult, ... tres ſolidos aeque penſantes, et denarium habere debet; et hoc factu, ſi eis convenit, viduam accipiat:* ad quem locum Fr. Pithoeus, *majores*, inquit, *noſtri, ſicut et nos hodie, uxores ſibi emebant ſolido et denario. Propterea uxor in poteſtatem viri cedit, nec liberam habet rerum adminiſtrationem.* Ex Lege Saxonum *Tit.* 6. uxorem ducturus CCC ſolidos dat parentibus puellae. Ex eadem *Tit.* 18. §. 1. lito Regis licet uxorem emere ubicunque voluerit. Viduam ſibi matrimonio conjuncturus tutori offerre debet pretium emptionis ejus. *Ibid. Tit.* 7. §. 3. *et* 4.

VIII. *Conditiones teſtium ſunt proprie* (in C. Gr. eſt: *propriae teſtium ſunt*) *et dictae conditiones a condicendo, quaſi condictiones*, ibidem proſtat *conditiones.* Conditio eſt placitum duorum, pluriumve, idem dicentium. Feſtus *condictum eſt*, inquit, *quod in communi eſt dictum.* De teſtibus proprie dici *conditiones* novum eſt.

CAPUT SEXTUM DECIMUM.

I. *Explicatur locus* Iſidori. Stipulationis *etymon*, *ſymbola*, *ſolennitas.* Varro *exponitur.* Stips, ſtipes, ſtipula fracta, ſtipulum, ſtipare, ſtipendium. Theſauri *notio.* Alligatio *in ſtipulatione.* Nummi dimidiati: Teſſerae hoſpitales. Αστραγαλοι. Dii hoſpitales. Teſſera bellica. Iſidorus *exponitur.* Arra. Scytale. Chirographa dimidiata circumſecta. II. *Symbola varia:* Conjugum jugum. Poſſeſſionis apprehenſio. Manus mortua. Liti. *Suedorum*, *Cimbrorum ſymbola.* *A rure*, *et ab armis deſumta ſymbola.* Gladii, haſtae ſymbola. *Helvetiorum*, *Gallorum*, *Noſtratium ſymbola.* III. Effeſtucationis *ritus et ſymbola probantur ex* formulis antiquis, *eaeque explicantur.* IV. Scotationis *etymon.* *De* feſtuca. V. Traditionis, *et* teſtimoniorum ſymbola. VI. Obſtagii formula.

I. Pergit Iſidorus *d. Lib.* 5. *Cap.* 24. *prope finem*: *Dicta autem ſtipulatio a ſtipula: veteres enim, quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes, ſponſiones ſuas agnoſcebant.* Addunt libri Baſ., et Petiti: *ſive quod ſtipulum, juxta Paulum Juridicum, firmum appellavere.* Eadem habet C. G., niſi quod ibi proſtat *appellaverunt.* Ita Paulus *Rec. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 7. §. 1.: Stipulationes *quadam verborum ſolennitate concipiuntur, et appellatae, quod per eas firmitas obligationum conſtringitur: ſtipulum enim veteres firmum appellaverunt.* Juſtinianus in *pr. I. de Verb. Obl. forte a ſtipite* vocem *deſcendere* ſcribit. *Stipes vere eſt lignum ſectum, ſiccum.* Serv. ad *Aen.* 3. *v.* 43. Iſidorus *Lib.* 17. *Cap.* 7. ſtipulam *per deminutionem* ait a *ſtipa* dici, *quae vocata, propter quod ex eo ſtipentur tecta.* Stipam, aut ſtipulam, interponi vaſis, tranſlatamque vocem a navibus, notat Servius ad *Aen.* 1. *v.* 437. Hinc *ſtipare*, id eſt, denſare, et *ſtipatores*, v. Idem ad *Aen.* 3. *v.* 464., confer Feſtum. *Stipulam viridem*, *culmum* interpretatur Serv. *ad Georg.* 1. *v.* 315. Quaſi *uſtipulam* dictam ſcribit Iſidorus *Lib.* 17. *Cap.* 3. Pro *ſtipulatione* poſterioribus *ſtipulam* uſurpatam notat Du Cange. Apprime vero huc facit ſententia Varronis, qui *Lib.* 4. *de Ling. Lat. prope finem. Stipendium*, ait, *ab ſtipe dictum, quod aes quoque ſtipem dicebant: nam quod aſſes librae pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt, componebant, quo minus loci occuparet: a ſtipando ſtipem dicere coeperunt.* *Stipare* ab *στειβειν* *fortasſe*,

se, *Graeco vocabulo. Id apparet, quod, ut alias, tum institutum etiam nunc est, Diis cum thesaureis asses dant, stipem dicunt, et qui pecuniam alligat, stipulari, et restipulari.* Quam *cellam* appellat Auctor, intellige, non cellam templi, in qua et donaria reponi solebant, vid. Sueton *in Aug. Cap.* 30., sed cellam privatam, domesticam, in qua, propter gravitatem et amplitudinem ejus, aes grave condere consueverunt Romani, quod et aliquando plaustris secum circumducere mercaturi soliti fuerunt, quandoquidem in sacciperio, imo neque in arca, id condere potuerunt. Thesauros suos commendasse veteres, si in templis depositam pecuniam abdidissent, Numini templi illius, cui aedes ipsa dicata erat, si in sepulchris, Manibus, si in aedibus suis, Laribus, dirasque imprecatos fuisse furibus, manifeste constat. Consule Patrem *ad Avian. Fab.* 12. *v.* 6., et Murator. *Inscript. Tom.* 3. *pag.* 1298. *num.* 5. Daemones thesauris incubare crediti, v. Jac. Gothofr. *ad C. Th. Tom.* 3. *pag.* 516. Verum haec quidem nostro loco vix videntur convenire. *Thesauros* accipio vasa, in quibus reponi solebant pecuniae sacrae. Athenis domus quaedam, in qua recondebantur eae, θησαυρος dicta, vid. Fabric. *ad Terent. in Eun. Prol. v.* 10. Cistam ejusmodi confecisse narratur Sacerdos Jojada *Lib.* 2 *Regum Cap* 12. *c.* 9. Marcus *in Euang. Cap.* 12. *c.* 41. appellat γαζοφυλακιον, itemque Lucas *Cap.* 21. *c.* 1., τον κορβαναν appellat Matthaeus *Cap.* 27. *c.* 6., voce Syriaca in Graecam flexionem deducta. Thesauri denominationem sic refert Isidorus 16. 17. *Thesaurus juxta Graecam proprietatem* απο της θεσεως, *a positione, hoc est, a reposito nominatur: nam* θεσις *positio dicitur: et est nomen ex Graeco Latinoque sermone compositum: nam* θες (rectius B et P habent *thesis*) *Graeci repositum dicunt*, χρυσον *aurum, quod junctum sonat, repositum aurum.* In dictis est: απο της θεσεως . . . . *dicunt: Latini autem quod.* . . . . Thesauros vestium memorat Lamprid. in *Alex. Sev. Cap.* 40. ubi v. Salmas. Pessimae etiam rei thesaurum dici posse observat Nonius *Cap.* 6. *Num.* 45. Julius Obsequens *de Prodigiis Cap.* 106. *Populus stipem, matronae thesaurum, et virgines dona Cereri et Proserpinae tulerunt.* Jo. Scheffer in *not. ad l. c. stipem* assium fuisse putat et monetae aereae, *thesaurum* vero auri vel argenti. Verius est, thesaurum dictum fuisse cistam, arcam, loculum, in quo pecunia servanda deponitur, ut, usu exigente, praesto ea sit nobis ac parata. Hodie appellamus *een spaarpot.* Fuerunt autem, quae dixi, vasa illa ejus altitudinis, ut stans stipem potuerit inmittere, injecta stiparentur, id est, cumularentur. *Thesaureis* more suo dixit Varro pro *in thesauris:* eodem modo ibidem *tabuleis* scriptum pro *tabulis.* Uti autem in omni olim obligatione vinculum solebat intercedere, quo intelligeret rude vulgus, constringi se ad faciendum aliquid, vel dandum, ita et in stipulatione, qui contractus fuit strictissimae interpretationis, alligatos fuisse contrahentes mirum non est, quo perciperent, promitti tantam pecuniae summam, quanta alligata fuerat. Stipulatur, qui ita interrogat: *hoc mihi dabis?* restipulatur, qui respondet, *dabo.* Vide Cajum *in Inst. Lib.* 2. *Tit.* 9. §. 2. Dicta forte olim stipulatio de sola stipis, id

id est, pecuniae promissione, translata vero dein ad quamcunque solennem verborum obligationem. *Stipem* scribit Festus *esse nummum signatum, testimonio esse stipendium* vocem, et *stipulari, quod dicitur, cum spondetur pecunia.*

Spe longius occupatum tenuerunt auctorum veterum opiniones. Sententiis recentiorum non immorabor, quorum nonnulli ex Graeco fonte derivandum esse vocabulum statuunt, plerique Auctoris nostri propositam derivationem, ut jejunam ac nugacem cavillantur. Sic solent plurimi ridere quae non intelligunt, risu suo intempestivo peritioribus ignorantiam suam manifestantes, ac prodentes. Mihi quid videatur, exponam paucis. *Stips*, aut, quod idem est, *stipes*, (utrumque enim dictum fuisse olim, dubitari vix potest,) est nummus signatus: Terminatione, non significatione olim differebant *stips*, *stipes*, *stipis*, hinc in Glossis Cyr. στυπος, *stips*, perperam *stipes* substituit Martinus *in lex. v. stipes.* In Glossis Servii est: *stips*, εραvες, ελεημοσυνη. In iisdem exstat: *slips* (legendum *stips*) φλοιος, vox corticem denotat fragilem. A *stipe* descendit diminutivum *stipula*, quae est nummus parvus: hinc *stipendium*, a stipe appendenda dictum, aes, quod militi datur: hinc *stipulatio*, promissio stipis, in qua intercedebat stipulae, id est, nummuli, fractura. Dimidiati ejusmodi nummuli etiamnunc supersunt plurimi, signati plerique Augusti Caesaris et M. Agrippae aversis capitibus. Hos tamen tesserae hospitalis potius, quam stipulationis symbolum praestitisse existumem, siquidem constat, Augustum inter et Agrippam maximam intercessisse amicitiam, aut dicam potius necessitudinem. Confer quae de his scripsit Auctor anonymus in *eerste brief over byzondere Nederlandsche oudheden pag. 51. sq.* De tessera tali Graecis usitata insignis est locus Scholiastis Euripidis in *Hippolyto:* Οι μεν ξενουμενοι τισιν αστραγαλον κατατεμνοντες, θατερον μεν κατελιμπανον υποδεξαμενοις, ινα, ει δεοι, παλιν αυτους, η τους εκεινων, επιξενουσθαι, προς αλληλους επαγομενοι ημισυ αστραγαλιον ανενεουντο την ξενιαν. Hoc est: *illi, qui hospitio ab aliquo excipiebantur, tesseram* (αστραγαλοι proprie sunt tali, unde αστραγαλιζειν, et αστριζειν, *talis ludere.* Vid. Pollux *in Onomast. Lib. 9. segm. 99.*) *secantes, alteram partem ejus relinquebant iis, qui hospitio exceperant, ut, si res ferret, ut ipsi denuo, aut eorum familia, mutuo invicem inter se hospitio uti vellent, composita inter se dimidiata tessera, hospitalitatem renovare possent.* De Romanorum tesseris hospitalitatis, quas frangere potius, quam secare eos consuevisse, apparet ex nummis hodie superstitibus: notabilia in primis sunt, quae Plautus habet in *Poenulo Act. 5. Sc. 1.*

Deum hospitalem, ac tesseram mecum fero.

Unde liquet, tesseram, Dei alicujus imagine signatam, secum ferre solitos Romanos, quo agnoscerentur ab iis, qui mutuo hospitalitatis jure secum uterent-

rentur. Diis hoſpitalibus, et Jovi in menſam libatum fuiſſe a Romanis, tradit Servius ad haec Virgil. *Aen.* 1. *v.* 735.

Juppiter, hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.

Teſſeram hanc compoſuiſſe inter ſe hoſpites, teſtatur Comicus *l. c. Sc.* 2.

Poe. *teſſeram*
Conferre ſi vis hoſpitalem, eccam attuli.
Ag. *Agedum huc oſtende: eſt par probe.*

Symbolum etiam bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur, ſcilicet propter confuſionem, id eſt, ut ſocii agnoſcant ſeſe, neque confundantur cum hoſtibus, *teſſera* dicta, expreſſam plerumque habens imaginem Numinis cujusdam, *ut fuit in exercitu Marii, Lar Deus, in Syllae, Apollo Delphicus, in Caeſaris, Venus Genitrix*, quod teſtatur Serv. ad haec Virgilii *Aen.* 7. *v.* 637.: *it bello teſſera ſignum.* Hinc puto explicanda Iſidori noſtri verba *Libro hoc* 5. *Cap.* 7.: *foederis faciendi nexus;* nexus igitur et in foedere interceſſit, dextrarum forte, *ſigno dato*, hoc eſt, teſſera, ſymbolo dato, *congreſſio in hoſtem, vel* id eſt *commiſſio: item ſigno dato receptio*, hoc eſt, ſigno reddito receptio. Teſſeras illas, Tyrtaeo duce manus cum hoſte conſerturos, Lacedaemonios dextro brachio deligaſſe ſcribit Juſtinus *Lib.* 3. *Cap.* 5. Horum ad exemplum ſub Urbano Papa III. expeditus exercitus terram ſanctam recuperaturus, crucem, teſſeram ſuam, aut pallio, aut togae adſuebat, conſpicuam vel in pectore, vel in ſcapulis, humerove dextro. Conſule Matthaeum in *Anal. Tom.* 2. *pag.* 16. Arram etiam exponit Julius Pollux *Lib.* 9. *Segm.* 70. συμβολον βραχυ νομισματιον, ημιτομον τι νομισματος, *ſymbolum nummulum parvum, ſemiſectam nummi partem.* Apud Lacedaemonios foeneraturos diviſiſſe σκυταλην teſtibus duobus praeſentibus, ac ſcripſiſſe ſtipulationem, ſive pacti conditiones in utraque fracti ſymboli parte, ejusque alteram partem dediſſe alterutri teſtium, alteram dimidiam penes foeneratorem manſiſſe, obſervat Vir Summus T. Hemſterhuſ. ad Pollucem *l. c.* Neque vero ſilentio praetermittendus eſt mos majorum noſtrorum, qui et in ſtipulationibus ſuis dimidiatis ſymbolis uſi fuerunt. Servantur in cimeliarchiis Inſulae Dei, quod eſt γηροντοκομειον in Urbe patria, nomine ſuo jam ab longiſſima inde annorum ſerie celebratiſſimum, cujus penes me eſt negotiorum adminiſtratio, pacta locationis plurima antiqua, ſcripta pleraque ſaeculo XV, et proxime inſequenti, quae in calce, aut in latere inſtrumenti circumſecta dimidiatas referunt alphabeti priores litteras. Solebant autem locatores ejusdem argumenti in una eademque charta conſcribere bina locationis pacta, ſubſcriptaque ea (pauciſſima tamen vidi ſubſcriptione firmata, rara ſiquidem ea aetate fuit ars ſcribendi) dividere litteris alphabeti prioribus: eorum autem circumſectorum ita, ut utraque pars dimidium litterarum reti-

retineret, alteram partem conductori tradere, alteram penes se servare, ne fraus fieret, atque ut, contentione orta, utraque scriptura composita, integrane esset et immutata ea, possent dijudicare: in calce autem syngraphi his similibusve verbis cavere consueverunt: *van deeser celen syn twee uyt den anderen gesneden door de letters A B C D, daar wy elk een van hebben.* Membranae ejusmodi medio aevo *chirographa* vocabantur, et *chartae indentatae.* V. Auctores citatos a Mazochio *in Tab. Heracl. pag. 165. num. 1.*

II. Miraris symbolum alligationis testium, promissorumque, et stipulae fractae: cogita, quaeso te, familiae, liberorumque mancipationem, per aes et libram factam, eorundem, item servorum manumissionem. *Conjuges appellati*, (verba sunt Isidori nostri *Lib. 10. Cap. 8.*) *propter jugum, quod imponitur matrimonio conjungendis: jugo enim nubentes subjici solent, propter futuram concordiam, ne separentur*, ut intelligerent conjuges, conjunctos esse se ac copulatos matrimonio, id est, individua vitae societate. Taceo coëmtionem, confarreationemque. Possessionem apprehensurus pedem inferre solebat finibus, v. *L. 18. §. 2. D. de Acq. vel am. poss.*: quin et sedes dicis caussa posita fuit, in qua emtor a venditore collocabatur, ceu ex *L. 1. §. 2. D. eod.* colligit Hottom. *Ill. Quaest. Cap. 11. et 12.*, adde Otton. in *Jurispr. Symb. pag. 231.* Debitoris mortui, itemque occisi hominis, in cujus locum successit postea vestis feralis, hoc est, qua neci datus postrema usus fuit, manus, lite orta, in judicium olim adlata, cujus consuetudinis in jure nostro hodierno supersunt vestigia. Alia de *manus mortuae* significationibus variis notavit J. G. Schottelius *de antiquis in Germania juribus. Cap. 2. Sed haec ἐν παρόδῳ.* De brachii in collum missione, et comae adprehensione, solenni et antiquo ritu tradendi semet in servitium, aut potius, quasi in servitium, tale puta, quale olim Liti subire solebant, deditidiis non plane dissimiles, v. A. Siccama *ad leges Frisionum Tit. 1. pag. 17.*

Pacta sua et contractus dextrae datione, adhibitis aliquando proxenetis et testibus, celebrasse Suedos, iisdem mancipationis symbola fuisse tactum baculi, vel pulveris, aut partis terrae venditae in sinum excussionem, aut inmissionem, narrat Loccenius in *Antiq. Sueo-Goth. Lib. 2. Cap. 16.* De manumissione apud Cimbros, vicinosque populos, per sagittam, adoptione per arma, nonnunquam etiam, quod honorarium illis fuit adoptionis genus, inciso adoptati capillo, barbaque, de translatione denique dominii, apud eosdem per arma facta, tradit P. F. Arpi in *Themid. Cimbr. pag. 271.* Sicuti enim Romani, gens olim inculta, unice ruri colendo operata, imo pleraeque fere caeterae nationes, a rure mutuatis symbolis optime moneri docerique existimarunt cives suos, quid rei fieret, (unde et in plurimis linguis superesse etiamnum a rure, ab armentis, et pecoribus desumtas appellationes multas honestissimas, est manifestissimum. De vernacula nostra exemplo sint *gemal*, *var*, alia. Latinorum vocabulorum inde repetitorum innumera ferme est copia. Vide quae scripsit Pater in libro singulari *de Nominib. Cap. 16.*) ita populum bellis armisque assuetum symbola sua ab armis potissimum mutuatum esse, mirum videri nequit. Apud Romanos quoque ex bello petita fuisse

fuisse haud pauca, constat. Gladium novimus insigne esse Magistratus, judicium publicum, seu merum imperium exercentis, hasta Praetoris erat: *Hastae*, inquit Festus, *subjiciebantur ea, quae publice venumdabant, quia signum praecipuum est hasta: nam et Carthaginienses, cum bellum vellent, Romam hastam miserunt, et Romani fortes viros saepe hasta donarunt.* Pontifex Maximus Vestalem cooptaturus virginem e sinu matris rapiebat, quasi bellica praeda foret, quae ilico fit capientis. Hodie etiam quae publica auctoritate fit venditio, hasta peragitur, quia in auctione emta statim optimo jure cedunt emtori, quasi praeda in bello capta. De symbolis, seu tesseris, atque indiciis divinitatis consule Seldenum *de Diis Syris pag.* 49. *sq.* Quid memorem annulos, quos, quoniam frequentissimus eorum usus fuit in symbolis, ipsos quoque Graecis aeque ac Latinis *symbola* dictos fuisse, testatur Plinius *Nat. Hist. Lib.* 32. *Cap.* 1.? Confer Fratrem *in Obs. Cap.* 13., quo loco de annulorum symbolis ex professo agit. De symbolo, quod judicaturis in dicasterium ingressuris dari solebat, v. Suidas in v. Συμβόλαιον, et Δακτυλιος.

Praetereo arras, aquae et ignis usum ex civitate ejiciendis interdictum, sanguinis in conjuratione libationem, animalia certa una cum parricida culleo insuta. Salem amicitiae symbolum habitum, notat J. P. Tomasinus *de tesseris hospit. Cap.* 13. Sileo innumera symbola in ritu nuptiarum usitata. Urbem novam conditurus tauro et vacca, dispari sexu juvencorum, arabat, propter commixtionem familiarum, et imaginem ferentis fructumque reddentis, teste Isidoro *Lib.* 5. *Cap.* 2. Mandatum dictum a manu danda, quod olim in commisso negotio alter alteri manum dabat. V. Idem *Lib.* 4. *Cap.* 24. Hodie quoque bonis cedentes zonam solvere, et *zonam abjicere* pro bonis cedere, vulgo usurpari, notat H. Bignonius *ad leg. Sal. Tit.* 61. Idem calceum dominationis notam fuisse antiquitus, ac Galliae ritu usitatum fuisse, sponsae dari annulum, osculum, et calceamentum, ostendit *l. c.* Helvetios vidimus ferali sententia pronuntiata bacillum atratum frangere, ac projicere solere ante pedes ad mortem condemnati rei, eoque facto, mox hominem conficere. In funere quoque Regum Galliae fustem frangi, tradit Fr. Pithoeus *ad leg. Sal. Tit.* 63. Moribus nostris plurima etiamnunc symbola in usu esse novimus. Juris docendi facultatem adepturo Corpus Justinianeum meminimus apertum ostendi, mox clausum, pileum capiti imponi, annulum digito inseri, ex inferiore ad superiorem locum adscendere juberi promovendum. Pignorationem facere jussum lictorem, virgam publicam apprimere rei pignorandae, arrestum homini, (venia sit verbis, quae usus in honore esse voluit, aut, si mavis cum Cicerone me loqui *de N. D.* 1. 24., quae licet dura usu nobis mollienda sunt) corpori eandem admovere moris est. Gladius imperii nota, idem fractus infamatum, super caput rei elatus, morte tantum non dignum judicatum eum significat. Vexillum contra super caput vibratum honestis hominibus accensendum quem indicat. Laqueus collo alligatus suspendio, virgae collo suspensae flagellis dignum manifestant. Mitto ignominiae notas, asino ligneo applicari solitos delinquentes, in claustro circumagi meretrices, adulteros saxa portan-

 tes

tes publice duci, *schandsteenen* appellamus, qualia in plerisque patriae nostrae Curiis etiamnunc servantur. Oscula intercessisse in remissione sive redemtione homicidii, constat ex nostrate *zoenen*, vocabulisque inde deductis.

III. Effestucatio, qua de dixi *ad Ulpianum pag.* 75., quo ritu, quibus symbolis peracta olim fuerit apud majores nostros, optime manifestatur in libro MS. antiquo, qui servatur in Academia Leidensi, quo continentur *Privilegien*, *Statuten*, *Vryheden*, *ende Stadreehten der Stads Cleve*, qui sic exhibet titulo *van Veisting t doin*, (id est, de effestucatione facienda, hinc *vest-halm*, festucam effestucationis interpretatur Kilianus): *Die Richter sal neemen een halm in syn hand, und geevent denselve die verthyen sal*, (Kilianus exponit *vertyden*, *vertygen*, abnegare, renuntiare juri et actioni, vulgo *resignare: vertyden met den halm*, vulgo *effestucare*) *en seggen dan: syt gy daarom hier, dat gy wilt opdragen als* (forte *aan*) *myne handen, als die schryver beteyckenen sal, alle alsulcken handgoet in behoef van coopmans? soo segt hy ja. So neemt die Richter dat halm van eun, unde hald dat, und geeft aan den geene die verthyen sal een ander halm in die hand, und segt: heyet* (legendum puto *schyet*, hoc est, jaculare, projice, manu emitte. Hinc *den halm schieten*, Flandri dicunt: *stroyken werpen*. Consule Kilianum in voce *Halmgoedinge*, quam exponit infestucationem, investituram, calamo, surculo, virga, sive stipula, aut etiam fuste, veteri more, unde *stokleggingе*. Meminit idem membranarum antiquarum, quae sic habent: *Tu Pascuti* venditor *fuste illum investito: Tu Segniti* emtor *fustem ipsum manu capito*) *van u, ende segt: ik verthye daarop. Soo vraagt die Richter den Schepenen: Syndemaal dat hy alhier staat, und draagt op aan myne handen alsulcken handgoet, als daar benoemt staat, mit allen brieven daar van sprekende, in behoef N vel N und synen erven, unde verthyet daarop met hand, halm, en mond, soo vraagt N vel N en oer erven daar wel aan mag erven, en oer daar aan onterven na onser Stadrechten: Soo seggen die Schepenen: Ik wil raemen:* (consilia conferre, sententiam formare, secundum Kilianum) *nademaal etc. Und als die Schepen dan uytheeft, soo segt die Richter tot den anderen Schepenen: volgt die des? soo seggen sy ja. Soo segt die Richter: wilt dy onse gerechtigheyt geeven? soo drage ik op aan uwen hand alsulcken handgoet, erfelyck en eeuwelyck, te besitten und toe gebruyken, mit allen brieven daar van sprekende, behaltelyk doch een yder andere syne goide voerrechten, die daar voer aan gerechtigt syn, sonder deese selven, die daar nu op vertegen hebben als recht is, unde die Richter sal dat eerste halm geeven denselve den dat gevestigt word. Ist dan, dat die Coopman dat overgeven wil, soo sal die Richter dat halm neemen van den Coopman, unde seggen toe den Coopman: gy wilt dat deesen overgeven in gelycke formen als gy dat ontfangen hebt? soo segt hy ja. Soo geeft die Richter dat halm den anderen weder, en segt: soo drage ik u aan uwen handen alsulcken goit mit allen brieven daar van sprekende, erfelyck ende eeuwelyck, t hebben, t besitten, en te gebruyken, behaltelyck eenen anderen syn goiden voerrechten, die daar toe vooren aan geregtigt waren, sonder die geene, die daar nu mit recht op vertegen hebben.*

IV.

IV. Effestucationem alio nomine *scotationem* dixere Germani, Danique: unde descendat vocis origo multum inter se disputant Eruditi. A Germanorum *schutt*, hoc est, terrae gleba, deducendam arbitrantur aliqui, alii a voce Danica *skiode*, quae *mancipare* denotat, derivandam censent, alii aliunde: videsis Doctiss. Eckhardum *in Herm. Jur. pag.* 282. Dictum mihi videtur vocabulum a *schieten*, quod nostra lingua jaculari, manu emittere significat: hoc quo credam, faciunt, praeter ea, quae supra hac de re disserui, verba Waldemari I., quem in *Lib.* 4. *Cap.* 13. *Legum Scaniae* ita constituisse refert Du Cange in v. *Scotatio*, ex versione Andreae Suenonis: *In venditione terrarum ad translationem dominii necesse est, ut interveniat quaedam solennitas, in qua terrae modicum emtoris pallio, extento manibus adsistentium, qui, si factum revocetur in dubium, perhibere possint testimonium veritati, apponit venditor, qui designatam terram, quam distrahit, in emtorem, in ipsius se transferre dominium profitetur. Haec autem solennitas ex vulgari nostro producto vocabulo competenter satis potest* SCOTATIO *nominari.* In formula apud Marculfum *Lib.* 1. *Cap.* 13. est: *sua spontanea voluntate nobis per festucam visus est werpisse, vel condonasse*, ad quem locum vide H. Bignonii notas, in quibus de variis traditionum symbolis, itemque de festuca *werpienda*, hoc est, emittenda, egregie disserit, *pag.* 273. *seq.* In legibus Salicis exstat Titulus 48. *de afatomie:* Glossae exponunt, *de donationibus, quae fiunt festuca, in sinum ei, cui donabatur, projecta.* V. Fr. Pithoeum *ad d. Tit.* Hinc *in laisum*, id est, in sinum, *jactare festucam*, plus semel est in *d. Tit.* Quid, quod et hodiernis moribus in Gelria nostra, in regione Zutphaniensi, supersit etiamnunc consuetudo, venditorem, rem immobilem coram Praetore alienaturum, projicere festucam rei venditae, emtorem dein festucam in terram projectam repetere, eoque facto dominium rei a venditore ad emtorem transiisse censeri, teste certo Jod. Schomakero, JCto celeberrimo, *in Consil Part.* 4. *Cons.* 19. *Num.* 82. *sqq.*, quo loco addit quoque de propinatione poculi, antiquo traditionis symbolo. *De adframire*, quo de dixi *pag.* 140., titulus est 49. in Lege Salica. Appellatur alias *de affatomie*, quam *traditionem* interpretatur Capitulare Regum Francorum *Cap.* 3., *in inscriptione Cap.* 10. Frequens est in legibus antiquis Germanicis vox *adbramire*, v. indicem subjectum Heineccii *Corpori Juris Germanici.* In Lege Salica *Tit.* 58. §. 3. *festucam accipere* dicitur is, qui de fide non servata queritur apud Gravionem.

V. Induci se postulans domum litigiosam praesentibus Scabinis januae cardinem, vel potius orbem, quo aperitur illa et clauditur, movere debuit ex jure municipali Daventriae, quo ostenderet, dominum se esse, ac possessionem domus nancisceretur. *Stadr. van Deventer* 2. *Deel. Tit.* 5. *Art.* 2. *Ende sal voortaan onnodig zyn, dat de twee Straatschepenen sig vervoegen ter plaatzen, daar de gront gelegen is, om den Clageren den rink te doen roeren, maar sal de acte door een Secretaris in 't boek van Inleydinge worden getekent op het Stadhuys.* Confer *Landregt van Overyssel* 1. *Deel.* 8. *Tit. art.* 8. ibique C. Nessink. Inductiones olim, eductionesque ex moribus antiquissimis in loco rei-

 sitae

sitae fieri debuisse constat ex *ll. cc.*, adde *Landr. van Veluwen Cap.* 14. *Art.* 2. *et* 19., ubi de apprehensionis naturalis solennitatibus consule Schraffert. Confer quae notavi *pag.* 75. Romae vindicationes in loco controverso factas fuisse, scimus, hinc Cicero *de Off. Lib.* 1. *Cap.* 10. *si constitueris te cuipiam advocatum in rem praesentem esse venturum*, adde Graevium *d. l.* In finium regundorum judicio quoque in locum litigiosum itum fuisse a judicibus, sive arbitris, actore item et reo, manifestat historia Q. Fabii Labeonis, quam ibidem narrat Tullius. Rei immobilis possessionem ac dominium tradituros majores nostros, publice in loco rei sitae coram Praetore, adsessoribus, ac testibus, ex solo vendito egressos fuisse, apparet, ni fallor, ex sequenti instrumento: *Ik Diderick van Huessen, Amptman s Greve van Cleve tot Huessen en tot Malborch, make kont en kenlick allen luden, die dese brieff soelen syen off horen lesen, dat voor my tot Malberghen, als voer eene geseten Richter, en voer gerichtsluden die hyr nae beschreven staen, als Frederick van den Duve, Evert Hoyke, Derik Cluen, en anders veel gueder lude* (in plurimis ejusmodi chartis additur: *dye dit meede sagen en hoerden*) *comen is Jutte Dughers dochter van Aernhem, ende heeft opgedragen, mit oeren gecoren momber* (in multis adjungitur: *die oer met vondenis dierselver Gerichtsluiden van my gegeven wart*) *en mit oeren vryen wille onbedwongen in allen manieren als si van recht opdragen solde en mocht, ende also als dat recht tot Malbergen gelegen is, Heren Johan van Wesel, Priester, in behoef des Gasthuys te Sente Katherine tot Aernhem, sestien mergen lands en twe hont, mit allen rechte, alsoe als oer die toe behoerden, en alsoe als die gelegen syn in den Kerspel van Malbergen, en hoe dat voers lant genoemt is, mit alle sine toebehoren, in alsulcken manieren, dat dat voers lant mit alle sine toebehoren ewelic ende erfelic bliven sal aen den Gasthuse tsente Katherine voers., ende in finen orber te keren, sonder eenigerhande aansprake Jutte voergl, off oere erven hier namaels, en daar heeft si plecht op vertegen, en alsodaen vertichtenisse gedaen, als dat recht daar af gelegen is, en is des uytgegaen, alsoe dat si nyet meer rechtes daaraan behalden heeft. In orkonde hyer aff soe heb ic Deric van Huessen voers, om beden wille Jutte voers, desen brief apen besegelt mit myne zegel, gegeven int jaer onss Heren dusent driehondert een en vyftig, des goedensdagh nae Sente Jacobs dagh des Apostels.* Apud Marculf. in *Form. Vet. Cap.* 19. dicitur *exitum fecisse*, ubi v. Bignonium. Dumbar *in Analectis part.* 2. *pag.* 217. mancipationis formulam proponit, anno 1407. perfectae, in qua est: *ende ghynget daer uyte mit hande ende mit monde, ende scholdent quyt mit oplatinge ende mit vertichnisse.* Quod festucae mentio facta non fuit in superioribus, idem omissum observavi in plurimis, in quibus manus tantummodo et os memorantur. *Oplatinge* accipio *openlatinge*, ut scilicet vacuam domus possessionem adprehendere possit novus dominus, eamque intrare.

Memorabilis est mos, qui obtinuit ex lege Ripuariorum *Tit.* 60. §. 1. Accipe ipsa Constitutionis verba: *Si quis villam, aut vineam, vel quamlibet aliam possessiunculam ab alio comparavit, et testamentum* (intelligo *testimonium*, de significatione et permutatione vocabulorum horum dixi antea) *accipere non* po-

potuerit, si mediocris res est, cum sex testibus, et, si parva, cum tribus, quod si magna, cum duodecim, ad locum traditionis cum totidem numere pueris accedat, et sic eis praesentibus pretium tradat, et possessionem accipiat, et unicuique de parvulis alapas donet, et torqueat auriculas, ut ei in postmodum testimonium praebeant. Notissimus antestationis ritus, qui apud Romanos obtinuit. Idem mos Bajuuariis usitatissimus fuit. Vid. leges eorum *Tit.* 16. *Cap.* 2. *et* 5. Vindicationis solennia ac symbola, quae in usu fuere Quiritibus, pauci ignorant. Equus apud Germanos quo ritu, quave festivitate potius dicam, fuerit vindicatus olim, ex jure Magdeburgensium municipali, et Glossa ad *spec. Saxon. Lib.* 2. *Art.* 36. ostendit C. F. Hommelius *in Jurispr. num. ill. p.* 185. Quod si tristiorem aliquando risum te juvat movere, legisse non poenitebit Ejusdem Viri Egregii Orationem *de jure arlequinizante*, qua consuetudines populorum ludicras, legesque ridiculas lepide ac festive proposuit.

VI. Mancipationes avorum nostrorum dum loquor, haud alienum visum fuit addere sponsionis formulam, qualis interseri plurimum, atque accedere solebat instrumento alienationis, nonnunquam etiam mox post rem in loco rei sitae traditam coram judice domicilii separatim praestabatur. *Obstagium* dixit aetas posterior, *obsidesque* vocavit praedes ejusmodi, qui dari consueverant, ut, si is, pro quo spoponderat, pacto defecisset, evictionemve praestare recusaret, in diversorio quodam constituto, impensis ejus qui stipulationem commiserat, viveret, beneque se curaret, ac conquiesceret, usque dum promisso satisfactum fuisset. Vid. Du Cange in v. *Obses* et *Obstagium*. Ex centenis unum adferam exemplum. *Wy Wynant Stuer en Gerselys van Aller, Scepenen tot Arnhem, tugben myt desen apenen brieve, dat voer ons comen is in Scependom Johan Ter Laer, en heeft gelaeft Heren Derick, Johans Zoen, Provisoer des Gasthuys t sente Catherinen t Arnhem, tot behoeff des Gasthuys voers, te waren jaer en dach dye X bont en LXXI roeden lants, dye hy hem vercoft heeft na angbetont des Richtersbrief van Betuwen, dye daarop gemaket is, teeghen alle den ghenen dye dos ten recht comen wyllen, en allen voercommer af te doen als erffcoeps recht is: hier voer syn borghen myt ghesamenderhant Sand dye Rademaker, en Florens van Amb, in deesen manieren: als waer t sake, dat in desen puncten voers enig gebreck were, soe soelen ter maninge Heren Dericks voers, of des Provisoers t' syt des Gasthuys voers, tot behoeff des voergl Gasthuys, dese voergl borgen yncomen tot Arnhem in een eersame herberge, daer men se yn wysde, daar yn te gader liggen leysten hem selven te wynen en te quiten by den weerde, en uyt ter leystingen nyet te sceyden, daer en were yrst genoech gedaen van alsulken ghebreke als daar were: en storve der borghen enich hier en bynnen, men soude enen anderen alsoe goeden borge weder setten in des doden stede, onder pene der leystinge voers: voert-soe heeft Johan voers syn voergl borgen gelaeft scadeloes te houden tot oers selves simpelen seggen. In oerkond des briefs besegelt myt onsen segel. Gegeven in t jaer ens Hn MCCCXCIX op Sinte Thomas avont.* Confer formulam quam profert Mieris in *Charterboek van Holland part.* 1. *pag.* 570.

Longiores ne quem forte offendant morae nostrae, redux ab ambagibus, quo secedere haud quidem invito persuaserat locorum propinquorum amoe-

 nitas,

nitas, relictis caeteris, quae progredientem possint retrahere, in viam protinus revertor. Malo enim e segete ad spicilegium stipulam reliquisse videri, quam reprehendi ob id, quod de hoc genere nimis multa scripserim. Idcirco, quamvis superesset longa rerum argumentorumque series, quae ex alio alia nectuntur, ne labar longius, memet retineo.

CAPUT SEPTIMUM DECIMUM.

Commentaria ad Isidorum. I. Varro *emendatur*. Cupiditas. Cicero *explicatur*. Commendare *de pignore*. II. Internecies. Internecivus. Internecinus. *Exponuntur* Cicero, Festus, *et* Livius. Internecinum testamentum, testimonium. Internecini actio, judicium. III. Inscriptio in crimen. *Explicatur* L. 14. C. Th. de Accus. et Inscript. Testamentum *et* testimonium *confunduntur*. IV. Furti poena antiqua. *Exponuntur* Servius *et* Theophilus. *Tentatur* L. 4. §. 1. D. de Re Milit. Capitis *et* capitalis poena *de servitute*. Pervasio. Sertum, Serta, Serra. Lautumia.

I. *Sacramentum*, sic pergit ibidem Isidorus (*Lib.* 5. *Cap.* 24.) *est pignus sponsionis.* Elegantissimus est, at corruptus, credo, Varronis locus *Lib.* 4. *de Ling. Lat. prope finem. Ea pecunia, quae in judicium venit in litibus, Sacramentum a sacro: qui petebat, et qui inficiabatur de aliis*, (forte *sacris*) *rebus, uterque quingentos aeris ad pontem* (lego *ad*, id est, apud, *Pontificem*, ita *ad Consules, Praetores*, alios, *profiteri* frequens est locutio in monumento antiquo, quod refert A. S. Mazochius *in Tabulas Heracleenses pag.* 303. *sq.*) *deponebant, de aliis rebus item certo alio* (reponam *certabant*) *legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibat.*

Cap. 25. *Hereditas est res quae, morte alicujus ad quempiam pervenit, vel legato testamento, vel possessione retenta.* Praeferam *legata*. In G. est *vel testamento.*

Possidet autem juste, qui non irritatur cupiditate. Petiti editio habet *irritetur*, G. et B. *irretitur.* Philosophum magis quam Jurisconsultum hic agit Auctor. Innuit bonae, malaeque fidei possessores. *Cupiditatem* intellige improbum appetitum, avaritiam. Ita Cic. *de Off. Lib.* 1. *Cap.* 8.: *in maximis*

nimis animis, *splendidissimis ingeniis*, *plerumque existunt honoris*, *imperii*, *potentiae*, *gloriae cupiditates.* Suet. *Vespas. Cap.* 16. *Sola est*, *in qua merito culpetur*, *pecuniae cupiditas.* Ibidem *Cap.* 19. *pristinae cupiditatis infamia.* Adde *in Domit. Cap.* 9. *cupiditatis quoque atque avaritiae.* Caeterum eleganter quoque usurparunt veteres vocem pro nimio animi fervore. Cicero *Fam.* 4. *Ep.* 1. et 6. 6. et 16. 11. Idem *de Offic. Lib.* 1. *Cap.* 10. *ne cupide quid agerent*, *nec appeterent*, interpretor, immoderate, nec avare. *Cupiditatis culpam coërcere* dixit Ulpianus in *Collat. Leg. Mos. et Rom. Tit.* 1. §. 11. accipio jam inconsultum calorem, affectum, quem nominare solent nostri *drift*, *passie.* Pari significatione Cicero *de Nat. Deor. Lib.* 2. *Cap.* 59: *Hac eloquentia gestientes comprimimus*, *hac cupiditates iracundiasque restinguimus.*

Familia hercifcunda, utraque editio exhibet *familiae hercifcundae*, in G. quoque est *ercifcunde*, ut et mox *hercifcundae.* Pro *communis divisio* eaedem habent *communi dividendo*, G. dat *commune dividendo. Finium regundorum actio dicta . . . . dummodo* (addo *de*, aut idem subintelligo) *non angustiore quinque pedum loco ea controversia sit.* Ex Solonis lege, Romae recepta, arborea, praeter oleam aut ficum, ad pedes quinque ab alieno solo plantare oportebat. Vid. *L. ult. D. fin. regund.* Eo fortasse respexit Noster. Non est ergo, si levissima hac, atque, uti mihi quidem videtur, valde probabili, non dico mutatione, sed quasi geminatione, Isidorum adjuves, eique suum reddas sensum, quod acerbissimis conviciis Auctorem nostrum incessat Andr. Alciatus, JCtus praestantissimus, in *Disquisitione de quinque pedum praescriptione*, quasi negaverit is, judicium olim de quinque pedibus inter fines constitutum fuisse, quandoquidem rite indagato contextu, dubitari vix potest, id docere velle Isidorum, finium regundorum actionem dari, quando de spatio quinque pedum controversia est, non competere, si locus foret angustior. Quam ipsam sententiam magno molimine probare laboravit Alciatus. Ciceronis verba *de Legib.* 1. 21. in controversia de finibus *usucapionem XII tabulae inter quinque pedes esse voluerunt*, quae scriptorum librorum est lectio, sic intelligo: usucapio competit ex jure antiquo, dummodo de spatio sit controversia, non angustiore quinque pedibus. Quinque etenim pedum spatium tam ex lege Decemvirali, quam Mamilia, intercedere debuit inter fundos vicinos, neque usucapi poterat. Res haec est difficillima, quam tetigi potius, quam pressi. Aliorum conjecturas videbis ad l. Ciceronis c. Confer Doctiss. Ritter. *ad Heinecc. Hist. Jur. pag.* 185. Noodtius *Obs.* 1. 6. legit *augustiore.*

Res credita est, *quae in obligatione* (dictus Codex, et memoratae editiones exhibent *obligationem*) *ita deducta est*, *ut ex tempore*, *quo res* (vocem hanc omittunt eaedem) *contrahebatur*, *certum sit eas* (*eam* habent omnes) *deferri*, ibidem est *deferre*, accipio transferri: in mutuo enim ex meo fit tuum.

Commodum est, (lege *commodatum est*, pari modo in ea Petiti pro *interdictum* exstat *interdum*) *id quod nostri juris est*, *et ad alios temporaliter*, id est, pro tempore, *translatum est commodum* (in G. est *commodo*, B. effert *cū mō*,

P.

P. *cū modo*, hoc est, addito certo modo, definito tempore) *temporis, quamdiu apud eum sit, unde et commodum* (l. *commodatum*) *dictum est.*

Dictum precarium, quia prece additur, quasi precadium. In B. et P. est *auditur*, malo *aditur*, quod ipsum in Gr. C. exstat.

Arra vero est primum quod (in utraque exstat *quae primum*) *pro re bonae fidei contracta empta*, (in iisdem recte exhibetur *contractu*) *ex parte datur.* Sic exhibet G. *est*, *quae primum pro arra bonae fidei contractu.*

Hypotheca est, cum res aliqua COMMODATUR *sine depositione pignoris*, G *aliqua* ignorat, plenius est in editionibus: *sine depositione pecuniae, vel pignoris.* Hoc, credo, vult Isidorus: *proprie pignus dicimus, quod ad creditorem transit, hypothecam, cum non transit, nec* (hoc est, *ne quidem*) *possessio, ad creditorem.* Sic Ulpianus in *L.* 9. §. 2. *D. de Pign. Act.* Imperator in §. 7. *I. de Actionib.* ita exponit.: *eam rem, quae, sine traditione, nuda conventione tenetur*, hoc est, cujus neque dominium, neque possessionem adquirit creditor, at unice in ea tenet, atque habet jus persequendi pignoris ex conventione, *proprie hypothecae appellatione contineri dicimus.* Inter *commodatum* autem et *pignus* plurimum interest: *commodata* enim *res proprie intelligitur, tunc, si nulla mercede accepta, vel constituta, res tibi utenda data est*, ea lege, ut, finito usu, eadem restituatur in specie. V. §. 2. *I. quib. mod. re contr. obl.* Apparet itaque quam manifestissime, corruptam esse lectionem Isidori, quae *commodatur* exhibet. Veram Auctoris manum deprehendisse sibi videtur Ampl. Rover *in Emendat. ad gloss. nom. pag.* 84. in vetusto et emendato admodum Codice, qui repraesentat *commutatur.* At, quaeso te, quo modo *commutari* dici possit res in hypotheca, quum res obligata penes debitorem permaneat, neque quidquam transeat ad creditorem, ab una si discesseris actione hypothecaria. Mutatur res in mutuo, quia ex meo fit tuum, in hypotheca non mutatur, quia eadem res manet, idem est dominus, idem possessor, soluto quoque debito solvitur hypotheca. Convenientius Noodtius *Obs. Lib.* 2. *Cap.* 7. reponi jubet *connodatur*, vel *obligatur.* Confer Schulting. ad *Pauli Sent. Lib.* 2. *Tit.* 4. Quid si levissima mutatione rescribamus *commendatur?* millies notum est inter se permutata fuisse *commodare* et *commendare* vocabula. Sicuti autem *ad tempus alicui loco commendatum corpus* a Paulo *Sent.* 1. 21. 4. appellatur id, quod per breve tempus in aliquo loco deponitur, eo animo, ut in alium deinde locum transferatur, ac perpetuae ibi sepulturae tradatur: confer ibidem Commentatores: quo eodem refero Ulpiani dicta in *L.* 14. §. 4. *D. de relig. et sumt. fun. si quid ad corpus custodiendum, vel etiam commendandum, factum sit*, pro quo alii *communandandum* malunt: imo vero *commendare nihil aliud est, quam deponere*, add. *L.* 24. et 26. *D. Depositi.* Scimus, in jure Canonico *commendas* appellari, et *commendata beneficia*, quae jure fiduciario quis administrat, ac possidet ad tempus, quamdiu vacant: Eodem modo *commendari res aliqua* in hypotheca dici potest, quae obligata manet creditori usque dum satisfaciat debitor, non deponitur quidem res pignori devincta, sed custodia quasi, ac jus reale tamen conceditur creditori, ita, ut ex inito contractu debitor bona obligata

non

non nisi salvo jure pignoris alienare possit, alienataque cum suo onere transeant ad possessores, creditorque, si in solutione fiat mora, distrahendi pignoris jus habeat.

Haec sunt tria illa. Ususfructus autem vocatus, quia solo usu habetur ejus fructus, (in Gr. est *fructu*) *manente apud alium jure.* In aliis est: *haec sunt illa tria.* Lego: *haec sunt tria distincta*, usus puta, fructus, et ususfructus. *Ususfructus autem vocatus, quia non solus usus habetur ejus, sed et fructus.*

Cap. 26. *Injuria est injustitia: hinc est apud Comicos in jure sequi. Vel* (hoc non agnoscit G.) *injuria est, qui audet aliquid contra ordinem juris.* B. et P. sic efferunt: *Injuria est injustitia: hinc est illud Virgilii: cum Turni injuria matrem admonuit. Injuria est, qui audet.* . . . . . Innuit haec Poëtae *Aen.* 9. *v.* 107.

> *Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae*
> *Debita complerant, cum Turni injuria matrem*
> *Admonuit sacris ratibus depellere taedas.*

Τὰ *apud Comicos in jure sequi* corrupta sunt, addita fortasse ab homine semidocto. Scriptum fortasse fuit: *apud Cic. injurias persequi.* Ita Cicero: *Tu, dum tuas injurias per te, id quod non potes, persequi conaris*, teste Donato ad haec Comici in *Adelph. Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 8.

> *Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle*
> *Factam esse, hujus non faciam: crede hoc: ego meum jus persequar.*

Pro *vel injuria est* possis refingere: *videlicet injurius*, vel *injuria ejus est.*

Stuprum, id est raptus, proprie est illicitus coitus, a corrumpendo dictus, unde et qui rapto potitur, stupro fruitur. B. et P. ita exhibent: *stuprum: raptus proprie est illicitus coitus, a corrumpendo dictus:* (forte l. *a stuprando, id est corrumpendo dictus*) *unde Virgilius: rapto potitur, id est, stupro fruitur.* Exstant verba *Aeneid.* 4. *v.* 217., ad quem locum sic commentatur Scholiastes praestantissimus: *Stupro potitur: nam proprie raptus est illicitus coitus.* Idem ad *Aen.* 1. *v.* 32. *rapti* interpretatur *stuprati.* Donatus *ad Ter. Adelph.* 3. 3. 2. *Raptus*, inquit, *ad stuprum refertur.* Possis et sic reponere: *Adulterii nomen accepit stuprum. Raptus proprie est illicitus coitus, a rapiendo, id est, corrumpendo dictus.* Aut denique: *Stuprum, item raptus.*

II. *Interneciei judicium in eum dabatur, qui falsum testimonium fecerat, et ob id hominem occiderat. Accusatorem ejus possessio bonorum sequebatur. Interneciei autem significatio est quasi hominis quaedam necatio: nam propositionem inter ponebant antiqui pro E. Naevius.* . . . . Pro *testimonium* G. et B. et P. habent *testamentum*, item pro *necatio*, *enecatio*, quod postremum sensus postulat.

Caetera B. sic effert: *nam pposītionem interponebant ne. Naevius.* . . . . P. ita exhibet: *nam praepositionem inter praeponebant ne. Naevius.* . . . . Legendum conjicio: *pro praepositione E inter ponebant antiqui. Naevius.* . . . . Pro *interneciei* G. habet, *internitii*, pro *interniciei autem*, *internicium autem*, *antiqui* deest. Non est quod *interneciei* vocabulum suspectum habeamus, pro quo nonnulli *internecini*, alii *internecivi* substituunt. *Internecii*, vel *internetii*, ex fide duorum Codicum MSS. corrigendum putat Ampl. Rover *ad Fragm. vet. JCti pag.* 15, qui et ex auctoritate quatuor MSS. antiquissimorum pro *testimonium* reponendum esse contendit *testamentum.* Idem in his Livii *Lib.* 39. *Cap.* 8.: *falsi testes*, *falsa signa*, *testimoniaque*, rescribendum existimat *testamentaque*, ortumque errorem ex sigla, qua vox utraque antiquitus fuit notata, exiguo discrimine distante. Ego quidem vocabulum *testimonia* potius pro *testamenta* positum a Livio fuisse autumo, quo de pluribus dixi *pag.* 7. *Internecies* in glossis veteribus explicatur *mors*, estque, analogiam si spectes, vox minime damnanda. *Internecionem* appellant alii. In Glossis Isidori est: *Internecies*, *mors*, *jactura.* Papias: *Internecio*, *quasi quaedam hominis maxima necio*, *mors*, *vel poena.* Neque plus causae video, quod *internecivum* ubique pro *internecinum* obtrudamus, cum utramque vocem probet analogia. *Bellum internecinum* memorat Cicero *Philipp.* 14. *Cap.* 3. ex ipso interpretor, *bellum inexpiabile*, *cum interfecta sit civium multitudo.* Papias: *Internecivum bellum*, *in quo omnes perierunt.* *De improbis*, inquit Orator, *et audacibus*, *nam sic eos appellat clarissimus vir*: *quae sunt urbanarum maledicta litium*, *non injustae belli internecini notae*: *testamenta credo subjiciunt*, *aut ejiciunt vicinos*, *aut adolescentulos circumscribunt*: *his enim vitiis affectos*, *et talibus*, *malos et audaces appellare consuetudo solet.* Nullus equidem adsentiar Cujacio, qui ita vult emendari: *internecina testamenta credo subjiciunt.* Eos vere improbos et audaces dicendos esse indicat Cicero, qui bella publice movent internecina, contra Senatum populumque R., qui omnibus gladios, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiant, non eos proprie, qui uni homini litem quamvis improbam intendunt, qui testamenta falsa subjiciunt, taliaque perpetrant facinora, quibus noceant uni aut paucis. *Internectio*, ait Festus, *vitae privatio appellatur.* Idem *internecivum testamentum*, inquit, *est*, *propter quod dominus ejus necatus est.* Cujacius in *Obs. Lib.* 1. *Cap.* 2. exponit testamentum falsum, propter quod dominus occiditur, ut ex eo hereditas possit adquiri. *Internecini actionem* loquuntur Impp. in *L.* 14. *C. Th. de Accusat. et Inscr.* Varie disputant Eruditi de vocabuli significatione. Consule J. Gothofr. ad *l. c.* Missis aliorum sententiis *internecinum* expono, id quod enecat, quod neci causam dat, fatale: ita *internecinum odium*, *internecinum genus morbi*, alia, vide Lexicographos.

Internecinum itaque *testimonium* est, quo testis interitum parat adversario, contra quem falso est testatus. *Internecinum testamentum* est, quod testatori causam mortis praestitit: veluti si scriptus heres fata ejus acceleraverit metu mutandae voluntatis. *Internecini judicium* est de eo, si qua ex causa, falso cri-

crimine factove, mors alicui intentata, illatave fuerit. *Internecini actio* est, si quis accuset aliquem scelus istiusmodi perpetrasse, quo misero causam necis praebuisset.

III. *Accusatorem ejus possessionem bonorum sequi* scribit Isidorus. Talionis poena in hoc judicio locum habuit. Quod si vicisset accusator, acquirebat is adversarii bona, si vero temere accusasset, neque delatum crimen probare potuisset, eadem poena plectebatur condemnatus, qua affici debuerat reus convictus: *qui enim vel internecivi exserit actionem, vel crimen suspectae mortis intendit, non prius cujuscunque caput accusatione pulset, quam vinculo legis adstrictus, pari coeperit poenae conditione jurgare.* . . . . Vide *L.* 14. *C. Th. c.*, adde interpretationem Aniani, et *L.* 11. *C. Th. eod.*: *Nullus, secundum juris perscriptum, crimen, quod intendere proposuerit, exsequatur, nisi subeat inscriptionis vinculum: etenim, qui alterius famam, fortunas, caput denique, et sanguinem in judicium devocaverit, sciat, sibi impendere congruam poenam*, (*similem, parem* recte interpretatur Gothofredus) *si quod intenderit non probaverit.* Expono: *qui* generaliter *internecivi* alicujus criminis, aut facti, *actionem exserit*, et instituit, hoc est, affirmat homini innocenti mortem properatam, *vel* (explico *id est*) *crimen suspectae mortis intendit.* Idem olim ex moribus patriis obtinuisse constat ex jure Transisalanico antiquissimo *Artic.* 18. *Wie een liff wil winnen voor den Gerichte mit klage die mach ein liff weder verlesen, worde hi der klage vellich*, quam legem tamen consuetudo sustulit. Consule Matthaeum in *Analectis Vet. Aevi Tom.* 3. *pag.* 788.

Internecivi speciem affert Isidorus de eo, *qui falsum testimonium fecerat, et ob id hominem occiderat*, hoc est, qui falsum testimonium dixerat, vel perhiberi curaverat, ac propter eam causam hominem occidi fecerat. Quod si de *testamento* malis accipere, casum fingas hominis, qui falsum testamentum fecerat, subjeceratque, in quo se, aliumve, heredem scribi curaverat, mox autem post scriptum testamentum necem intulerat ei, cujus id testamentum esse finxerat. Papias, *Internecida*, inquit, *est, qui falsum testamentum fecit, et ob id hominem interfecit.* Utrum eligas, hoc certum adparet, confundi saepissime solere in libris antiquis *testamenti* et *testimonii* voces, quo de pluribus egi alias.

IV. *Furtum autem capitale crimen fuit apud majores ante poenam quadrupli.* Eadem habet Servius ad Virgil. *Aen.* 8. *v.* 205., qui ita, *pro ingenti*, inquit, *scelere furis nomen posuit: capitale enim crimen apud majores fuit ante poenam quadrupli.* Aperte quoque Theophilus *ad pr. I. de perpet. et temp. action.* Lex, inquit, XII tabularum κεφαλικην κατα του κλεπτου ωρισε τιμωριαν, *capitalem in furem poenam constituit*, additque, jus hoc propter asperitatem explosum deinde fuisse, ac placuisse magis Praetorium jus. Mortis itaque supplicio punitos olim fuisse fures, opinabimur ex lege decemvirali? sic credidisse forte Servium, Isidorum, et Theophilum, si pertinac ter instes, persuaderi mihi sinam. Errasse tamen, quotquot ita sentiunt, manifesto ostendit Gellius *Noct. Attic. Lib. XI. Cap.* 18., nisi accipias de furibus in manifesto furto deprehensis, quos tum demum occidi permisit lex XII. tabb. si

aut, cum fieret furtum, nox esset, aut interdiu telo se, cum prehenderetur, fur defenderet: caeteros autem manifestos fures, liberos, verberari, addicique jussit ei, cui factum furtum esset; servos quidem, in furti manifesti crimine deprensos, verberibus affici, et e saxo praecipitari voluit. Generaliter itaque si loqui velimus, non capitis poenam, sed verberum ac servitutis poenam in fures statuisse Decemviros constat, excepto, si noctu furatus quis fuerit, aut interdiu se defenderit telo, aut denique servus furtum fecerit, id quod pluribus demonstravit Bynkersh. *Obs.* 3. 16. Imposuit, si ita intellexerint, Theophilo, et Servio, Isidorum enim non moror, qui hujus fidem secutus fuit, quod legerint apud JCtos antiquos, furti crimen ex lege XII tabb. *capitali poena* coërcitum fuisse, non adtendentes, *capitalem* et *capitis poenam* a veteribus Romanis dictam, non eam solum, quae vitam adimebat, sed et qua libertas amittebatur. Eodem ex fonte manavit error dicam, an opinio eorum, qui sectionem debitorum corporalem intelligendam esse arbitrantur, quo de dixi ad Ulpianum *pag.* 58. Quid quod expresse Menander *capitis poenam* appellet, quam mox *servitutem* nominaverat, in *L.* 4. §. 1. *D. de re milit. Gravius autem delictum est, detrectare munus militiae, quam adpetere: nam et qui ad dilectum olim non respondebant, ut proditores libertatis in* SERVITUTEM *redigebantur: sed, mutato statu militiae, recessum a* CAPITIS POENA *est, quia plerumque voluntario milite numeri supplentur.* Scriptum forte exstitit *nunc numeri.* Huc refer, quod de Augusto memorat Suet. in *Aug. Cap.* 24.: *Equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus, causa detrectandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastae: quem tamen, quod imminere emtioni publicanos videbat, liberto suo addixit, ut relegatum in agros pro libero esse fineret*, hoc est, vere quidem servus esset, non tamen operas praestaret serviles. Confer commentarios ad *d. l.* Adde *L.* 1. §. 6. *D. de Postul.: qui capitali crimine damnatus est, non debet pro alio postulare.* Paulus in *L.* 2. *D. de publ. jud.* exsilium, hoc est aquae et ignis interdictionem, capitalibus accenset, quoniam *per has poenas eximitur caput de civitate.* Junge *L.* 4. *pr. et* §. 1. *D. si quis caution.*, *L.* 28. *pr. et* §. 1. *D. de Poenis*, atque inprimis *L.* 103. *D. de V. S.* Quod autem *contractionem* esse dicit furtum, aperte vitiosum est, restituendumque ex utraque editione *contrectatio.*

Pro *persuasio est rei alienae manifesta praesumtio* ex iisdem et cod. Gron., omnino reponendum *pervasio:* quae est spoliatio. Consule Brisson. *in lex.*

Furtum autem earundem rerum fit, lego *earum demum.* Pro *item et abjuratio* in ambobus libris est: *idem et abjuratio*, quae et lectio est C. G. *Ambitus judicium in eum est, qui largiorem honorem capit*, rescribo ex iisdem *largitione.*

Majestatis reatu tenentur ii, (in aliis est *hi*) *qui Regiam majestatem deseruerunt*, praefero, quod habent B. et P., *laeserunt.*

Cap. 27. *Malum autem tunc plenum est, cum et praeteritum est, et impetit, vel impendet, ut sit dolor et metus.* In aliis omnibus est: *praeteritum est, et impendit, ut*

ut sit et dolor et metus. Lego *id* puta peccatum *praeteritum est*, *et poena impendet*, *ut sit et dolor* propter admissum peccatum, *et metus* poenae. Pro *adjicis poena* restituendum *adjicis poenam*, manifestat lectio utriusque editionis.

Supplicium proprie dicitur, (in G. exstat *dictum*) *non*, *quo quis punitur*, *sed qui ita damnatur*, *ut bona ejus consecrentur*, *et in publico redigantur.* Malim ex iisdem: *non*, subintellige ejus, *qui quoquo modo punitur . . . . in publicum redigantur.* G. habet: *qui quoquo modo punitur sed ira . . . . conserventur*, *et in publicum redigantur.*

Si lenis fuerit, *virga est*, *si certe nodosa vel aculeata*, *scorpio rectissimo nomine vocatur.* Rescribo: *si serta nodosa. . . . .* Est autem *sertum* vel *serta*, aut, ut aliis magis placet, *serra*, restis, funiculus, scutica. Sat multa de hoc vocabulo protulere Lexicographi. V. Fabri Thesaurum in v. *Sertum* et *Serra.* Scorpionis vox eo significatu, quem hoc loco designat Auctor, usitatissima est. Quod autem *scorpionem cum sceptro* in manu gessisse triumphantes dicuntur *Lib.* 18. *Cap.* 2. vitiatam esse scripturam apparet, reponendumque *scipionem*, tum ex contextu, tum ex editionibus aliis. In glossis Isidori est: *Scipio*, *virga ante triumphantes delata.*

Lautumna supplicii genus, *ad verberandum aptum.* B. et P. habent *lautumnum.* Bynkersh. *Obs.* 1. 21. *lautumia* corrigit. De vocis scriptura egit Forster *in Thes. Ott. Tom.* 2. *pag.* 920. Duo hoc vocabulo designari notissimum est, carcerem nimirum, et lapidibus caesis exsecta loca, in quae damnari solebant noxii. V. Vicat in Lexico v. *Lautumia.* Flagelli genus eo denotari, unus prodidit Noster, dummodo certa sit lectio vulgata. Exstitit forte, *ad verberones servandum aptum*, hoc est custodiendos sceleratos. Confer de hoc verbo, et lectione hujus loci Schulting. *in Jurispr. Antej. pag.* 863. *a.*

CAPUT DUODEVIGESIMUM.

Varia ad Isidorum. I. *Dissensus veterum de* numeris linguarum *et* gentium. Lucretii *locus exponitur.* II. *Variae lectiones* Lib. 3. Inst. Tit. 6. in pr. §. 1. sqq. III. Signare *pro* significare. Nympha *et* lympha *permiscentur.* Nubentium lavatio. IV. Bene *et* pene *permutantur.* Laevis. V. Puer, puerus, puerulus, puellus, pullus, popus, pupus, pupulus, pupillus *promiscue olim usitata*, *item feminina* puera *etc.* VI. Pu-

ſus *et* Puſa. Varro *explicatur et emendatur.* VII. Pupae *quae, unde dictae?* Ovidius *reſtitutus.* Non *omittitur.* Cicero *ſaepe tentatur.*

I. Ejusdem Auctoris Originum Librum IX., in quo diſputat de iis, quae ad perſonas pertinent, dum obiter, ac quaſi aliud agens percurro, quae inter legendum feſtinanti fuerunt obſervata, paucis hoc capite perſtringam.

Leve eſt monuiſſe pro eo, quod in Cap. I. habet editio Gothofredi, *priſca* lingua Latina eſt, *ut ſe babeant carmina Saliorum*, recte exhibere libros meliores *habent*, niſi malis *habebant.* In G. eſt: *habent carmina Sabinorum.*

Prope principium Capitis II. ſic proſtat in vulgata: *Gentes autem, a quibus diviſa eſt terra, quindecim ſunt: de Japhet triginta et una, de Cham viginti ſeptem, de Sem quinque* (vox *quinque* deeſt in G.) *quae fiunt ſeptuaginta tres, vel potius, ut ratio declarat, ſeptuaginta duae, totidemque linguae, quae* (in aliis eſt *per*) *terras eſſe coeperunt, quaeque creſcendo provincias et inſulas impleverunt.* In Baſ. eſt: *de Japhet XXX et una, de Cham XXVII, de Sem XXI.* In P. exſtat: *de Cham XVII*, caetera conſpirat haec cum B. Quaenam vera fuerit ipſius Auctoris lectio, facillime, ſcio, deprehendes, ubi indagaveris fontem, unde haec derivata ſunt. Deſcripta ſunt autem ex libro Auguſtini, quem inſcripſit *de Civitate Dei.* Audiſis virum vere venerandum: *In ſumma igitur*, inquit Cap. 3., *omnes progeniti de tribus filiis Noë, id eſt, quindecim de Japhet, et triginta unus de Cham, viginti ſeptem de Sem, fiunt ſeptuaginta et tres . . . . unde colligitur ſeptuaginta tres, vel potius, quod poſtea demonſtrabitur, ſeptuaginta duas gentes tunc fuiſſe, non homines.* Idem dein Cap. 6.: *Ex illis igitur*, ait, *tribus hominibus, Noë filiis, ſeptuaginta tres, vel potius, ut ratio declarata eſt, ſeptuaginta duae gentes, totidemque linguae per terras eſſe coeperunt, quae creſcendo et inſulas impleverunt.* Jam ab antiquiſſimis inde temporibus variis inter ſe diſtracti fuerunt ſententiarum divortiis homines eruditiſſimi de numero linguarum et gentium. Hebraeorum fuit opinio, LXX ſtatuendas eſſe gentes, et linguas, angelosque totidem gentibus ſingulis praefectos fuiſſe, Graeci Patres gentes, itemque linguas duas addunt. Sunt, qui LXXIII malunt, nec deſunt, qui multo plures numerari voluerunt. Moyſes in *Geneſ. Cap.* 10. filios Noachi memorat LXX, ex Japheto XIV, ex Chamo XXX, ex Semo XXVI. Rectius arbitrantur plerique, ampliandum eſſe in hac cauſa, neque quidquam certi definiri poſſe. Pluribus materiam hanc pertractarunt S. Bochart *in Geogr. Sacra Lib.* 1. *Cap.* 15., Natalis Alexander *in Hiſtor. Eccleſ. Tom.* 1. *Diſſert.* 5. *Prop.* 2., et Jo. Buxtorf. *in Diſſert. Philol. Theol. Diſſ.* 2. *Num.* 40., aliique.

Secundum Ul, a quo Armenii. In aliis eſt *ſecundus*, quod adoptandum. Quae praecedunt *nomine Job* non adgnoſcit Cod. Gr.

Na-

Nabathaei, qui ab Euphrate in mare rubrum habitant. In utraque eſt: *ab Effrata in mari rubro inhabitant*, in G. eſt *ab Euphrata.*

Caeterae ſex gentes ignotae ſunt. Amplius exſtat in iisdem: *de Allophilis caeterae*, quae tamen non adduntur in C. G.

Gabaonitae, ... qui ſupplices venerunt ad Joſue. In P. eſt *Jeſum*, in B. et G. *Jhm*, quod et *Jeſum* deſignat. *Jeſum* alio nomine *Joſuam* appellari, notiſſimum eſt.

Arachaeus, qui condidit Achas. In ambabus eſt *Archas*, itemque in C., qui habet *Araceus.*

Decimus Amareus, (G. habet *Amorreus*) *a quo Syriae nobilis civitas, quae vocatur Coelis.* Bochart *in Operib. pag.* 306. ſic emendandum conjicit: *decimus Samaraeus, a quo Emeſa, nobilis Syriae-Coeles civitas:* Malo *Samareus, a quo Samaria, Syriae nobilis civitas*, ejus puta, *quae vocatur Coeleſyria.*

Filii Gomer nepotis Japhet. Jo. Scheffer. *de mil. nav. pag.* 17. ſubſtituit *nepotes:* quam ejus conjecturam confirmat P. et B.

Aſcanaz, a quo Sarmatae, quos Graeci Reginos vocant. Rifan, a quo Paphlagones. Gotorua, a quo ſunt Phryges. In P. exſtat: *Aſſenes, a quo Paphlagones. Gotorma, a quo ſunt Friges.* B. habet: *Aſſenes, a quo Sarmate, quos Greci Reginos vocant. Rifath, a quo Paphlagones. Gotorma, a quo ſunt Friges.*

Cethim, a quo Cithei, id eſt Ciprii, a quibus hodieque urbs Scithia nominatur. Dodanim, a quo Rhodii. B. exhibet: *a quibus hodie et urbs Cithium nominatur.* P. *Cethin*, caetera conſpirat cum B. *Urbs Cypri Citium* legi vult Scheffer. *l. c. pag.* 17.

P litteram ſermo Hebraeus non habet, ſed pro eo Graeco utuntur, lege *phi* vel φ *Graeco*, quod primum eſt in B. et P., alterum in G. Ex iisdem in mox ſequentibus pro *Philiſtaei pro Palaeſtinis dicuntur, civitate utique ſua*, adde *a civitate.* G. amplius habet: *inde Philiſtei.*

Pernicibus equis Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cobibente ruperunt, fortaſſe corrigendum *in* (niſi malis ſubintelligere) *Caucaſi rupibus feras gentes, Alexandro clauſtra cobibente, irruperunt.*

Nam ipſos eſſe Spartanos, quos et Lacedaemones, ſubaudi, conſtat, palam eſt. Addunt B. et P. et G. C., qui tamen *adventus* non agnoſcit: *Spartanos vero propter repentinos adventus adverſus Cadmum, quaſi de terra contractos, et ex omni parte confluitos ita vocatos.* Emblema eſſe ſuſpicor gloſſatoris imperiti.

Ibis Aretos procul usque Dagos. In iisdem eſt *arctos.* In G. eſt: *pro cujusque.*

Pro *raptu, venatusque viventes*, ex iisdem *venatuque* reſtituendum eſſe, quivis perſpicit. In G. exſtat: *rapto venatuque.*

Tolerates. forte *Toloſates.* In G. eſt: *Tolleratos, Amſivari, Quadri, Turungri.*

Va-

Variquadi, lege ex utraque *Vari*, *Quadi*.

Camasi. *Camacae* memorantur Plinio *Lib. 6. Cap.* 17.

In magnam coluerunt gentem, recte aliae *coaluerunt*.

Esca est quidquid mandi potest, et omnia fortuitu gignentia, malim *contingentia*, quaecunque forte iis obvia fiunt.

Jam vero bis .... nulla ratione credendum est, aliae *bi*, malim *de bis*.

Cap. III. *Legio autem babet .... turmas ducentas*, addunt eaedem *choros XV*, non G.

Succenturiati .... stricti etiam ipsi, in dictis libris est *structi*. *Struere* quid sit, exponit Festus.

Cap. IV. *Praetores autem, quasi praeceptores*, praeferam *praeitores*, quippe qui olim belli tempore exercitui praeire consueverunt, quod notissimum.

Capita trabium, quae eminent extra parietem, proces dicuntur: in aliis est *proceres*, atque ita habet Servius ad *Aen.* 1. *v.* 744., quem descripsit noster. Confer eundem ad *Aen.* 3. *v.* 58.

Cap. V. *Lucretius: et bene patra patrum.* In G. est*: bene patratum.* Aliae *patratio patrum.* Sic Poëta *Lib.* 4. *v.* 1123.

Et bene parta patrum fiunt anademata, mitrae.

Interpres exponit *ornamenta. Quae patres sua virtute compararunt, in anademata, aut mitras mutantur:* bona, sive pecuniam, quam majores improbo, laudandoque labore suo collegerunt, impendunt in diademata et mitras. Nihil huc facere Lucretii dicta tute deprehendis, etiamsi vel cum Scotto reposueris *parta patrant* Glossema fortasse hoc est hominis semidocti, qui Poëtae verba male intellecta inepte huc transtulit. Caeterum pro perficere usurpasse videtur Lucretius *patrare* verbum *Lib.* 5. *v.* 386.

Quod facere intendunt, neque adbuc conata patrantur.

Novissimus post omnes: idem et minimus, a monade: novissimus autem, propter quod novus. *Ta a monade* perperam ab alio adjecta fuisse conjicio: μονας enim, quae unitatem, unionem significat, huc neutiquam quadrare, quivis animadvertit. Pro *propter* rescribo *propterea.*

Inter etiam filios fit emancipatio, aliae *inde etiam filio*, quid si legamus: *inde* (vel *in jure*) *etiam filior* (id est, filiorum) *fit emancipatio.*

Semper enim qui nascitur deteriorem parentis statum sumit. Reponendum omnino *deterioris:* partus sequitur ventrem: deterior parens, sequior sexus, mater dicitur.

Ut neptis dicamus, in jure est propter discretionem successionis admissam, ex utraque lege *admissum.* JCti invenerunt *neptis* appellationem, ne in successione confunderentur sexus.

Ab-

Abnepos, quia sejungit ab nepote, aliae *sejungitur*. Innumeris in locis terminum passivum *ur*, vel notam ejus negligenter omisisse librarios, demonstravit Vir varia eruditione praeclarus J. Schraderus, in *Observ. Lib.* 1. *Cap* 4. Idemne dicendum de his Jo. Sarisber. *Lib.* 8. *Cap.* 11., de secundis nuptiis loquitur, *quis enim ei compatietur, qui semel solutus a vinculis, revolvat ad catenas?* nisi malis subaudire *se*.

II. Capiti nostro quinto in H. et P. subjunguntur iisdem plane verbis, quaecunque proposuit Imperator in *Inst. Lib.* 3. *Tit.* 6. *in pr.* §. 1. *et sqq.* ad §. 10. usque, ita tamen, ut in nonnullis librorum eorum scriptura differat ab editione vulgata Institutionum.

In PR. pro *qua re* exhibent nostri *qua in re*, quo modo et alii habent Codices Institutionum. Sic dein pergunt: *admonendi sumus; quod cognationum aliae supra numerantur, aliae infra, aliae ex transverso, quae etiam a latere dicuntur.* Perperam exstat in P. *Superior cognationem parentum.* In utraque est *qui ex bis progenerantur:* (omissa voce *quaeve*, quae et in aliis libris desideratur) *et consequenter.* In B. est: *numerantur a secundo.*

In §. 1. *matris* nomen omittunt ambae.

In §. 2. *Frater et soror* eaedem exhibent.

In §. 3. pro *convenienter* iterum *consequenter* exstat. Pro πατρως habent πατρως, pro *vocatur* in B. est *appellatur.* Utraque habet μητρας *appellatur* .... *est matris soror.* .... *Utraque* θεια, *vel apud quosdam* τηθις *appellatur*, in P. est θεις.

In §. 4. Pro *convenienter*, *consequenter* exstat. Dein: *Proprie patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus sorores nascantur, sorores patrueles vocantur* .... *progenerantur.*

§. 5. *Quinto gradu supra attavus* (sic solent in plurimis duplicari litterae in H.) .... *consequenter* .... *consobrini et consobrinae* .... *propior sobrinus sobrina.*

§. 6. *Sexto gradu sunt supra* .... *consequenter.*

§. 7. *Ulterius quosque gradus* .... *semper narrata quaeque persona* .... *denotari.*

§. 8. *Agnationis gradus eodem modo numerentur.*

§. 9. *Magna veritas* est in P. ..., *in praesenti* .... *et ex auribus, et ex.* ....

Pergit dein: *Stemmata dicuntur* .... *ille avus, ille agnatus:* in utraque est: *ille avus, ille attavus.* In C. G. haec desunt, ut et totum stemma, cujus loco exhibetur *ratio septem dierum.* Arbor consanguinitatis aliter repraesentatur in utraque, atque in vulgata Gothofredi editione, eique subjicitur: *haec est arbor consanguinitatis.* Ea, quae vulgata exhibet *pag.* 1063. neutra agnoscit. Habet autem eadem C. G., usque ad *gradibus terminaretur.*

III. Progredior ad CAP. VII. *Maritus vero etiam sine adjectione conjugem sonat.* Plus vice simplici pro *significat* voce postrema usus fuit Auctor, nisi statuas, per compendium ita scripsisse. Similiter Donatus ad *Ter. Hec. prol. alt.*

alt. v. 2.: *Haec* adolefcentior *comparatio minus a pofitivo fonat.* Eodem fenfu pofitum accipio verbum in his Martialis *Ep. Lib.* 14. *Ep.* 33.

Pugio, quem curvis fignat brevis orbita venis.

Vinc. Colleffo interpretatur: *in quo venae curvae inprimuntur brevi orbita.* Raderus aliter exponit. Nec defunt, qui crifin exercendam putant. De Rooy fic emendandum conjicit:

Pugio, quem curtis cingit brevis orbis habenis.

Nil quidquam mutandum cenfeo. *Orbitam* ex Afconio difcimus *ad Cic. Verr.* 1. 59. primum poni pro rota, dein pro veftigio rotae. Ipfe Cicero *ad Attic. Lib.* 2. *Ep.* 11.. *vix fonitum audire, vix impreffam orbitam videre.* Ifidoro tefte *orbita veftigium carri, ab orbe rotae dicta, Lib.* 15. *Cap.* 16. Intelligo: pugio, cujus ictum, vel punctum oftendit, ac manifeftat breve, five parvum veftigium, ac nota vulneris in venis curvis. De *venis curvis* dicent Medicorum filii.

Nympha fponfa in nuptiis, et nympha (leg. *lympha*, quae vocabula in Codicibus vetuftis faepius permutantur, v. Burm. *ad Phaedr. pag.* 13. Νυμφαι Latinos *lymphas* dixiffe, fic ut et αλαβαστρος fcribitur pro αναβαστρος, alia, docet Salmaf. *in Plin. Exerc. pag.* 132. Nymphas *numina lympharum* interpretatur Nofter *Lib.* 8. *Cap. ult.*) *pro lavationis officio, quod ad nomen nubentis alluditur*, aliae habent: *quod et*, repono: *quo et ad morem nubentis alluditur.* Lavationem nubentium quod attinet, en tibi teftimonium Servii, ad Virg. *Aen.* 4. *v.* 167. *Varro dicit: aquâ et igni mariti uxores accipiebant: unde hodieque et faces praelucent, et aqua petita per feliciffimum puerum aliquem, aut puellam, de puro fonte, intereft nuptiis, de qua nubentibus folebant pedes lavari.* Hinc *unda jugalis* dicitur aqua, qua afpergi folebat nova nupta. Valerius Flaccus *Lib.* 8. *Argonaut.*

Inde ubi facrificas cum conjuge venit ad aras
Aefonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem pollux undamque jugalem
Praetulit.

Confer Grupen *in Ux. Rom. pag.* 125. *et* 135. *fq.* Quae de fponfa, ac fponfionibus prodidit nofter, defumfit pleraque ex Servio ad *Aen.* 10. *v.* 75. Ea, quae profert de unctione et uxoris appellatione defcripfit ex eodem ad *Aen.* 4. *v.* 458.

Bigamus autem, et trigamus vocatus, quafi a duabus, vel tribus mulieribus. Praeftat lectio aliarum: *quafi duarum, vel trium maritus.* C. G. habet: *a numero uxorum vocatus, quafi duabus, vel tribus maritus.*

Con-

Conjugium est legitimarum personarum inter se coëundi et copulandi nuptiae. Non est hoc *conjugium*, sed verius *connubium* est dicendum. Muto: *Connubium est legitimarum personarum jus inter se coëundi, et copulandi nuptias.* Servius ad *Aen.* I. *v.* 77. *connubium*, inquit, *est jus legitimi matrimonii.* Ulpianus in Fragmentis *Tit.* 5. §. 3. *connubium*, ait, *est uxoris jure ducendae facultas.* Inter quas personas sit connubium, demonstrat idem in sequentibus.

Fribolum, (aut, ut in aliis est editionibus, *frivolum*,) *est, cum eo animo separantur, ut rursum ad se invicem revertantur.* Scriptum forte fuit *fribulum* pro *fribusculum.*

Ibi in Genesi: malo *ibidem.*

Item in re eligenda uxore: utraque τὸ *re* omittit: G. habet: *in eligendam uxorem.* Quidni retineamus, modo interpretemur *recte?* Eleganter Auctor in fine hujus Capitis: *Ideo autem feminae sub viri potestate consistunt, quia levitate animi plerumque decipiuntur: unde et aequum erat eas viri auctoritate reprimi. Proinde et veteres voluerunt feminas innuptas, quamvis perfectae aetatis essent, propter ipsam animi levitatem, in tutela consistere.* Apud Germanos veteres mulieres in sempiterna tutela fuisse, itemque apud nos obtinere, ut nihil in judicio agere eae possint sine curatore, probat A. Siccama *ad leges Frision. Tit.* 9. §. 11. Adde J. Schraffert *ad Jus Velav. pag.* 359. *num.* 31. De tutela feminarum ex jure Saxonico v. C. Hanaccium in *Jure Jud. Saxon. Tit.* 8. In *Sachsenspiegel*, *Libro* 1. *Art.* 46. ita legitur in versione. *Feminae et mulieres tutores habere debent in qualibet actione, ex eo, quod judiciaria potestas in testimonio eos non poterit superare.* Adscribere juvat quoque ex *Art.* 45. haec pauca. *Moriente viro, mulier ab ejus absolvitur jure, et primum statum, quem ante copulationem viri habuit, recuperabit, innatumque jus adquiret: et ideo non mariti ejus, sed ei in progenie aequalis et proximior adgnatus ex parte gladii, tutor ejus erit.* Confer, quae dixi ad Ulpian. *Tit XI.* §. 1. Junge omnino A. Matthaeum in *Anal. Tom.* 3. *pag.* 322. *sq.*, instrumentaque ibidem publicata, ex quibus maritum in oppido Tielensi anno 1463. uxori apparet concessisse facultatem disponendi inter vivos, ac libere testandi de bonis communibus ac propriis: deinde, adstante ac consentiente viro, testamentum suum fecisse Wilhelmam, dominam de Montfoort, anno CIↃ IↃ VI.

IV. Addo hoc Ejusdem Lib. X. in pr. *Origo quorundam nominum .... non pene omnibus patet:* nullus dubito reponendum *bene.* Pari modo apud Quinctil. *Decl.* 3. *Cap.* 4. *Gens a rerum natura bene relegata:* quo loco *pene* recte restituunt Commentatores. De affinitate litterarum B. et P. vide Columa. *ad Ennium pag.* 71. *sq.* Pergit: *Dictus autem proprie amicus ab amo, id est, catena charitatis, unde et amici quod teneant amator turpitudinis, quia amore torquentur libidinis.* Recte B. et P. *ab hamo .... unde et hami quem teneant .... torquetur libidinis.*

Clarus a coelo, quod splendeat. Jocose ridet Cicero etymologias istiusmodi *de Nat. Deor.* 3. 24. *Quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis una littera explicare, unde ductum sit. In quo quidem magis tu mihi natare visus es, quam ipse Neptunus.*

In eodem libro fic proftat in omnibus: *Frugalis a fruge nominatus, id eft, a fructu, vel parfimonia, five, ut alii volunt, a modeftiae temperantia.* Refcribendum clamitant *modeftia et temperantia.* Expono modeftam five moderatam temperantiam. Frugi homo quis fit, et frugalis, quae deinde dicatur frugalitas, optime docuit Cicero *in Tufc. Difp.* 3. 8. *et* 4. 16. ubi v. Davif. In Oratione tamen *pro Rege Dejot. Cap.* 9. frugalitatem Tullius interpretatur *modeftiam et temperantiam.*

Succedat LIBRI XI. CAP. II. *Infantia eft*, ait, *pueri nafcentis ad lucem, quae porrigitur in feptem annis.* Utraque *annos.* Malim *nafcentis, a luce, quae porrigitur in feptem annos*, hoc eft, a primo lucis adfpectu.

Quinta aetas fenioris, id eft, gravitas, quae eft inclinatio (aliae *declinatio*) *a juventute in fenectutem: nondum fenectus: fed jam nondum* (eaedem *non*, lego *non dr*, id eft, *dicitur*) *juventus, quia fenioris aetas eft, quam Graeci πρεσβύτην vocant.* Recte exhibet B. *quem*: πρεσβύτης enim *fenem*, non *fenectutem* fignificat.

Ephebi, id eft a Phoebo dicti, necdum viri, fed adolefcentuli laeves. G. exhibet: *Ephebi a Phoebo dicti, necdum viri pro novitate, Adulefcentuli leves.* Phoebum, fcio, imberbem finxit antiquitas, nec tamen renuam, fi praeferat quis *ab ἥβη*, vel *hebe.* Pro *laeves* perperam fubftituunt aliae *lenes: laeves* funt imberbes, hinc Horatius *laevis juventus*, quo loco tamen alii fcribunt *levis*, id eft, inconftans, *Lib.* 2. *Od.* 11. *v.* 5.

V. *Puella eft parvula, quafi pupilla:* (ambae edd. et Cod. G. *pulla*) *unde et pupillos, non pro conditione, fed pro aetate puerili vocamus. Pupilli autem dicti, quafi fine oculis, hoc eft, a parentibus orbi.* Frigide, infulfe, ridicule, adeo ut nihil fupra. Promifcue olim ufurpata fuere, *puer, puerus, puerulus, puellus, pullus, pupus, pupulus, pupillus*, itemque *puera, puerula, puella, pulla, pupa, pupula, pupilla*, terminatione, non fignificatione differentia. Exempla fuppeditant Commentatores ad Sueton. *in Cal. Cap.* 8., adde Feftum in v. *puelli* et *pullus*, et Nonium Marcellum *pag. m.* 156. *et* 158. *Puellus* fupereft in Lucilii *Satyris Lib.* 4. *Carm.* 22.

Quumque hic tam formofus homo, ac te dignu puellus.

Et *Lib.* 11. *Carm.* 10.

Inde venit Romam tener ipfe etiam, atque puellus.

Junge Prifcianum *Lib.* 6. *Popus* et *Pupus* puer parvus dictus, v. Def. Herald. *Adverf. Lib* 1. *Cap.* 8. *Pupulas oculorum* nominat Arnob. *Lib.* 2. *pag.* 46., ubi v. Elmenhorftium. Idem *Lib.* 7. *pag.* 215. *ergone*, inquit, *Dii pafferculos pupulos equuleos panes accipiunt?* quo loco confule Stewechium. Q. Fabius *pullus Jovis* dictus, v. Elmenh. et Herald. *ad Arnob. Lib.* 4. *pag.* 144. Ifidorus *Lib.* 12. *Cap.* 7.: *Homo parvus, pullus: recentes ergo nati pulli dicuntur, eo quod polluti funt*, quae ratio abfurda. *Pullum*, ait Nonius *Cap.* 4. *eft aeftatis*

tis (l. *aetatis*) *novellae.* *Puer Dionae* pro filio Veneris est in *Pervig. Veneris pag.* 119. *Terei puella* Philomela dicitur *ibid. pag.* 126. *Puellae montium, fontium, ruris*, appellantur Oreades, Najades, Napeae. *pag.* 100. 154. Glossarium vetus παιδάριον explicat, *hic puellus*, *hic pupus.* Confer Menagium *in Amoen. Jur. Civ. Cap.* 3. *pag.* 17. *et Cap.* 39. *pag.* 337. *Pupam* pro *puella* posuit Martialis

Se pupam dicit Gellia, cum sit anus.

Pusus etiam, et *pusa* dictum fuisse a veteribus pro *puer*, *puella*, apparet ex Varrone de *L. L. Lib.* 6. Non tempero, quin adscribam verba, quod attinet ad epigramma propositum, non ea quidem codicum antiquorum, quippe qui corruptissime adeo illud exhibent, ut nec metrum, nec sensus constet, sed reparata ab O. Pantagatho. Sic prostat apud Gothofredum: *Cascum significat vetus, ejus origo Sabina, quae usque radices in Oscam linguam egit. Cascum vetus esse significat Ennius, cum ait:*

Quam primum casci populi genuere Latini.

Eo magis Manilius, quod ait:

Cascum duxisse cascam non mirabile est,
Quoniam canoras conficiebant nuptias.

Item ostendit Papinii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam.

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica
Casca Philotonis, ipsa senex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet mutua muli:
Nam vere pusus tu, tua amica senex'st.

Missis conjecturis Scaligeri, Turnebi, Augustini, Erasmi *in Adagiis*, aliorumque, hoc unum addo, suspectam videri vocem *canoras.* Interpretantur, scio, congruas, convenientes, ast notionis illius exempla vereor ne desiderentur. Cogitemus itaque nuptias chordis novis, sonoroque plectro sacratas: fidibus, scilicet, canoris commissi decrepitorum senum calores, nec dulci spreto amore, junctisque choreis, vetulam inter et depontanum, si Dis placet, reviviscunt. Ne te per longiores teneam ambages, vocem corruptam esse arbitror, ac substituendum esse *casnares*, id est, senes. Varro noster in mox sequentibus Oscos senem *casnar* dixisse scribit. Vitiosum est in Isidori glossis: *Kanifer, senex*, emenda *Kasnar.* Festus *casnar*, inquit, *senex, Oscorum lingua.* Sic expono: nil mirum in eo est, quod vir Cascus nomine feminam Cascam appellatam duxit uxorem, hoc est, quod, si nominum significationem spectes, senex vetulam duxit, quia vere a senibus iis

confectae ſunt nuptiae. *Item* legas, an *idem* parum refert. Pro *Papinia* Priſcianus *Lib.* 3. ſubſtituit *Pomponium*. Si retineas: *ſic fiet mutua muli*, interpretor: ita ſimilis fiet tui, muli, id eſt, ſtupidi. Paria enim et mutua inter te et vetulam, amicam tuam, officia praeſtantur. Malim tamen *ſic fient mutua muli*. Ita mutua inter vos erit benevolentia, mulorum exemplo. Noſti proverbia. *Mutuum muli fricant. Mulus mulum ſcabit.*

VII. Caeterum *pupas* dictas *icunculas puellares*, uti dixit eas Sueton. *in Ner. Cap.* 56., ſeu, uti appellant Graeci, *πλαγγωνας*, et *νυμφας*, teſte Herald. *in Adv. l. c.*, ſive, uti interpretatur Heſychius, *κηρινον τι προκοσμιον*, et *εικονια*, et *ſigillaria*, ceu notat Stewech. *d. l.*, et Torrent. *ad Suet. in Cal. Cap.* 22.: Macrob. *Saturn. Lib.* 1. *Cap.* 7. *pag.* 220. *oſcilla* nominat *ad humanam effigiem arte ſimulata*, et *cerea*, ea praeſertim, quae per Saturnalia miſſitari ſolebant, Idem *pag.* 241., exinde, inquam, *pupas* vocatas, quia puellarum, quae ludicris illis praecipue gaudent, formam imitantur, dubitari nequit. Servius *ad Virg. Georg.* 2. *v.* 399. exponit *formas*, vel *perſonas*, *ad oris ſui ſimilitudinem factas*, adde notas ad Auſon. *in Cent. Nupt. pag.* 503. *ſq.* Appoſite Seneca Epiſt. 12. *Ego ſum Felicio, cui ſolebas ſigillaria afferre . . . . deliciolum tuum. . . . . Pupulus, etiam deliciolum meum factus eſt.* Sigillaribus, qui dies feſti fuerunt Saturnalibus adjecti, ſigilla, hoc eſt, ſigna parvula, icunculas, aliaque pueris et amatis ſuis muneri mittere conſueverunt Romani, v. Suet. in *Claud. Cap* 5., ibique Torrentium.

Unde et Horatius: Laudatur primo (utraque *in primo*, C. G. *primo jam*) *prole puerpera nato.* Verba Lyrici in *Lib.* 4. *Carminum Od.* 5. *v.* 23. haec ſunt: *Laudantur ſimili prole puerperae.* Aut itaque dicendum, lapſum hic fuiſſe Auctorem, aut emblema hoc eſſe a ſciolo additum.

Mulier vero mollitie, rectius aliae, *a mollitie.*

Ovid. in ſexto libro: Senior inter juvenemque ſenemque. Terentius: Qui viri jure ſumus. Adoleſcentior. . . . . Eaedem exhibent *quo jure ſumus.* G. habet: *quo jure ſumus aduleſcentiores non utique magis aduleſcens.* Ita Naſo *Metam. Lib.* 12. *v.* 464.

Huic aetas inter juvenemque ſenemque,
Vis juvenilis erat, variabant tempora cani.

Idem *Lib.* 15. *v.* 209.

Excipit Autumnus, poſito fervore juventae,
Maturus, mitisque, inter juvenemque ſenemque
Temperie medius, ſparſis per tempora canis.

Sic malo diſtingui. Deſcripſit noſter Servii commentarium *ad Virg. Aen.* 5. *v.* 409. Terentius *in altero Prologo Hec. v.* 2.

Eodem ut jure uti ſenem
Liceat, quo jure ſum uſus adoleſcentior.

Ad

Ad quem locum convenienter Donatus: *haec comparatio minus a positivo sonat, et vim diminutivam exprimit, ut* (apud Virgil. *Aen.* 6. *v.* 304.)

Jam senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

Sic itaque legendum esse apparet: *Ovidius in bissexto libro: inter juvenemque senemque.* (*Senior* vox ex margine, puto, in textum irrepsit) *Terentius: quo jure sum usus adolescentior. Adolescentior. . . . . Ergo senior, non satis senex, sic ut. . . . .*

Mortuus autem ex qua parte orationis declinetur incertum est: nam sicut ait Caesar: (interserunt memoratae editiones: *non potest mortuus aliqua facere post mortem suam, ita homo non potest scire ejus originem, id est, mortuus.* Ineptis haec emblematibus adnumero) *ab eo quod est morior . . . . nomen est participium*, omnino supplendum ex iisdem *non participium*, quod et habet Cod. Gron., quae vocula a librariis nonnunquam perperam omittitur. V. Arntzen. *ad Aur. Vict. p.* 16. Nisi praeferas: *nomen, non est participium.* Pari modo apud Ciceronem *Tusc. Disp. I. XI.* pro *est difficile confundere* rescribendum cum aliis *non confundere.* Quod ibidem prostat *beatos non efficiet*, requirere videtur contextus, ut sic reformetur: *modo efficiet.* In sequenti *Cap.* 12. pro *Hercules tantus et* TAM *praesens habetur Deus* malim *tantum non praesens.* In *Cap.* 46.: *morere Diagora, non enim in coelum adscensurus es.* Certum est, emendandum esse *modo enim*, vel ex aliis *nunc enim.* Denique in *Lib.* 2. *Cap.* 27. *ibid.* pro his: *si tanti non sint, ut ferendi sint* dolores, substituo: *si tanti modo sint, ...*

Idem Lib. XV. Cap. I.: *Caesarea . . . . in qua Cornelii domum Christi vidit* (in G. est *videt*) *ecclesia, et Philippi ediculas, et cubiculum quatuor virginum Prophetarum.* In aliis est: *Cornelii domus, Christi est ecclesia, et Philippi aediculae, et. . . . .* Res nota ex Actis Apostolorum.

Samariam. . . . . Sennacherib. . . . . construxit, vocavitque Samariam, id est, custodiam, quam, quando Israël transtulit, ibi constituit. In iisdem exstat: *quia, quando Israël transtulit, Medos* (B. *Medas*) *custodes ibi constituit.* G. habet: *quia quando Israhel transtulit in Medos ibi custodes constituit.*

Cap. XIV. *His enim terminis testimonia finium intelliguntur, et agrorum intentio et certamen aufertur.* Vere ibidem *contentio.*

Cap. XV. *At Galli candetum appellant in areis urbanis spatium centum pedum, quasi centetum: in agrestibus autem pedum CL, quod aratores candetum vocant.* Rectius aliae: *CL quadratorum justum candetum vocant.* In G. est: *qua iratcrum agrorum justum candetum vocant.*

In numero enim centuriae multiplicatae sunt: nomen mutare non potuerunt. Eaedem: *nomen tamen non perdiderunt.*

Cap. XVI.: *Sunt autem* mensurae *propria quaeque spatia:* Melius ibidem *proprio quaeque spatio*, quod et sequitur C. G. Prima manus scripserat *quoque*, posterior mutavit *quaeque.*


Dictum

. *Dictum milliarium quasi mille adium.* Forte *ad eum*, puta lapidem.

Stadium octava pars milliarium est. In editionibus exhibetur *milliarii.* C. G. habet *miliarii*, omisso *est.*

Longam navigationem nostram finire, ac portum tandem respicere imperant negotia varia, quae me cum maxime tenent occupatissimum: absque quo si fuisset, eadem opera tumultuaria, haud admodum difficili, addere potuissemus alia multa, quae in Isidoro supersunt, animadversione, emendatione digniffima, plura fortasse daturi postea, si per eum licebit, cujus in manu sumus, dominatorem rerum et, qui omnia nutu suo gubernat, Deum Optimum Maximum.

F I N I S.



SUMMAE

SUMMAE RERUM,

QUAE TRACTANTUR IN

OBSERVATIONUM MISCELLANEARUM

LIBRO SINGULARI.



INDEX

INDEX I.

RERUM ET VERBORUM,

QUAE EXPLICANTUR IN COMMENTARIIS

AD

TITULOS ULPIANI,

ET COLLATIONEM LEGUM MOSAICARUM ET ROMANARUM,

ITEM

IN DISQUISITIONE DE NOTIS,

ET

LIBRO OBSERVATIONUM.

Numerus paginam, littera a *columnam priorem*, b *posteriorem designat.*

A.

Ca-

E.

Effe-

Fir-

Heres

I.

Im-

ex

M.

O.

Prae-

Q

Q.

R.

T.

Ve-

Vi-

Uter-



INDEX

INDEX II.

AUCTORUM, LEGUM,

ET

FRAGMENTORUM VETERUM,

QUAE

CITANTUR, ILLUSTRANTUR, EXPONUNTUR, AUT CORRIGUNTUR.

Em. *emendari*, exp. *explicari locum designat.*

C.

In-

L.

Ma-


Lex

Lex

Lex

Pli-

Ul-



INDEX III.

SCRIPTORUM RECENTIORUM.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

Gu-

N.

O.

P.

R.

Reitz.

Toul-

ADDENDA



